PERKINS LIBRARY

Duke University

Rare Books

CARMINA

POETARUM

ITALORUM.

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

TOMUS PRIMUS.

Bottari, G.G. ed.

FLORENTIÆ. M.DCC.XIX.
Typis Regiæ Celſitudinis, apud Joannem Cajetanum Tartinium, & Sanctem Franchium.

CUM APPROBATIONE.

E RBR B751C V.1

Ad Lectorem

PRÆFACTIO.

QUUM præclariſſimas noſtrorum Majorum res geſtas animo contemplandas propono, videntur mihi, non ſolùm magnitudine Imperii, & dignitate, verùm etiam Romani eloquii majeſtate, & præſtantiâ ceteris omnibus antecelluiſſe, & non minùs latiſſimos dictionis fines, quàm linguæ in immenſum propagandæ, ſolli-

376464

citi ſemper fuiſſe. Namque, ut omittam ingentem illorum temporum felicitatem, quibus Romana Civitas rerum domina, ut tot populorum diſcordes, feraſque linguas, ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret; breviterque una cunctarum gentium Patria fieret, domitis populis, non turpiſſimum ſervitutis jugum, ſed utiliſſimum, pulcherrimumque linguæ ſtudium, per pacis conditionem imponebat; poſtquam occaſu Romani Imperii, fœdiſſimâ Barbarorum ſævientium illuvie, cultiſſimæ Europæ regiones occupatæ, artes bonæ, & eloquii nitor, & elegantia funditus occiderunt, Italia ſola, in medio bellorum ardore, tot, tantiſque malorum fluctibus agitata, ac pænè demerſa, deſtitutas diſciplinas in lucem revocavit, & aliis nationibus inſcitiæ tenebris miſerrimè obductis, & obcœcatis (abſit invidia vero) uti priùs facere conſueverat, lucidiſſimam ingenii facem prætulit. Hîc namque Franciſcus Petrarca, vir omni ſcientiarum genere cumulatus, omnium primus extinctas lit-

litteras Latinas ab interitu vindicavit vindicatas vero Angelus Politianus mirum in modum auxit, ornavit, amplificavit. Alii deinde, atque alii quamplurimi, luculentiſſimo hoc exemplo excitati, ad hæc uſque tempora floruerunt, qui Latinum ſermonem adeo impensè, & diligenter coluerunt, tantâ verborum, rerumque copiâ exornarunt, tantis eloquentiæ luminibus illuſtrarunt, ut ad altiſſimum priſtinæ dignitatis faſtigium, Latinis litteris iterum evectis, ferè nihil priſcis Auguſtei illius ævi Scriptoribus invidere debeamus. Sed ne quis putet dulciſſimæ, cariſſimæque Patriæ amore captus, Italiæ celebrandæ gratiâ, hæc a me magnificentiùs quàm veriùs prædicari, operæ pretium eſſe duxi exempla clariſſimorum Italorum, qui poſt renovatum Latię facundiæ decus, verba chartis mandarunt, in medium proferre. Sed ne ingens excellentium Auctorum numerus, qui vinctâ, ſolutâque oratione ſcripſerunt, me obruat, ita ut vel in medio curſu deſiſtere cogar, vel opus pænè infinitum numquam ad optatum exitum perducere valeam, non omnium Italo-

376484

rum Auctorum ſcripta, ſed illuſtrium tantum Poëtarum carmina, quoad fieri potuit, unâ ſimul colligere, & in plures partes diſtributa, atque diſtincta, in manus hominum tradere decrevi; ratus jucundum fore omnibus firmiſſimum hoc argumentum Italicæ in Latinæ linguæ cultu ſollicitudinis, atque curæ. Muſæ namque ſuavi, dulcique concentu, ita blandiuntur animis, eoſque incredibili perfundunt voluptate, ut maximam, admirabilemque habeant vim ad perſuadendum; Pindarus enim tradit, ſermonem præclaris facinoribus diuturniùs vivere, quem cum favore Charitum lingua extraxerit ex profundâ mente:

Ῥῆμα δ' ἐρμάτων χρονιώ-
τερον βιοτεύει
ὅτι κὲ σὺν χαρίτων τύχα
γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας.

Et præterea gratum etiam, acceptumque erit, quid noſtri homines quocumque tempore poëticâ facultate valuerint, aperire, & optima illorum carmina, Latini ſermonis cultoribus perpendenda, imitandaque proponere: quæ

vir-

virtutis ſemitam, non ut plerique falsò autumant, arduam, horridam, vepribus, dumetiſque ſeptam undique, & veſtitam, ſed facilem, ſpatioſam, amœnam, & jucunditatis uberrimæ plenam eſſe demonſtrabunt, & animos ad honeſtam cupiditatem laudis, atque gloriæ inflammabunt. Accedit etiam, quòd interea nomina, carminaque nonnullorum Poëtarum, qui quamvis ſint commendatione digniſſimi, tamen (tanta eſt hominum deſidia, atque ſocordia) in ſummâ obſcuritate verſantur, in memoriam revocabo. Quod ſi Cicero Romanæ facundiæ princeps, jure meritò gloriabatur, Archimedis ſepulchrum ignoratum ab Syracuſanis indagaſſe, & ita nobiliſſima Græciæ Civitas, quondam verò doctiſſima, ſui Civis unius acutiſſimi monumentum, ab homine Arpinate didiciſſe: quantò præclariùs erit mihi, qui ingenio utor ſatis infirmo, nullâque polleo facultate dicendi, non unius tantùm viri, licèt ſolertiſſimi, inane ſepulchrum, ſed tot clarorum virorum nomina, tot eximia, maximaque ingenii monumenta, a ſqualore, & te-

ne-

nebris excitare, & publici juris facere; nam ut multi ſapienter affirmant, utiliorem navant operam Reipublicæ litterariæ, qui eruendis e ſitu Bibliothecarum lucubrationibus veterum incumbunt, quàm qui novos cudunt libros; libri enim novi, ſi quid boni continent, ab antiquis plerumque mutuari ſolent. Sed quum ea ſit humanarum rerum conditio, ut nihil integrum, perfectumque ſit, & ab omni parte beatum, & ut inquit Poëta:

.... medioque in fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angit:

ita Poëſis ipſa, ſapientiæ comes, morum magiſtra, & Heroum fortia facta, & ipſius Dei Optimi Maximi, divinas laudes celebrare ſueta, tamen ab hoc ſummo rerum apice nonnumquam delapſa, vili hæderâ, ſordidoque myrto turpiter redimita, calamiſtrata fronte, & unguentis delibuta, inverecundos, procaceſque cecinit amores; & nonnulli Poëtarum, arctiſſimis Amoris laqueis perditè irretiti, dum genio indulgent, dum melli-

to cantu decipiunt aures argutas, dum inani lætitiâ animos demulcent, peſſimè Reipublicæ, & moribus conſuluerunt; ita ut inficiari nemo poſſit, has laſcivas amoris illecebras, carminum dulcedine commendatas, & conditas omni ſuavitate verborum, altiùs mentibus inſediſſe, & fortaſſe multis ad peccandum fuiſſe incitamento. Quod ne etiam in his libris, qui nunc in lucem prodeunt, accidere poſſit, & ne dum Latinæ linguæ elegantiam conſectamur, morum candor, & integritas periclitetur, omnes hujuſmodi verſus, nimiâ improbi, & effrenati amoris voluptate perfuſos, pænitus tollendos eſſe putavi; & ut ſolertes, & induſtrii agricolæ antequam ligonibus frangant, & aratro proſcindant terram, & ſemen fractæ, proſciſſæque committant, excindunt vepres, ſtirpeſque noxias tollunt, agrumque ab herbis nocentibus purgant, ne lætæ, fœcundæque ſegetes, ſilveſtrium germinum exuberante luxuriâ, vel crebris radicum fibris lædantur; ita ego, qui in his voluminibus, ingenii cultum, nativum Romani ſermonis candorem, & Italici nominis gloriam

dumtaxat perquiro, extirpandas eſſe radices vitiorum, evellendas pravas protervi amoris opiniones exiſtimavi, ne ſurgentem virtutis meſſem enervent, opprimant, & cogant interire. Idcirco ingenuus Lector, nihil umquam reperiet in hoc opere, quod jura illibatæ probitatis offendat, aut violet; quod ſi aliquando in amatoria carmina inciderit, ſtatim animadvertet, hos amoris ſenſus, moderatè, modeſtèque eſſe pertractatos, & expreſſos, & ubique rationem habuiſſe honeſtatis, & pudoris; & parce tamen idipſum feciſſe, hac præſertim de re, ut omnes intelligere facilè poſſint, inter tot præcipua exempla Italorum Poëtarum, ſacra, ſublimia, grandia, ſevera, jucunda, urbana, hæc etiam terreni amoris non deeſſe, quæ ad hoc poëſeos genus indicandum inſervire poterunt, & eorum paucitate, tacitè innuent, quanta ſit adhibenda cura, & diligentia, ne homines Cupidinis blanditiis, jociſque deliniti, veri æternique Numinis, & Redemptoris noſtri, divinum, cœleſtemque amorem parvipendant, atque deſpiciant, quod unicè,

cè, & toto corde, ore, & opere, honorandum, colendum, diligendumque eſt. Habes in his poëticis lucubrationibus, candide Lector, varium, & opulentiſſimum rerum, & doctrinarum omnium theſaurum, undè facilè poſſis cuncta depromere, ſive te eloquentiæ ſplendor, ſive Latinæ linguæ cultus, ſive poëticæ facultatis ſcientia, ſive præcepta ſapientiæ, & morum doctrina delectat, ac movet. Utere igitur quantum libet, & his diſertiſſimis ſelectorum carminum Auctoribus enitere pro viribus quam ſimillimum fieri. Unum adhuc ſupereſt, de quo te certiorem facere maxime cupio, id nempe eſt, carmina nonnullorum poëtarum, quæ nondum typis commiſſa, nunc primum in publicam lucem prodeunt, ex inſtructiſſimis, ornatiſsimiſque Bibliothecis, quibus aſſervabantur, ſumma fide, ſummoque ſtudio a me educta fuiſſe, quarum præcipuæ fuerunt, Medicea Divi Laurentii, & Strozzia, Codicum primæ, optimæque notæ, ut omnes norunt, refertiſsimæ; his acceſſerunt Salvinii, Bargiacchiique quamplurima variorum Aucto-

ctorum manuſcripta carmina, mihi, pro ea qua pollent humanitate, libenter impertita, quorum Bibliothecis me plurimum debere, in his libris conquirendis, candidè fateor: & has omnes hic ego libenter commemoro, tum ut ſciant, eruditi Lectores, ex quibus locis ſcripta hæc deprompta fuere, tum quia plenum ingenui pudoris eſt, fateri per quos profeceris.

CATALOGUS

ITALORUM POETARUM

Tomi Primi.

ACcoltus Benedictus.	*pag.* 1.
Accoltus Fabritius.	443.
Acorambonius Octavius.	445.
Adjunctius Nicolaus.	446.
Adrianius Joannes Baptiſta.	7.
Adrianius Laurentius.	8.
Alamannius Aloyſius.	447.
Albanius Ignatius.	45.
Albanius Joannes Baptiſta.	456.
Albertinius Philippus.	457.
Alciatus Andreas.	53.
Aleander Hieronymus.	101.
Aligherius Dantes.	115.
Allegrius Alexander.	473.
Allius Peregrinus.	119.
Altilius Gabriel.	129.
Amaltheus Hieronymus.	136.

Amal-

Amaltheus Joannes Baptiſta. 148.
Amaltheus Cornelius. 178.
Amanius Paulus. 185.
Andrelinus Publius Fauſtus. 186.
Andreolius Antonius Felix. 478.
Angelius Petrus. 191.
Angelius Antonius. 238.
Angelius Jacobus. 479.
Angerianus Hieronymus. 252.
Anſelmius Georgius. 299.
Apoſtolius Joannes Franciſcus. 307.
Archius Nicolaus. 326.
Arcutius Joannes Baptiſta. 328.
Ardizus. 483.
Areoſtus Ludovicus. 342.
Argilenſis Gaſpar. 362.
Arnolphinius Pompejus. 362.
Aſculanus Eurialus. 488.
Averanius Benedictus. 373.
Augurellus Joannes Aurelius. 408.
Auriſpa Joannes. 489.

CAR-

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

BENEDICTI ACCOLTI
ARETINI S. R. E. CARDINALIS

CERERI.

ET ſurgunt lætis pubentia gramina campis,
Et favet optato pulvere mitis hyems.
Et tibi magna Ceres ſegetem luſtramus, & agros
Et tingit ſanctos bucula ſacra focos.
Tu face ne vanis meſſis non ludat ariſtis,
Sed rumpat victis horrea limitibus.

NYMPHIS.

Hanc quercum Nymphis propriam dat habere Philemon,
Et ſacrat pura lilia ſecta manu,
Venatu aſſiduo feſſum quod Pana canendo
Permulſit, ſancti numinis auctus ope:

Quem ſi nota iterum recubantem juveris umbra,
O quæcumque ſacro hoc vertice, Nympha, lates:
Tunc non flore modo, & pictis celebrabere ſertis,
Sed tenera agreſtes imbuet agna focos,
Spumanteſque dabit pateras, lactiſque, merique,
Sufficiens blandis plena caniſtra roſis.

NYMPHIS.

Quod viridi hac olim proſtratus in ilicis umbra
Audaci reges mulſerit ore Lycon,
Spargit humum foliis, & ramis arboris altæ
Suſpendit pura florida ſerta manu.
Vos umbram æterno, Nymphæ, celebretis honore,
Et veſtro ſemper munere tuta cadat.

FISTULÆ.

Fundimus aëriis poſtquam verba irrita ventis,
Noſtraque neſcio quis præmia Paſtor habet;
Hic ſuſpenſa alta pendebis, fiſtula, quercu,
Muſarum dulces promere docta ſonos.
Immunes ſic veſtra ſedent ad pabula fuci,
Et vos non vobis mellificatis apes.

INVIDIÆ.

Quæ lætos hominum cœtus, lucemque peroſa,
Polluis obliquis omnia luminibus,
Atque animis inſtans ſemper melioribus, illos
Indignis urgens inſidioſa modis,
Invidia infelix, ſævo cui crimina cordi,
Et quæcumque bonis artibus officiunt,
Hos tibi dat geminos ſpiris ingentibus angues,
Et ſpargit triſti limina felle Lycon:
Tu gregibus teneris oculos averte nocentes,
Tutaque jam niveo vellere balet ovis.
Infames potius ſcopulos, atque antra Charybdis,
Tinctaque ſanguineis fluctibus arva pete:
Illic inficias triſti, licet, æquora tabo,
Et nova ſævitiæ des documenta tuæ.

LYCORIS.

Dum meus has coluit ſedes, & paſcua Daphnis,
 Et potum hac paſtas ſedulus egit oves,
Langueſcunt latis quæ nunc morientia fundis
 Surgebant viridi gramina picta ſolo,
Et pellucenti ſplendebat rivulus unda
 Invitis qui nunc per juga ſerpit aquis:
Quod ſi aditum tulerit ſolita luſurus in umbra
 Nec procul amplexu ſe cubet ille meo,
Exurgent pictis gemmantia gramina fundis,
 Moxque fluet nitidis rivulus auctus aquis.
Talia ſæpe canens ſummo de colle Lycoris,
 Immites blando detinet ore feras.

PANI.

Quæſitum extremis, Pan maxime, ab uſque Britannis
 Hunc paſtor catulum dat tibi habere Lycon:
Qui tibi procurva cingenti indagine colles,
 Indefeſſus eat per juga ſumma comes,
Sylvarumque ſagax, latebris horrentibus, actas
 Vel ſævas properet ſollicitare feras:
Tu ne temne breves anguſti corporis artus,
 Exiguis membris vis numeroſa latet.

MUSIS.

Muſæ, quæ virides ſaltus, quæque abdita Pindi
 Humano colitis non adeunda pede,
Ne vos, ne pigeat denſis diſcedere ab umbris,
 Antraque muſcoſo linquere picta ſolo:
Lethifer immiti quamvis nunc ſydere paſſim
 Uſta premat longa Sirius arva ſiti:
Molsa meus veſtros coluit qui ſemper honores,
 Cuique dedit ſacros Phœbus inire choros,
Jamdudum graciles morbo tenuatus in artus,
 Extremam in mortis limine poſcit opem;
Ergo herbas, ſuccoſque ſimul properate ſalubres,
 Et medicæ quicquid Cynthius artis habet:

Non levis exiguis aderit nam gloria factis
  Vos uno incolumi reſtituiſſe duos.

FAUNO.

Has alas, unguesque Lycon, procurvaque roſtra
  Appendit foribus munera, Faune, tuis,
Cæteraque inſperſis nudans eviſcerat aris,
  Atque adhibet tenues ad tua ſacra modos,
Quæque ſibi gelidis jam ſint properanda pruinis,
  In gyrum torquens vimina lenta parat,
Quîs incluſa olim, viſcoque excepta tenaci
  Ipſa avium vulgo noxia turba cadat.
Te cum triſtis hyems Scythico ſe proferet antro,
  Aucupio felix perge favere novo.

PANI.

Hic, ubi pendenti poſitis in vertice templis
  Cyriacus tumidas deſpicit altus aquas,
Pinguibus ecce Lycon aras circundat ariſtis,
  Inque hyeme æſtivi convocat orbis opes,
Ac mediis tutas velans Aquilonibus arces
  Jungit odoratis florida ſerta roſis,
Et pruna incurvis addit pendentia ramis,
  Qualia vel ſicci vix peperere dies:
Pro quibus, æternum rogat hæc Pan floreat Ancon
  Te duce commiſſos dum regit ille greges.

NEPTUNO.

Vota tibi undarum rector, dum littore Damon
  Hoc primum ſolvit, vix numeranda facit,
Ignotumque aperit roſtris tridentibus æquor
  Paſtorum celebres ſuetus inire choros,
Tu modo lentanti cano ſub vortice remum
  Adſis, & intorti gurgitis alta ſeca:
Non ut longinquos volitet prædator ad Indos
  Vaſtaque mutatis mercibus arva legat,
Ipſe ſed ut vectus circum hæc ſua littora puppi
  Se duce, ſecurus otia Daphnis agat.

NE-

NEPTUNO.

Vota tibi hoc primum ſolvens de littore Damon
Pro dulci reditu vix num.randa facit:
Annueris Neptune pater, fluctuſque tumentes
Des precor inſolitæ ſternere poſſe rati.
Illum jam nemorum ceperunt tædia, & antris
Nunc tandem multa eſt jam ſibi dicta ſalus.
Olim cum verſo ſpumabunt cerula remo,
Lætaque inoffenſo remige tuta leget,
Candentem cernes curvo tibi littore taurum
Purpureo ſacros amne rigare focos.

INNOCENTIÆ.

Quod duce te horrentem fuerit contemnere molem,
Hoſtiaque æratis obſita roboribus,
Quodque hominum immanes fraudes,facinuſque nefandũ
Deſpiciam, & mortis ſingula plena metu,
Te veneror, ſylvæ Virgo, quæ læta per hujus
Illæſo peragras avia cæca pede,
Et propriæ ſolita es decerpens laudis honores
Innocuis robur addere pectoribus.
Nunc, tibi ſi puram ſemper mentemque animumque
Servavi, ac templis congrua dona tuli,
Hunc ferri ſtridorem inter, & iniqua furentum
Verbera, te dignos tu mihi præbe animos.

SOMNO.

Nox ruit, & cœlum fuſcis invecta quadrigis
Umbroſam molli frigore opacat humum,
Atque adeo curis hominum genus omne repulſis
Languida concepto membra ſopore levat:
Nulla tamen feſſam reparant oblivia mentem,
Et refugis noſtras tu quoque, ſomne, preces:
Somne, animi requies, curarum, ſomne, levamen
Huc ades, & ſanctum fer taciturne pedem,
Imbutumque gerent lethæo gurgite ramum
Fac rore immadeant tempora victa levi,

Curarum obſtantes demum propelle catervas,
Et mihi ſecuro ſit tua dona ſequi,
Ut neque me everſi tangant incommoda ſecli,
Nec renovent triſtes tempora ſæva metus;
Ipſe tibi floreſque feram caſiamque recentem,
Dulce ſonans facili qua fugit unda pede,
Et tibi, purpurea inſurgat cui vertice criſta,
Ales diſſecto gutture tinguet humum.
Nunc tua defeſſos tandem vis alliget artus,
Dum juvat, & cœlo lucida ſigna cadunt.

Verſus in Urnula Catellæ inſcripti.

Quiſquis Heri hæc monimenta mei mærentis adiſti
Eſſe putes meritis inferiora meis.
Lætior ejusdem cordis nunc ſumma pererrans,
Uberius functis perfruor officiis.

ALCON.

Pendêret ſummis Adriæ dum fluctibus Alcon,
Et fruſtra extremis fideret auxiliis,
Vectillam ingeminans vix exclamarat amatam,
Cum ſubito inflati ſternitur unda ſali.
Curarum quid ni præſens nos liberet æſtu,
Quæ ſolo iratas nomine ſedat aquas?

PACI.

Reſtituis feſſis quòd te Pax aurea rebus,
Cultaque compoſitis litibus arva nitent,
Turba tibi hæc meritò ſeſe lætiſſima fundit,
Et premit agreſtes fronde revincta comas,
Quaque oleæ hoſpitiis ſoles felicibus arcent,
Solenni celebras ſacra novanda die.
Tu bona ſis, faciliſque tuis allabere donis,
Moxque tuo auſpicio candidus annus eat.

DIVÆ VIRGINI MARIÆ.

Alma parens, ſummo nati quæ numine torques
Sydera, & hoc, quicquid cingitur Oceano,

Qua

Qua tibi, per dumeta, jugis conſurgit Etruſcis
 Templum & Lunenſi marmore fulget opus,
Hic tibi, depulsum ob morbum, Florentia ſerta
 Demetit, intacta Thuſca Camilla manu.
Tu puram illius mentem, faciemque decoram
 Eſſe ſinas, pulchri, perpetuo effigiem.
Dum fugat exoriens tenebras pulcherrima Acanthis.
 Sol ubi ſe in magnum condidit Oceanum,
Et lucem reddit flammantibus inclyta ocellis,
 Auroræ ſuperans ore nitente jubar;
Tum licet, imbutos pulchri fine, atque beati,
 Divûm fortunis omnibus affluere;
Et juvet Eois ſolem conſidere in undis,
 Uberius ſiquidem proximus iſte beat?

JO: BAPTISTÆ ADRIANII

FLORENTINI.

Ad Joannem Medic. Cardinal. de Petro Victorio.

MUlta tuæ juvenis venerande inſignia fortis
 Munera, plura animi, & vera fuere bona:
Ingenium, ſancti mores, virtuſque parentum,
 Et genus, & regum copia magnificum,
Purpureumque decus, ſacræ tum frontis honores:
 Quod datur eximiis non niſi rite viris,
Et vegetum florens annis, & robore corpus,
 Et color in pulchro corpore virgineus,
Et quidquid ſana vix quiſquam mente rogavit
 Dum pudet id clara poſcere voce, deos.
Illa igitur caſtæ bona tot præclara juventæ
 Mors tecum heu noſtris obterit ex oculis.
At tua dum celebrat Victorius ore rotundo
 Hæc decora, & ſacro fungitur officio:

Illa eadem, aut meliora refert, quæ tempore nullo
Vis nulla, aut poſſit nulla abolere dies:
Perpetuo ut vigeant tecum decora illa juventæ,
Perpetuo ut de te fama loquatur anus.

In obitu Michaelis Angeli Bonarotii.

Qui, Bonarote, tuas laudes æquare putarit
Se poſſe, aut oculis hic ſtupet, aut animo;
Nam, cum tu Heroas fingis, Divoſque, Homineſque,
Pingiſve, aut moles tollis ad aſtra novas;
Nec natura petit, nec mos quicquam, aut decor ultra
Omnibus his ſemper tu ſatis unus eris.

LAURENTII ADRIANII
BELGÆ LUCENSIS.

DISCORDIA TRIUMPHATA.

UT primum aurato Pax alma refulſit Olympo
Edita, ut infandæ cupientem cladis Enyo,
Et rabiem paſſa ultricem dein perculit hoſtem
Immanem, partoque inceſſit læta triumpho
Aggrediar cantu. Vos ò pulcherrima Cœli
Lumina, ſyderei vigiles, alata juventus,
Quandoquidem jam tantarum primordia rerum
Vidiſtis, regite audacem per devia curſum,
Per vetera, & felix date facta attollere carmen.
Poſtquam ſecreta nituit caligine mundus
Flammantique oſtenſa Polo Titania lampas
Dulcia jucundæ diffudit munera lucis,
Nec non omnipotens Auguſtæ conditor Arcis
Corporeæ expertem molis, celeremque creavit
Imperio pubem, quæ ſontis neſcia cura
Incoleret certo ſuperas ex ordine ſedes
Pax genita: Illa Chaos nigranti incluſit Averno,
At-

Atque tulit ſtabilem prima inter ſemina legem,
Ut quamvis vario ſtarent contraria niſu
Concordi rerum ſervarent fœdere formas.
Ergo ſupremis hæc acceptiſſima Divis
Regnabat, cùm ſummotæ fera filia noctis
Ardens Invidiæ facibus ſeſe extulit altè
E latebris, cæptisque immitibus ire per axem
Haud verita, horrendi cauſas diſcordia Belli
Jecit, & hoſtili perterruit Aſtra tumultu.
Quis referat faciem inviſam, ſpeciemque furentis
Terribilem monſtri, nigro ſquallentia tabo
Ora madent, fuſcæ dependent turpibus alæ
Ex humeris, molli pro crine, levique capillo,
Stridentes tollit ſinuoſis orbibus hydros.
Quin gladium (dictu mirabile) vibrat hiatu
Horrifico, haùd aliter triplicem quam lubricus anguis
Cum linguam exertans tremulo micat ore, gravique
Halitu, & ætherias afflatibus inficit auras.
Tali habitu magni acceſſit penetralia Cœli,
Per tenues volitans cætus, exorſa nefandum
Dira nefas, primæ ſævit crudelia pugnæ
Crimina; tum denſis vehemens immixta maniplis
Exacuit puras fæda in certamina mentes.
Proh ſcelus indigno pubes inſtincta furore
Elatis diviſa animis, hauſitque rebellem
Perfidiam, dum ſupremo ſe æquare Tonanti
Molita, haud ſolio, & rebus contenta ſecundis.
Sed fidæ manſere acies, fida agmina, Regem
Conjurata ſequi, teliſque micantibus hoſtem
Urgere, in vetitum quemcumquè horrenda libido
Regnandi egiſſet, contrà mucrone coruſco
Conſtitit Aligerûm ductor, cui ſumma poteſtas
Suſcipere exutas mortali corpore vitas,
Ultricem evibrans haſtam, & fugientibus inſtans.
Præcipiti extemplò dejecta per æthera lapſu
Nigra Phalanx, denſâ mixtos ceù grandine nymbos
Fundit hyems, sub turpe Chaos, ſub inhoſpita Regna
Corruit, ardentes Phlegeton ubi torquet arenas,

Ar-

Ardentes fluctus, illa at cruciatibus acta
Miris, horrendum ſtridet, mugitque, ſuperbo,
Et frendens meritas ſolvit pro crimine pœnas.
  At Divum genitor ſcelus exitiale cruenti
Monſtri indignatus, poſthac nè ad ſydera ferri,
Neu ſuperam turbare aulam, Pacemve liceret,
Decreto æterno ſanxit, voluitque perennè
A ſanctis longè fraudes, longè impia vota
Eſſe animis, iterum triſti ſuccumbere culpæ
Nè poſſent, miſeramque Polus perferre ruinam.
  Interea ſcelere exultans furialis Enyo
Maternis latè errabat commixta tenebris,
Jam ſegnes exoſa faces, cum maximus Orbis
Regnator dedit humanæ primordia genti
E vili ductæ argilla, primoſque parentes
Sub miti poſitos Aſtro, ſub Sole tepenti,
Floriferiſque æternum arvis, ubi purior aura,
Et placidæ ſine nube dies, ignara laborum
Tempora, & innocuum traducere, juſſerat ævum.
Errabant vitrei nunc circum littora Gangis,
Hinc puros latices magno de fonte trahentis
Memnonium aucturi pelagus, nunc propter opaci
Delicias nemoris, lætos aut gramine campos,
Prataque purpureo nunquam viduata colore.
  Sanguineam huc torquens aciem diſcordia tantæ
Invidit ſorti, tacitoque invecta volatu
Felicem in ſedem, ſequitur quam triſtis ab Orco
Tyſiphone in faciem oblongi converſa colubri;
Fortè ad fatalis conſtratos arboris umbram
Ambos invadunt homines, prior illa: quid, inquit,
Ceſsâtis dextra mitem decerpere fætum,
Cui vis alta manet? quid inanis pectora lethi
Horror habet? trepidam tali formidine mentem
Solvite, nulla hic inviſæ diſcrimina mortis,
Jucunda at merces, veræ at ſincera voluptæ
Gaudia, quæcunque in Cœlo immortalia norunt
Numina, quicquid amant, ſeu deteſtabile damnant,
Haud vos effugiet, Diis vos æquaſſe licebit.

Suc-

Succeſſere doli, funeſta & munera labris
Admota, heù virus prolem effudere per omnem,
Cum patrio, ac terris abruptum fædus Olympo.
At miſeri infandum ejecti fælicibus oris
Ignoti vitam in curis, lacrymiſque trahebant
Duro inſudantes operi; Sic pallida membris
Eſuries arcenda, dapes namque aſpera tellus
Haud indulgebat niſi vi, curviſque ſubacta
Vomeribus, mœſti tantum ſolatia caſus
Amplexi dulces communia pignora gnatos,
His longum exilium, miſeranda & fata levabant.
Bini incendebant chari genitoris amorem
Egregio inſignes vultu, ac florente juventa
Aſſueti, aut facilem raſtris invertere glebam,
Venandi aut ſtudio virides luſtrare receſſus
Sylvarum, in ſolis aut paſcere collibus agnos.
Quis credat? Dira huc fraudem convertit, & artem
Tartaream intendens, fixis in pectore tædis
Alterius, rabidæ juvenem flagrantibus egit
Invidiæ ſtimulis, odiiſque accendit iniquis
In fratrem haud meritum, quod ſummo accepta Tonanti
Dona daret, ſacras & ritè litaret ad aras.
Ergo illum infauſtæ nodoſo ſtipite quercus
Conſcia nequicquam tendentem ad ſydera palmas
Obtruncat fratrem frater ſcelerique cruento
Facta via eſt, tali immaduit dum ſanguine tellus.
Tunc primum (raros & alebant arva colonos)
Innocuum validos curvari robur in arcus
Cæpit, paulatim ferrata cuſpide tela,
Mox etiam rigidi duris incudibus enſes
Prolati, excuſa hinc clypei ſeptemplicis æra,
Aptatæ & capiti galeæ, poſt quam ardor habendi
Irrepens latè externos invadere fines
Impulit, audaces traxitque in prælia turmas.
Nec tamen hic peſti requies, finiſve malorum
In majus converſa nefas immiſcuit atram
Noctem animis, cæcumque diu perpeſſa furorem
Relligio, ingemuit denſis oppreſſa ſub umbris.

No-

Notus Idumæa tantum (miſerabile dictu)
In regione Tonans; Septem qua regna Trioni
Subdita, quà ſpirant tepidis afflatibus Auſtri,
Quà roſeus Titan oritur, qua mergitur unda
Heſperia ritu fœdarant cuncta profano
Mortales, auſi celſum, & venerabile Numen
E mente excutere inſana, flavoque ſub auro,
In Pario aut gelidos effingere marmore Divos.
Pax igitur tandem diuturno victa dolore
Æterni accedit ſolium mœſtiſſima Regis,
Tunc ſic affatur: Rerum inviolata Poteſtas
Qui mare, qui terras, qui concutis omnia nutu,
Cernis ut atroci volitat Diſcordia faſtu
Victricem oſtentans palmam, fruiturque ſecundo
Fraudum ſucceſſu? Immanis pars nulla ruinæ
Expers; æthercam quondam crudelibus auſis
Arcem turbarat, ſævis dein concita flammis
In res humanas penitus mortalia regna
Subvertit; capta inſidiis, atque arte nefandâ
Heu paſſim tellus infenſo ſervit Averno.
Parce Pater, parce Omnipotens, ne deficc rebus
Collapſis, dudum ſuperâ velut exulat aulâ,
Sic, oro, cedat feſſis diſcordia terris,
Atque Acherontæi condatur faucibus Antri.
Pax ea; tum vultu Omnipotens, quo mira beatis
Civibus, atque uſque attonitæ nova gaudia menti
Indulget: Virgo, tales è pectore curas
Mitte, inquit, roremque oculis compeſce cadentem.
Jam penè exactum luſtris volventibus ævum
Aerumnis metam ſtatuet, cum Gnatus in imam
Deſcendet, quem cernis, humum, parvoſque Penates
Ipſe etiam mecum Omnipotens, rerumque Creator
Incolet, in fragili Numen contectus amictu;
Qui prius ætheriam triſti quam morte juventam
Exuat, ut veteris tollat contagia culpæ,
Immortale tibi decus afferet, Optima Virgo,
Exemplo, mitiſque feret tua fœdera Pacis.
Tunc ſceleri modus: afflictam calcabis Enyo

Ipſa

Ipſa pede, incaſſum Eumenides tetro ore cientem,
Jactantemque minas, dein centum vincta cathenis
Concluſa in Stigiæ ſquallenti carcere ſedis
Perpetuum terras inviſa peſte levabit.
Evenere, Deum nuper ſub paupere tecto
Vidimus Arctoæ tolerantem frigora brumæ,
Indutum noſtros artus, rerum omnium egenum,
Nunc illum poſtquam dictis demulſit amicos
Biſſenos, canæ præcinctum tegmine veſtis
Accurvo, & pedibus ſpargentem corpore lymphas,
Aſpicite; at libat dum Sanctis oſcula labris,
Interea jubet ultrices ſubſidere corde
Iras, exiliumque odiis indicit acerbis,
Atrox ut toto cedat Diſcordia mundo.
Hanc igitur magno devecta per aëra gyro,
Dum vacuas implet querulis ululatibus auras,
Extremo vinctam curru Pax alma triumpho
Oſtentat merito, tandemque ex æthere celſo
Præcipitat; vaſto tunc ſe ſe findit hiatu,
(Horrendum dictu) lapſamque in Tartara tellus
Abſorbet, diras augens ubi ſæva ſorores
Exterret ſontem fæda ſub imagine turbam.

AMORIS POTENTIA.

O Deus, o magni Proles æquæva Parentis
Terrarum Cœlique potens, qui cuncta perenni
Conſilio, & mundum ſupremo Numine torques,
Quis te ſublimi regni ſtellantis ab Arce
Humanas petiiſſe domos, humileſque receſſus
Quis regem, ac vitæ Dominum mortalia ferre,
Quis famulis, poſitoque genu ſervire coëgit
Spargentem pedibus lymphas, dextraque lavantem
Divina, vaſtum latè quæ condidit Orbem?
Tu mihi, Sancte, fave, tu præſta in carmina vires,
Ut referam digno tam grandia munera cantu.
Nondùm Sydereum curru pulsabat Olympum
Phœbus, & obſtantes pellebat luce tenebras,

Mo-

Mole nec undarum turgebant æquora ponti,
Librata aut medio pendebat in aëre tellus,
Non motus, non tempus erat, non ardua mundi
Compages, cùm natus Amor. Malè cogitat amens
Atque indigna canit, qui blandi nomen Amoris
Largitur ſcelerum cauſæ, gnatoque Diones
Ante igitur quam ſtelliferum ſuſpenderet axem
Altitonans, condendi hominis, qui ſe ipſe referret
Qui trini fulgens foret Omnipotentis imago
Numinis, atque expers lethi traduceret ævum,
Flagravit deſiderio; face fluxit ab iſta
Pulcher Amor, ſic prima oriens exordia ſumpſit.
  Ex illo nunquam ſolio diſceſſit ab alto,
Autorique ſuo ſemper conjunctus adhæſit;
Qualis ubi incedit ſplendenti in Sole viator,
Subſequitur paſſim veſtigia mobilis umbra,
Divellique nequit, ſeu per ſpatia ampla viarum
Decurrat, ſeù membra ſolo defeſſa reponat,
Subſiſtit ſimul illa, ſimul comitatur euntem.
  Condita ſed poſtquam rerum Natura Tonantis
Imperio, poſitique horti felicis in arvis
Ambo homines, vaſti ceperunt orbis habenas,
Tunc voti compos, mirà ac dulcedine lætus
Fit propior, propiorque Deo, neque deſerit unquam
Mitis Amor, face quin altum contingere Numen
Auſus, & humanis adeò conjungere rebus,
Ut ſuaves hîc delicias, gratumque receſſum
Quæreret, aurati oblitum ſua sydera Cœli.
  Intereà (meminiſſe piget, mæſtoque referre
Carmine) divinæ ruperunt fœdera legis
Primi homines, Stygia decepti fraude Colubri
Adgreſſi virides dextra contingere ramos,
Carpere dein roſeum fatali ex arbore pomum,
Libavere dapes vetitas, hinc omne malorum
Invectum genus in terras, illique beatæ,
Heu miſeri! ſacro dejecti a limine ſedis.
Quæ tunc mæſtities perculsum oppreſſit Amorem!
Quis dolor! ex illo aſſiduis fleviſſe querelis,

Ter mille (o mirum!) ſæclis labentibus annos,
Luceſque innumeras perhibent, ac dulcia vota
Fundentem æthereo Regi, ſolatia tanto
Apta malo, auxilium damno, veniamque rogaſſe.
His victus tandem precibus dominator Olympi
Reſpexit res humanas; ignoſcere genti
Funeſto exilio feſſæ, diriſque periclis
Jactatæ, ac longum ſtatuit finire laborem.
Ergò crudelem non ultra paſſus Avernum
Indignis ſævire odiis, ex æthere Gnatum
Æternum, æqualemque ſibi demiſit, & illum
Excepit Solymas inter pulcherrima nymphas
Nupta Deo paritura Deum caſtiſſima Virgo,
Mundoque optatam toti latura ſalutem.
Sed poſtquam pura Sanctæ Genitricis ab alvo
Rerum opifex, dias veniſti in luminis oras
Quale tibi oſpitium, Pariis quæ tecta columnis
Subnixa, ac dignos cœleſti Rege Penates
Legiſti? O amor! ah pietas! o maxima noſtri
Cura! ſub exeſæ muſcoſo naſceris antro
Rupis, & algentis crudelia frigora Brumæ,
Inſani Boreæque minas, Euroſque furentes
Heu pateris! parvo ſtipulæque arentis acervo,
Aut ſtrata recubans herba, vagitibus ipſis
Nec non lacrimulis perfrundens ora, fateris
Ad cuncta humanæ te natum incommoda vitæ.
Sic teneros annos, roſeæ ſic prima juventæ
Tempora, ſub vili ſquallentis culmine tecti
Pauperio in dura duxiſti, & rebus egenis;
Ne quem fortè ſuæ meditantem immitia ſortis
Vulnera, caſuſque adverſos, & triſtia fata
Indignæ obruerent curæ, ſed dia ſecutus
Exempla, averſatus opes, perituraque, tantum
Spectaret cœli patriam ſeptemplicis arcem.
Jamque propinquabat confecti terminus ævi,
Quo Pater Omnipotens ſæva de morte triumphum,
Quo debellato palmamque referret ab Orco,
Panderet ac ſuperam miſeris mortalibus aulam;

Cum

Cum juſſit mediis poni convivia tectis;
Solemneſque ex more dapes, menſaſque parare
Biſſenos ſocios, ac caſto veſcier agno.
Ibat Amor paſſim, tantorum maximus Auctor
Hic operum magno Regi, ſemperque laborum
Hortator, ſummis ex quo delapſus ab aſtris
Virginis in gremium mortales hauſerat artus,
Tunc igitur tales effudit pectore voces:
Nate Deo, magnis, quæ nec ſperaſſe licebat,
Muneribus donati homines, te cive ſuperbit
Terra ſuo, quin ſe fraterna in jura vocatam
Lætatur, nec ſublimi jam cedit Olympo,
Sed tamen heu regnant animis diſcordibus iræ,
Hinc odia, hinc lacerat veſanus pectora livor,
Dum trahit, imperiique alios jucunda voluptas
Hi parere dolent, quoque parvos intrat Enyo
Fœda lares, linquens ſceleratæ ſemina culpæ;
Tu tantis occurre malis, & pace reducta
Impia luctificum depelle in Tartara monſtrum.
Dixerat, at genitor flammis ingentibus actus
Imperat extemplo puris in pelvibus undam
Adferri, nec non tonſis mantilia villis
Biſſenoſque ſuis diſcumbere ſedibus omnes
Heroes, ad quos roſeo ſic incipit ore.
Quandoquidem, ſocii, ſuprema ad munera ventum eſt,
Et nos fata manent, ut diſcors cedat Erymnis,
Ac deinceps toto ſurgat Pax aurea mundo,
Atque ut eant ſancti longinqua in ſæcula ritus;
Vos opus hoc noſtri monumentum, & pignus amoris
Accipite, & ſeri ſervent exempla Nepotes
Vix ea fatus erat, cano præcinctus amictu
Connixuſque genu, dextra qua condidit orbes
Cœlorum, terramque imam, pelagumque profundum,
Attonitæ comitum turbæ famulatur, & inſtat
Abluere invitos, pedibuſque aſpergere lymphas,
Pacem orans, ſtabili commendans fœdere Pacem.
Quis tacita ſecum meditatus talia mente?
Quis generis fontem noſtri, viliſſima nec non

Prin-

Principia, exiguam juncto de pulvere partem,
Atque informe lutum, dein alti Numen Olympi
Immenſum Omnipotens, & inenarrabile, nullis
Incluſum ſpatiis, deſcriptum limite nullo
Non trahat ex imo mœrens ſuſpiria corde?
Dulcibus & lacrimis non toto indulgeat ævo?
Quare agite, hunc humiles cuncti celebretis honorem
Mortales, nunquam tanti jam gratia facti
Excidat ex animis, ſacras at ſidera luces
Dum revehunt converſa, monent proliſque labores
Divinæ, funuſque atrox, renovate faventes
Solemne officium, ſolemneſque ordine mores.

LAURENTIO ABBATI CORSINIO

Nunc S. R. E. Cardinali Ampliſſimo

Cùm ſupremum in Juriſprudentia gradum conſequeretur.

Purpureas huc ferte roſas, & fronde recenti
Spargite humum; templa ingreditur Corſinius almæ
Aſtrææ, magno proles gratiſſima Cœlo.
Ac ducente Dea, jam primo occurrit honori.
Cernite quæ ſummo delapſæ ex æthere Divæ
Se Juveni agglomerant; vultum hinc ſubmiſſa decorum
Procedit Pietas, latus illinc ſtipat euntis
Cana Fides, at Relligio dilecta ſorores
Et preit, & dulci ſe gaudens jactat alumno.
Fortunate nimis, cui magni Rector Olympi
Ingentem donis animam cæleſtibus auxit,
Avertitque ſolo; cura ergò haud gaudet inani
Mens tua Corſini, nec rerum inſana cupido,
Queis latè in præceps trahitur miſerabile vulgus,
Inceſſit, rapuitque dolis; ad mœnia Floræ
Namque tibi quamvis opibus cumulata ſuperbis
Alta Domus Thuſcis, Ligurumque in finibus agri

Vim magnam, & propria populos ditione coërcet,
Non tamen iſta tuis ſtat meta noviſſima curis,
Nec rapit incautum ventoſo gloria faſtu;
Ignotum moliris iter, nullique profano
Tentandum; humanos non formidantia caſus
Dona placent, hæc veſtigas, ardeſque potiri.
Magnanime ò Juvenis, patrium ſic itur ad axem,
Tuque viam affectas innato concitus æſtu;
Egregiæ at laudes, & celſa exempla tuorum
Inſuper irritant, ſtimuliſque haud mollibus urgent
Ardeſcentem animum, juvat auſus uſquè tueri
Eximios, nec non actum per grandia curſum
Facta legis, cupidè & cæptis ingentibus inſtas.
O utinam illuſtres animas memorare canendo,
O poſſem immenſas complecti carmine laudes;
Sed primo in niſu mens mole exterrita rerum
Deficit, infirmæque labant formidine vires.
Quis nam tendentem propero ad faſtigia greſſu
Carmeli ſacro fulgentem Heroa tiara
Sat digno tollat cantu, nomenque, decuſque
Commemoret? Supra Cœli ſeptemplicis axem
Concilio hic fruitur Divum, nova gaudia felix
Uſquè haurit, mentem præſenti, & numine paſcit.
Nos illi Pario ſtruimus de marmore templa,
Ac thure, & precibus Superum largimur honorem.
Quis duo præterea Sacri veneranda Senatus
Lumina, Romulidum Proceres? quorum alter Olympo
Jamdudum potitur, vitali veſcitur aura
Alter, quem ſtudiis priſcæ flagrantibus arces
Arreti, magno ſuſceptum munere Divum
Paſtoremque, Ducemque fovent; non juſtior illo
Quiſquam eſt, Heroem Pietas cœleſtibus æquat.
Nec tremefacta altos niſi mens formidet ad auſus
Te ſileam, Octavi, aut laudes, Americe, relinquam
Magne tuas, ſacris amborum tempora vittis
Infula obit; ſua jam leges hunc Flora canentem
Audiit æternas, aris, templiſque Deorum
Præfectum; aſt illum Perſiæ mœnia Tarſi
Ac-

Accepere Ducem (Urbs Cilicum pulcherrima Tarſos
Servitio heù miſera, & cæca jacet obruta nocte)
Non vos prætercam tacitos, de more vetuſto
Qui trabea inſignes patriæ rexiſtis habenas
Ingentes animæ, non queis facundia nomen
Alta dedit, placidæ ſancirent fædera pacis,
Seu magnis magni Reges de rebus agentes
Mirati audirent, non quos invictaque bello
Donavit virtus manſura in ſæcula laude.
Nec mihi Corſinæ lumen venerabile gentis
Tu noſtro (vires ſinerent) indictus abires
Carmine, Tyrrheno longè acceptiſſime Regi
O Heros, tantum cui recti incenſa cupido,
Sanctique unus amor, Tyrio conſpectus in oſtro
Cui frater, nec non præſtantis gloria prolis
Dulce decus, tacitæ cumulant & gaudia menti.
Sed non æthereas alis implumibus auras,
Nec tenui tranare licet vaſta æquora cymba.
Sic tua, Laurenti, cura eſt veſtigia Patrum
Obſervata ſequi; ſic te juvat ire viarum
Ardua, quo non ignavo torpore ſepulti
Degeneres animi aſp rent. En munere lauri
Crinem ambis; hæc venturi nunc ponis honoris
Celſa rudimenta, & laudi, decorique ſuperbo
Aſſueſcis, claris mox non majoribus impar
Virtutem latè extendens, nequè Patria tantum
Suſpiciet, magnus paſſim mirabitur Orbis.

PETRO ADRIANO VANDEMBROECKE

Viro Clariſſimo,

Cum eidem Academia Piſana vulgò Diſunitorum parentaret; Perorante Viro Præſtantiſſimo **FEDERICO NOMIO.**

Epicedium.

Dum tibi ſolemnem mœſti perſolvit honorem
Funeris, & grato victuras carmine laudes

Proſequitur Vatum cætus, dum Nomius alto
Eloquio te divinis Heroibus æquat;
Ipſenè prætercam tacito tua funera luctu,
Nec ſaltem incomptis numeris, heù, vulnus acerbum
Conquerar, & ſævi tradam argumenta doloris?
Ingemui largo perfuſus flumine vultum,
Cum lapsos oculos adſtans, atque ora tuerer
Languida, cum Lacheſim inſtantem, & certamine longo
Eluctantem animam feſſo de corpore ſolvi?
Has etiam cape nunc lacrimas, Adriane, recentes,
Quas tumulo inferimus, miſerandæ ac dona querelæ.
Tene igitur diri rapuit violentia fati?
Nec Muſæ comites, neque carminis auctor Apollo
Avertere manus avidas? heù nulla canendi
Vis divina valet ſævas mulcere ſorores;
Falſum eſt, vocali fretum teſtudine vatem
Iſmarium charæ potuiſſe arceſſere manes
Conjugis, & nervis victum Plutona canoris.
Si cantu fatum ſtaret, ſi dura referri
Jura darent ſuperi, haud unquam exitiabile telum
Torſiſſet Libitina, modis ſtupefacta ſuperbis
Heſiſſet niſu in medio, nec pallida letho
Vidiſſem heù gelido condi tua membra ſepulcro,
Ergo immota gravi languentem ſuſtulit ictu,
Exuit ac dulci crudelis lumine vitæ.
Arnus at abjecta nudavit arundine crines
Cupreſſumque dedit capiti circum, & ſua deflens
Damna miſer triſti devolvit murmure lymphas;
Auditæ querulis impleſſe ululatibus auras
Alphæis Nymphæ ripis, ac fluminis alveo
Aſſuetæ, quis enim monimenta illuſtria rerum
Æterno deinceps cantu protendat in ævum?
Ingentes etiam Floræ dolor attigit arces,
Hic vatis celebratus honos, hic flebile carmen
Manibus inferiæ allatæ, quin maximus oræ
Regnator Thuſcæ Coſmus, quo juſtior alter
Nec major pietate, viri miſerabile fatum
Indoluit, magnum verbis teſtatus amorem.

Nam-

Namque olli in rectum mens prona, & neſcia culpæ
Pectora, moreſquè innocui, non fingere vultum
Subdolus, occultas potuit neque nectere fraudes;
Longè animis tam fœda lues candore pruinas
Arctoaſquè nives vicit, quod corde gerebat
Clauſum imo, tantum puro defluxit ab ore.
Quid memorem quanto in ſuperos flagraverit æſtu?
Ut pius Heroum laudes, quos inclyta cœlo
Addiderat virtus, divino carmine vates
Extulerit? celſo inde Patri acceptiſſimus olim
Chiſiadi retulit ſacrato munus in auro
Ter magni effigiem Regis, multiquè Senatus
Romulei Proceres ſtudiis fovere merentem:
Quis credat? tamen heù caſus expertus acerbos,
Livorem tulit infeſtum, convicia linguæ
Mendacis, diræ inſidiæ, fraudeſque paratæ
In caput immeritum trepido nec pectore ceſſit
Ille malis, viſuſvè feræ ſuccumbere ſorti;
Sed veluti rupes latrantes excipit undas
Inconcuſſa, minas retudit, vicitque furentem
Invidiam, tectus præſenti Numine Divum.
Nunc verò tantis vitæ, defuncte, periclis
O nuper noſtri lux o pulcherrima ſecli,
Belgarumque, Adriane, decus, quæ debita merces
Virtuti, ſanctis quæ ducto in moribus ævo,
Securus tempeſtatum, tumidæque procellæ
In placida tandem cœli ſtatione quieſcis.
Concilio hic Superum gaudes, hic ora Tonantis
Adſpicis, ac dia plenam dulcedine mentem
Uſquè novæ ſubeunt ingentia dona voluptæ.
In terris (ſi Cœlicolas ea gloria tangit)
Nec ſubeunt prorſus noſtrarum oblivia rerum,
Hic quoque nobilium referes haud parva laborum
Præmia, nam quamvis rapidis anfractibus anni
Dilabi properent, quamvis voret omnia tempus
Aonio donec Pindo, Muſiſquè Latinis
Stabit honos, vives hominum immortalis in ore
Poſteraque egregium nomen mirabitur ætas.

Clariſſimo, & Excellentiſſimo Viro

LAURENTIO BELLINIO

Cum edito doctiſſimo Opere Univerſam Medicinam illuſtraſſet.

Aurea non falsò priſcis mortalibus ætas
Munere tunc Divum fulſit, cum nulla cruenta
Cauſa necis, cum nullius vis improba morbi
Dulcia formoſæ violavit dona ſalutis;
Aſt auſus poſtquam liquido ſe credere cœlo
Æteraſque domos funeſto irrumpere niſu
Japeto ſatus, invito ſacrumque Tonante
Surreptum æternis ex aſtris detulit ignem
In terras, ſubitò humanis contraria rebus
Exorta eſt facies, dira velut acta procella
Cæpere infauſto procedere ſæcula curſu.
Nam formæ viſu horribiles, immania monſtra
Protinus ingreſsæ ſuperas, facto agmine, ſedes
Incubuere ſolo, luctumque metumque pavoremque
Attonitis paſſim populis, ſtragemque dedere.
Præcipue febris, qua non crudelior ulla
Peſtis ab infernis unquam ſe ſe extulit umbris.
Omnia pervaſit late loca; Quantus hiatus
Fædi oris monſtro? quales e pectore anhelo
Dat ſonitus? ardent queis lumina torva favillis?
Quæ macies? trux in toto qui corpore pallor?
Dextra facem attollit, qua cum præcordia tantum,
Languentiſque hominis miſeros afflaverit artus,
Concitus extemplo rapida vertigine ſanguis
Uritur, & viva torrentur viſcera flamma;
Dira viam morti ſic munit, at illa nocendi
Mille auſus agitat, mille & ſe vertit in ora,
Nunc etenim totis graſſatur viribus, arcem
Obſtantem & vitæ duro velut ariete quaſſat,
Nunc cæcis tegitur latebris, Stygioque veneno
Inſidians ſpe lactatam deludit inani

Non

Non formidato mergens heu funere pubem;
Hæc olim potuit, tandem ſed meta furori
Impoſita, ex quo miranda Bellinius arte
Omne genus morbi cohibens, certamine magno
Tartaream retudit rabiem, contraque ruentem
Cuncta luem tulit auxilium, fraudeſque doloſque
Prima incurſantis prodens ab origine cauſam
Sævitiæ, oſtendit luci, docuitque cavere,
Sic celeres obitus, ac triſtia fata moratus.
 Horruit atra cohors morborum exterrita tanto
Nomine, & antiquum queſta eſt ſibi robur ademptum:
Febris at horrendum ingemuit, tum victa dolore
In Phlegetontæi fauces deſcendit Averni
Immitem ad Lacheſim, rabidoque hæc edidit ore.
 O cui concordes ſubdunt ſua fila ſorores,
Arbitrio dum fata regis, dum legibus urges
Res hominum æternis, decretaque ferrea ſancis,
Vincimur; ipſa tui concuſſa potentia Regni
Tota labat, necis incaſſum jus obtigit, unus
Vir dextram avertit, netæ cum ſtamina vitæ
Diſſolviſſe lubet, cogens fatalia penſa
Produci, nerique alios Bellinius annos.
Quid mihi fax horrenda? quid inſuperabile virus?
Quid Stygiæ proſunt fraudes? eludit & omnem
Vim frangit, mœſto revocans a funere turbam
Phæbigena major; ſupero, viden, en tua pellor
Fida miniſtra ſolo; ni proſpicis, hactenus audax
Inviolata trium Parcarum jura reſolvet.
Et, ſcelus, intactas fati extorquebit habenas.
 Tum Lacheſis contrà: non eſt leve vulnus adactum
Parcarum imperio, famulantum, o prima meatum,
Nam fateor, Vir, cui genuit non Attica tellus
Non Romana parem doctrina, atque arte medendi
Maximus, haud, avidi paucos è faucibus Orci
Eripit, infenſus noſtris & legibus obſtat:
Hæc tamen illati dantur ſolatia damni,
Fas illi differre diem mortalibus ægris
Aſt tandem prohibere nequit, quin cuſpide mortis

Iĉti perpetuò declinent lumina ſomno
Hic autem cadet imperium ; ſubverſa jacebit
Hic mea conatu nullo attollenda poteſtas ;
Quod cum longævæ complerit fata ſenectæ,
Liber & exuerit fragiles Bellinius artus,
Vivet, contempta Lybitina, ſæcula vincet
Me ſpreta ; æternumque aget inviolabilis ævum ;
Sic ait, atque imo fundens ſuſpiria corde
Indignata manum ſcindendo fila fatigat.
Evenient, quæcumque licet ſunt orta, ſupremo
Occumbent caſu, tua neſciet inclyta virtus,
Bellini, interitum ; millena in ſæcula Nomen
Extendens longè eximium, viveſque, perenni
Perfluet Ethruſcos Arnus dum flumine campos,
Irrequieta ſuos volvent dum ſidera curſus.

VIENNÆ ARCTISSIMA OBSIDIONE LIBERATÆ

Libata Felicitas.

Alma Fides, tuque in terris ſanctiſſima rerum
Relligio diri facies horrenda pericli
Si triſtem ſquallorem animo, miſerique doloris
Obduxit nubem læti nunc pura ſereni
Inſideat frontem ſpecies formidine pulſa,
Tempus adeſt hilares agitare in pectore curas.
Stat magnæ ſors alta Domus, ſuperique tuentur
Heroum decus Auſtriadum ; fera Thracia Marte
Nequicquam ruit infando, conatibus ultrò
Nequicquam invictas immanibus impulit Arces.
Jamdudum trux concuſſo Bellona flagello,
Iſmariis late populos exciverat oris,
Quam ſequitur gradiens rabido Diſcordia vultu,
Jactanteſque facem lymphata mente ſorores
Anguicomæ, fuſique ſitis ſcelerata cruoris,
Et furor. & cædes ; cum triſti & funera luctu.
Heu quæ ſæva petit Stygiis e ſedibus acta
Tempeſtas! cui nam lacrimas, cui triſte minatus

Exitium! Divi venientem avertite cladem
Europæ Regnis, ſanctæque ignoſcite genti.
Quæ ſe oculis fortuna offert? Regum optimus auſu
Sacrilego urgetur Cæſar, Scythicæque phalanges
Auguſtam denſata Urbem cinxere corona
Auſtriadum, inviſos certant evertere muros,
Nec minus everſos audaci irrumpere niſu.
  Aſt equite inſtructus valido Dux inclitus obſtat
Leucorum hinc Princeps atavis non regibus impar
Carolus, hinc miro famæ ſuccenſus amore
Propugnat, caſus & Starembergus in omnes
Accurrens dextra ſocios, & fortibus auſis
Hortatur, bellum immiti cum gente capeſſant
Intrepidi, æternamque ferant per vulnera laudem.
  Quis memoret ſtragem, cumulataque funera turbæ
Barbaricæ? quis facta Ducum, quis militis acre
Pugnantis robur? quis corda interrita lethi?
Certe Iſter roſeo dilabi gurgite viſus,
Dum ſæpe Iſmario fluxerunt ſanguine rivi.
  Sors adverſa tamen, metus & miſerabilis urget
Exitii, propuganti non miſſile telum
Suppetit, affecto vulgus jam corpore languet,
Congeſta inque cibum jam deficit horrea meſſis
Sævit & effoſſos occulto Mulciber igni
In muros, hoſti ſuperandum & pandit hiatum.
  Hic ſtatus urbis erat, monitis cœleſtibus actus
Invicto conjuratas cum robore turmas
Mars alter, ſiſtens Germano Sarmata Regi
Rex ipſe agminibus lætis læta agmina junxit.
Non ita purpureo luſtratur lumine cœlum,
Si Boreas gelidis afflatibus impulit auras
Imperium tenuit poſtquam diu nimbifer Auſter
Ætheris. abripiens optatæ munera lucis,
Dulcis ut Auſtriadum pervaſit pectora ſenſus
Lætitiæ ſpes & fulſit certiſſima palmæ
Cum ſocias videre acies: Ergo omnibus idem
Ardor adeſt conferre manus Velut aggere rupto
Eridanus pluviis auctus, Rhenuſve bicornis

Præcipiti fertur fluvio, nemora alta fragore
Evertit, ſternitque domos, & gurgite late
Cuncta tenens victor preſſis dominatur in arvis,
Haud ſecus Iſmariis infert ſe Sarmata caſtris,
Germanuſque moræ impatiens; at barbarus acer
Obniti contra; pro vallo hinc prælia miſcet
Neſcius inſtanti bellator cedere turbæ,
Contemptorque necis, ſpes hinc nova ſuſcitat iras,
Aſpera dum medio fervent certamina campo,
Si fortè oppletæ ſuperato limite foſſæ,
In muros liceat penetrare, atque Urbe potiri.
Jam pugnæ dederat Thracum tot millia letho
Prima dies, ſed non poſuiſſe ferocia corda
Nec viſi ceſſiſſe loco, vix poſtera fulſit
Aurora, & ſummos perſtrinxit lampade colles,
Incenſis concurſum animis, hæret pede pes hîc,
Virque viro; nec eques campis inſultat apertis
In gyrum, ſtabiles gladiis ſublimibus urget
Biſtonias turmas, donec flammantibus arſit
Sancta acies oculis, ultrici atque obvia ferro
Cuncta metens rupit cuneos, atque agmina fudit
Barbara, palantique fugæ dare terga coëgit.
Tunc allapſa polo levibus victoria pennis,
Fama tuba ſimul inflavit, cantuque ſonoro
Tale dedit longè auditum placidiſſima carmen.
Vicit io, vicit felix Germania, gaude
Auſtriadum Leopolde decus, frontemque ſerena.
Præſenti Divûm auſpicio tibi Sarmata vicit
Regnator, tibi præclaris acerrimus armis
Carolus, Arctoi laus & pulcherrima Cœli
Conſilio, ac dextrâ tibi Starembergus. Ovanti
Agmine magnanimos jam circumſiſtite veſtros
Quiſque Duces, jam Daphnæam decerpite laurum
Undique, & Heroum meritis date ſerta capillis.
Ipſa ego ſublimi per Cœlum elata volatu
Qua roſeo Titan curru conſcendit Olympum,
Quaque idem Heſperii pronus petit æquora ponti,
Ingenti Pæana canam clangore, nec ullos
Omit-

Omittam populos, ut cuncti maxima noſcant
Geſta Ducum, cunctæ reſonent ut laudibus Urbes,
Utque eat æterno Virtus generoſa triumpho.
Sic ait, & paribus concuſſis leniter alis,
Uſque canens purum celeri ſecat æthera lapſu.
Protinus impletur paſſim rumore ſecundo
Europe, tranſit Rhetæas nuncius alpes
Res Thracum acciſas, obſeſſæ a mœnibus urbis
Ejectos, magis ut nequeant confidere Marti,
Bis magna victos pugna, fremit Italis ora
Ingenti plauſu, ſtudiis atque omnia fervent.
Luca ſed Ethruſci non ultima gloria Regni,
Ac nulli cedens pietate, ad ſidera jactat
Lætitiâ voces, feſto hinc tormenta boatu
Diſiciunt auras, hinc aſtris æmula noctis
Horrorem, & nigras fugat ignea flamma tenebras.
Quin Cererem, plebique aurum partitur egenæ,
Quin & ſacra facit, Divûmque advolvitur aris,
Æthereo & grates gaudet perſolvere Regi;
Aſt his qui fuſo poſuerunt Sanguine vitam,
Lugubres fert inferias, prece Numen adorat,
Et juvat illuſtres per caſta piacula manes.
Macte animo Æſaridæ, pietas hæc libera ſervat
Colla jugo, pietas vobis venerabile Numen
Conciliat, blandæ largitur munera pacis,
Supra alios eadem meritoque attollit honore.

Curta Vulgo Buda poſt difficillimam obſidionem

A CAROLO LOTHARINGIÆ DUCE

Supremo Cæſarei Exercitus Ductore expugnata.

Quid me acies canere invictas? quid fortia bello
Pectora? non una ſtratum quid cæde ſuperbum
Oſmanidem, & rabido queſtu ſua damna gementem
Muſa jubes? dum ſublimi reſerata triumpho
Ingreditur Cæſar ſubjectæ mænia Curtæ?

Heu

Heu languent animi perculſo in corpore vires,
Mens infracta malis, ac triſtibus obruta curis
Experta haud ullo ſe tollit in ardua niſu.
Annue tu cœptis, Erato, tu ſuffice robur
In numeros, dulcem non averſata laborem,
Si parere lubet, ſi grandia juſſa capeſſo.
Poſtquam alta pulſus tandem Thrax dirus ab Urbe
Auſtriadum didicit Latias, victricia ſigna,
Formidare Aquilas, æquo ſe credere campo
Bis magna victus pugna, nec viribus audens
Imparibus, latuit gelidis in ſaltibus Hæmi,
Ex illo infandum cœpere odiſſe furorem
Pannones, atque animum nuper geſſiſſe rebellem
Pœnituit, pacemque ultrò, veniamque precati
Juſta in Biſtonium verterunt arma Tyrannum.
Ergò olim captæ a Scyticis latronibus arces,
Arte nova, quamvis vallo, licet undique tutæ
Aggeribus murorum, atræque voragine foſſæ,
Cæſareum ſubiere jugum, ferroque ſubacta
Tot valida ad priſcas redierunt oppida leges;
Una ſed obluctans victricibus obſtitit armis,
Hoſtiles retuditque minas, laurumque morata
Curta viris, muriſque potens; Mavortius Heros,
Rex ipſe, atque Atavûm Regum generoſa propago,
Carolus, hanc verſat læſo ſub pectore curam,
Quî decus ereptum repetat, qûi Cæſaris addat
Imperio Auguſtam longo poſt tempore ſedem,
Munimenta loci, toties labor irritus, agri
Pene etiam irrigui præclaro ſanguine mentem
Incerto abripiunt æſtu, variiſque fatigant
Conſiliis, donec placidâ ſub nocte quietem
Captanti, ſe Pannonidum generator aquarum
Obtulit, ac placidis hæc fatus vocibus Iſter.
Magne Heros, quem militiæ, rebuſque gerendis
Non tantum Auguſti ſolers prudentia, quantum
Æterni omnipotens præfecit Numen Olympi,
Ne dubita innixam ſcopuloſis collibus arcem
Ne ſolido Curtæ fundataque mœnia ſaxo

Obſidio premere, ac ſociis invadere turmis;
Nam licet æratis ſtent propugnacula muris
Plurimaque æthereas conſurgat turris ad auras,
Centenuſque agger nullo penetrabilis ictu
Prætenſus terrere queat, ſi maximus orbis
Rector opem neget infenſus, ſi deſerat omnis
Si fruſtra vis intendat, vaniſque repugnet
Niſibus, in tenui ſubſidere pulvere cernes,
Si qua obſtant, cadere & facili labefacta ruina;
Bis quater illa quidem Germanum reppulit hoſtem,
Eluſitque piorum auſus, durumque laborem
(Sic etenim viſum ſuperis,) nunc plena tulerunt
Fata diem, qua turpe jugum, qua dedecus ingens
Servitii excutiat diri, Romanaque ſacra,
Et caſtos recolat fortunatiſſima ritus;
Hæc, invicte, manet tanti te gloria facti;
Te domitæ accipient Arces, tibi concidet uni
Luctificis domus heu quondam pulcherrima Regum
Fracta malis, qualem immiſſo dabis agmine cladem,
Quos tunc barbarico decurrere ſanguine rivos
Aſpicies, ulli miles dum parcere neſcit?
Iſmaride, at tu fœderibus veſane maneres:
Quare age, concilio in magno, Sanctoque Senatu,
Rem ſuade, tum nequidquam livore fremente,
Aggredere excelsum facinus, diſcrimina Martis
Nec metue, at magnis certam ſpe præripe palmam
Auſpiciis; ego ſum lato quem gurgite cernis
Alluere ingentes populos, atque inclita Regna
Iſter, cunctorum Europæ clariſſimus amnis.
Dixit, & in tenues paulatim evanuit auras.
Ille autem viſo, & monitis cœleſtibus actus
Curta ubi in Auguſtæ tectis Regalibus Aulæ
Decreta eſt belli ſedes, ut in æqua vocavit
Vota Deos, indictum aris, & ſolvit honorem,
Protinus hoſtilem confidentiſſimus oram
Infenſas petiitque arces; it Noricus Heros
Pone comes, talis roſeâ ſplendetque juventâ,
Qualis purpureo ſe tollens lucifer aſtro

Pro-

Profert os nitidum Cœlo, noctemque reſolvit;
Hanc matres, hunc turba omnis proſpectat euntem
Impubes mirata genas, mirata pericli
Impavidum pectus, belli tot adire labores,
Auguſti Soceri generum, potuiſſe gementem
Reginam, ac dulces thalamos, tot linquere Regni
Delicias; igitur lacrimis, atque anxia votis
Proſequitur, dextram fortem, Martemque precata.
Ibat & intextâ redimitus tempora quercu,
Cui ſuper impoſitum muralis fulget in auro
Gemmato, ornamentum ingens, inſigne coronæ,
Erneſtus, decus Arctoæ indelebile gentis;
Quem Germanæ acies, & conjurata ſequuntur
Agmina manſurâ vitam pro laude paciſci
Defenſæ libertatis contra impia Thracum
Conſilia, & ferro ſceleratam evertere gentem.
Hinc autem ardentes rapit in certamina turmas
Auratâ inſignis galeâ; criſtâque comanti
Æneas, clarum Trojana ab origine nomen,
Caſtra inter, duri Martiſque eductus in armis,
Felſinei laus alta ſoli; tremit excita tellus
Cornipedum pulsu, crebriſque hinnitibus æther,
Atque cavæ reſonant valles, ſed pectora languent
Biſtonidûm, gelidaque coit formidine ſanguis.
   Ergo ubi fatali videre addicta ruinæ
Mœnia, & objectis fidentem turribus hoſtem,
Extemplo, ceu præcipites a cardine Cœli
Adverſo exſurgunt venti, totamque procella
Concutiunt silvam, duro nec ſtipite robur
Annoſum, aut ilex, procera aut ſufficit ornus,
Fit late ſtrages, facieſque antiqua recedit;
Haud aliter ſortitæ acies ſua munia, quæque
Hoſtili incubuere ſolo; micat ære coruſco
Torva phalanx, ſtricto & pugnam mucrone laceſſit,
Dumque alii curvo producunt limite vallum,
Illa minas paſſim ingeminans tela ignea torquet
Cum ſtrepitu; gradiens campis equitatus apertis
Inſultat, Thracemque arcet, ſi erumpere portis
Au-

Audeat, aggeſta & nuper reſcindere caſtra.
Hinc aditu occulto cava foſſor ſubruit altæ
Fundamenta Arcis; nitrati & pulveris ignem
Effracta includit latebra, nigriſque cavernis,
Qui ſimul appoſito concepit fomite flammam,
Murorum in Cœlum ſcopulos, avvulſaque tollit
Saxa, ſuperſtanteſque viros, perque ampla ruinam
Facta via eſt, qua connitens juncto agmine miles
Irruat, & cæſo, victor ſeſe inferat, hoſte;
Intra urbem immani jactatur pondere ferrum
Ignivomum, tectis peſtem, ſtragemque daturum,
Civibus & miſeris lethum funeſtius unquam
Cudit in Ætnæo quo nullum Mulciber antro.
Parte alia horrifico quaſſantur fulmine muri,
Jamque labant, rupta incuſſis compage fatiſcunt
Ictibus, ac vaſto demum pandunt hiatu.
Tunc vero Reges addunt hortatibus ambo
Sponte ſua incenſis animos: En meta laborum
En ſocii, merces, irrumpite, cædite ferro
Obſtantes cuneos, pro nobis æthere ab alto
Stant Superi; laurum, virtuti ac debita veſtræ
Serta ferunt, hoſti cladem exitiumque minantur.
Nec plura effati rapiunt apto ordine ſecum
Compoſitas acies, fitque impetus; horridus inſtat
Emiſſis longe hic telis, & fulminat ære
Horriſono ſpargens liventis pondera plumbi,
Cominus hic autem intorta tranſverberat haſta
Ora repugnantum, hi telum exitiabile dextra
Conjiciunt, clauſos æratis orbibus ignes,
Res geritur tandem gladiis, hoſtiſque ruina
Truditur; oppoſito alterius tamen obice muri,
Ac foſſæ, quamvis vacua tellure potitus
A circumſeſſa, Germane, excluderis urbe.
Quid facias? juvenum primi in certamine ſævo
Totque Duces, fuſo poſuerunt ſanguine vitam,
Stat propugnantum virtus interrita, flecti
Neſcia, nam ſtimulis atrox furialibus urget
Alecto, quam Tænariis emiſit ab umbris

In-

Indignans e poſſeſſæ diu finibus oræ
Se deturbari Pluto; Ducis illa ſuperbum
Os, animumque gerens rabie fera pectora Thracum
Incendens vitæ dulcem convellit amorem,
Pugnandique novas artes, nova tela miniſtrat.
Hæc videt æthereâ Cœli ſtellantis ab Aula
Primus qui Regum Stephanus divina ſecutus
Præcepta, exemplo populos ad ſacra vocavit
Chriſtiadûm, Curtæ poſuitque ingentia templa
Æquævo Patris nato, caſtæque Parenti;
Totque neces, tot fata virûm miſeratus acerba,
Tali adiit ſupplex magnum ſermone Tonantem.
O qui res hominum æterna ratione gubernas,
Dilectæ ah quondam patriæ miſerere ruentis,
Nec ſinito, licet admiſſæ non rite piarit,
Quæcumque hæc fuerit, veteris contagia culpæ
Tam longas tam crudeles perſolvere pœnas.
Sub Scytico majore ſui jam parte peregit
Luſtra fere terdena jugo, nunc Regia Curta,
Dum Cæſar juſtis illam pius aſſerit armis
In pulcram libertatem, miſeranda tenetur
Iſmaridum vi, quin ſanctis conatibus obſtat
Eumenidum rabies, totuſque occurrit Avernus.
Affer opem perde infeſtos, nec triſtibus Orci
Monſtris, ſit fas Pannonicas errare per urbes.
Non ferre auxilium, ſtimuliſque accendere Martem,
Ut tua Relligio ſe priſco attollat honore.
Hæc ille, at Superum genitor, parce, inquit, inani
Dive, metu; ſat pœnarum ob veſana luerunt
Conſilia, Auſtriadum nomen, ſceptrumque repulſum
Ac temere accitum ſcelerata in fœdera Thracem,
Pæones: errori veniam indulgemus, & hoſtem
Noſtris infenſum ſacris dominarier ultra
Regali in ſede, atque alta prohibemus in Arce.
Quare, age, nunc Stephane e celſo delabere cœlo
Ad Sanctas acies, te, protinus effera, viſo
Alecto Stygium præceps deſcendet in Orcum,
Iſmariuſque furor ſidet: tum Pannonis omnis,

Quæ

Quæ Scytico dudum ſervit ſubjecta tyranno,
Ora cadet, retro nec res infracta referri
Deſinet Oſmanidum, donec gens improba cedat
Europæ Regnis, Aſiæque exuta rapinas,
Sic lubet, in Scytico immigret perdita ſaltus.
Extemplo Divus facili ſecat æthera lapſu,
Ac ſe ſpectandum mediis oſtentat in auris,
Structa Phalanx, qua disjecti Germanica muri
Congeriem, vallique moras intrare parabat;
Addiderat capiti jam nota inſignia Regni,
Fulmineum dextra gladium, lævaque gerebat
Ancile, ardentem jactans in nubila lucem,
Monſtrabatque viam gradiens, urbemque petebat
Primi illum Auguſti Reges videre, manuque
Sublatâ oſtendere aliis ac talia fati.
En ſequimur, quo ſancte, vocas, te principe pugnam
Te duce, conſerimus, dirumque invadimus agmen,
At vos, o lecti, mecum contendite, mecum
Optata egregiæ properate ad munera palmæ.
Vix ea dicta, ruunt, vallique abrupta manipli
Denſati ſcandunt, urgent, feriuntque necantque
Ac tandem inſeſſis detruſo e mœnibus hoſte,
Quales aërio fluvii de monte voluti,
Seu præceps Rhodanus, bifido ſeu gurgite Rhenus
Hybernis pluviis aucti, ſciſſo aggere, late
Arva premunt, ſylvaſque trahunt, atque obvia tecta
Fluctibus, irrumpunt alacres per aperta viarum,
Tergaque cædentes fugientum cædis acervos
Dant paſſum ingentes; nec jam decernere contra
Audent Oſmanidæ, nec ſufficit amplius ullas
Alecto vires, cum luctifico ululatu
Viſa Acherontæi ſe condere faucibus Orci.
Sic iterum ſacris eſt reddita Curta Latinis
Fœdo exempta jugo, imperium ſic mite ſubivit
Cæſaris; antiquo mox inſtaurata nitore.
Inter Pannonias alte caput efferet urbes.
Interea ſeros accenderat Heſperus ignes,
Et nox humenti tellurem involverat umbra,

Jamque Duces, longo feſſi mileque labore
Dulcia jucundæ captabant dona quietis,
Inſolita e celſo cum lux effulſit Olympo,
Sidereus juvenis, paribuſque innitier alis
Conſpectus; dum terra ſilet, ſilet arduus æther
Tales ille ſacro rupit de pectore voces.

Lætare o Supero nimium dilecta Tonanti
Fida acies, vos una animis gaudete ſerenis
Invicti Heroes, quos ad ſublimia cepta
Junxit amor, laudis veræque incenſa cupido.
Strata jacet per vos acri ſæviſſima bello
Barbaries, Domino per vos erepta ſuperbo
Romanas redit ad leges urbs inclyta, Cæſar
Hæc pius ampla refert a ſummo numine dona,
Plura relaturus; Tua namque o Carole virtus
Maximiane tua, Oſmanidem trans littora pellet
Caſpia, ut Odryſiis ultra non imperet oris,
Non Graiis, non tot Regnis, quæ ſubdidit illi
Ultrix ira Deum, veſtræ ac diſcordia gentis.
Quin etiam labi captivâ deſinet undâ
Jordanis, diu ſerviles & paſſa cathenas
Infelix Solyme, poſito ſquallore, jugoque
Excuſso, Sacra Chriſtiadas ad templa vocabit;
Grata ſuas palmas tunc vobis mittet Idume.
Hæc meritos optata manent nova gaudia; curſu
Pergite felici, Leopoldo vincite, Regi
Vincite Cœlicolûm; tacito dum deſſuet amne
Iſter, & auratam jactabunt ſidera lucem,
Sublimi in terris incedet veſtra triumpho
Gloria, perſolvent, æternaque præmia Divi;
Sic ait, in patrium ſeque alis extulit axem.

Illu-

ALAMANNO ABBATI SALVIATO

Patricio Florentino; nunc vero Urbini Præſidi.

Cum Doctorali Juriſprudentiæ Laurea donaretur.

Si Phœbus quem ſtellifero proſpexit Olympo
Dexter, in æthereas venientem luminis oras,
Sacrumque immittens radiis felicibus ignem
Jam pueri teneram primævo in limine vitæ
Succendit mentem pulchræ virtutis amore,
Non hunc deſidies, non hunc ignobilis oti
Languor iners, non illecebris maleſuada voluptas
Deceptum arripiet, curſuque avertet ab alto;
Vadentem audaci, ſed per veſtigia greſſu
Majorum, inſignem meritis, & honoribus auctum
Sidereum per iter manſuræ ad munera famæ
Præclaro attollet virtus auguſta triumpho.
Pura tuum cœli facies, Alamanne, ſub ortum
Naſcenti tota arriſit, Phœboque ſecundo;
Quin Aſtræa Polo tenues delapſa per auras
Adfuit. Ambroſio ſpargens & labra liquore
Hoc aluit latice infantem, quo protinus hauſto,
Veri incenſus amor, ſibi teque addixit alumnum
Virgo ſuum, luſtris ut cum volventibus ætas
Feciſſet firmata virum, ſervantior æqui
Nemo foret, cœli ac poſſet ſtatione relicta,
Vindice, deſertas, te, Diva reviſere Terras.
Evenere; pios juvenili in pectore ſenſus
Suſpicimus, Divumque metum, rectique tenacem
Inſontemque animum, Themidem, ac Cyrrhea colentem
Numina perculſum dulcique cupidine laudis.
Ipſa igitur tibi divinæ natura benigno
Aſpectu dona infudit cœleſtia mentis;
Qui tamen at gelidus circum præcordia ſanguis
Langueret, potius qui non pervaderet ima

Flamma animi, procerum cum ſe ſe offerret imago
Salviatum, totum ac late diffuſa per orbem
Heroæ monumenta domus? longo ordine cerno
Purpurea in trabea dextris fulgentia ſigna
Geſtantes atavos: hi, Thuſcum læta foveret
Seu pax alma ſolum, ſeu fortis Etruria bello
Arderet, clavum patrii rexere ſenatus.
Cerno alios, quibus Uranie, quibus otia curæ
Dulcia, jucunduſque fuit labor ire per altas
Pieridum ſedes; agit id cultiſſimus agmen
Aonio Grajas deducens vertice muſas
Tyrrhenum ad Floram, & vitreum Leonardus ad Arnum.
Ille tonat nunc eloquio, nunc aurea pulsat
Fila lyræ: celeri tunc fluctu deſinit unda
Delabi, zephyrique ſilent, & amabile carmen
Attonitæ accipiunt è ſummo flumine nymphæ.
Erigit inde autem tantus ſe fulgor in auras
Quantus ab Eoo roſeus cum gurgite Titan
Flammiferos attollit equos, juvat ora tueri
Magnanimum Heroum, caſtos queis infula crines
Cinxit, Sidonioque Pater Romanus amictu
Donavit meritos, ac virtus intulit aſtris.
Salviatæ primum ſtirpis generoſa propago
Joannes, decus Etruſci memorabile regni.
Cura Deûm ſe ſe nobis mirantibus offert;
Quantus honos frontis? candor, pietaſque, fideſque
Quanta viri? doctas quàm nobilis ardor ad artes?
Hunc a Tyrrhenis adductum Gallia terris
Excepit, fovitque libens, populiſque regendis
Admovit lituo inſignem, vittiſque decorum.
Ponè ſubit, ſacro pariter conſpectus in oſtro
Bernardus, qui Marte ferox juſta arma ſequutus
Sæpius Odriyſias arces, & barbara fudit
Agmina, & exuviis clarus remeavit opimis
Rem Melites bello, factiſque ingentibus augens;
Claſſibus Ægei populatus littora ponti
Ille Chion ſpoliat captam, celsamque Methonem
Expugnat, Tripolimque, Coronemque, omnia victor
Di-

Diripit, hoſtileſque rates, captivaque ſigna
Abducit; plures cepiſſet & improba clades
Thracia, ni moniti Divum cœleſtibus actus,
Haſtaque & clypeo poſitis, gladioque minaci,
Ad commiſſa pius veniſſet templa Sacerdos.
Dein frater juxta ſequitur, lux aurea ſecli
Idem purpureo redimitus murice frontem,
Conſpicuus Tyberi, cunctiſque Antonius oris.
Hunc vulgò Magnum, dixere, tot inclyta ſummi
Ornamenta viri, tam rebus vivida virtus
Apta evolvendis mole haud perculsa laborum
Extitit uſque novas ducens a pondere vires.
Nec te præteream, Thoma, quem neſcia labis
Corda parem Superis almo junxere Tonanti,
Thoma o dilecto nuper decus addite Cœlo;
Felices populi, tanto cuſtode recepto,
Felices Arreti arces; vos ille preivit
Impiger, exemploque viam munivit ad aſtra.
Virtutem extendens factis; dignate benigno
Me quondam hoſpitio, feſſum curiſque gravatum
Aſpice nunc etiam patrio miſeratus ab axe.
Hic loquar, an ſileam? pudor eſt tranſmittere dignum
Laude virum exactæ meritis ætatis onuſtum,
Et memorare dolor; tu præſtantiſſimus ille es,
Vincenti, fato heu nobis ereptus acerbo.
Te mœſti flerunt Cives, populuſque, patreſque,
Rex ipſe ingemuit Cosmus lugubria ſumpſit
Arnus arundineo nudatus tempora ſerto,
Et querulis nymphæ complerunt vocibus auras;
At felix pietate tua, de morte triumphas,
Invita & ſuperes Lacheſi; pulcherrima proles
Viventum egregiis aucti virtutibus omnes
Poſt cineres ſervant, poſt triſtia funera nati.
Sidereo nunc cerne polo, quem munere donat
Ingenti longæva Themis, cui præmia Virgo
Cui decora alta parans atavum jam ſignat honore.
Macte, Alamanne, animo, puerum Te flavus Apollo
Per nemora Aonidum, ſacrataque vatibus antra

Tum Sophia, atque una Pallas per ſingula duxit
Occulto quæcumque ſinu natura recondit,
Donec ad Aſtreæ progreſſum inſignia templa
Ipſa Dea excepit venientem, atque oſcula figens
Tandem immortali præcinxit tempora lauro.
  Hoc, Alamanne, tibi juvenilibus obtigit annis
Eximium munus Pelopejæ ad mœnia Piſæ;
Tempus erit, cum Tyrrhena digreſſus ab urbe
Dardanium ad Tybrim divini lumina pandes
Ingenii, bona & excelſæ præſtantia mentis
Cœlo oſtendentur, Pater at Romanus avitum
Splendorem indulgens, ne ſis majoribus impar,
Evehet æterno victurum in ſæcula cultu.

In Nuptiis

MARII FLORENTINII, ET MARIÆ ELISABETHÆ SERANTONIÆ LUCENSIUM.

EPITHALAMIUM.

Culte Mari, Thuſcæ pulcherrima gloria gentis,
  Qua vitreus puris labitur Æſar aquis,
Senſiſti tandem percuſſi pectoris ignem,
  Idalia tandem vulnera facta manu,
Nam thalami dum nulla ſubit præcordia cura,
  Cypria nec donis allicit alma ſuis,
Oſtentans dulces e chara conjuge natos,
  Perſtet in æternos queis domus alta dies,
Phœbus inhærentem teſtatus voce dolorem
  Fatidico tales edidit ore ſonos.
Ergone tam claris celeberrima fœtibus arbor
  Areſcet, noſtrum quæ fuit ante decus?
Deficiet genus antiquum, Stirps celſa peribit
  Unde eſt Aoniis gloria ſumma jugis?
Hanc Pater, hanc Patruus ſacræ per flumina linguæ
  Ultima ad ignotæ protulit arva plagæ;
Sed niſi per ſeros eadem ſit fulta nepotes,
  Tota, Mari, tota hæc noxa futura tua eſt,

Nunc

Nunc igitur cunctas ego Phœbus moliar artes,
Ut maneat Regni fama ſuperba mei.
Sic ait, Idalii ſedemque petivit Amoris,
Nec pudet hunc tali ſollicitare prece.
Qui victis dominare animis, quem terra potentem
Quem flammans Æther ſentit, & unda maris,
Hoc mihi da, puer, hoc Paphia ſate Matre Cupido,
Qui tua non metuit tela, coactus amet;
Hic laus, hic noſtri pars eſt clariſſima Regni
Æsarei Marius fama, decuſque ſoli,
Sume arcum, tacita incautum confige ſagitta,
Incende ardenti triſtia corda face,
Jam pigeat blandas immitem odiſſe puellas,
Jamque velit placidi, dulcia jura tori.
Ille refert: Vigilem depelle e pectore curam,
Me ſine nunc Mario bella movere tuo,
Expertus validam non uno tempore dextram.
Hiſne putas aliquem viribus eſſe parem?
Aſpicies, Phœbe, aſpicies jam fronte ſerena
Parentem molli ſubdere colla jugo.
Dixit, & arripiens aurata cuſpide telum.
Æthereum penna præpete currit iter.
Teque Mari, aggreditur primum nil tale timentem,
Dilecta coram Pallade vulnus habes;
Non Sacræ juvere artes, Muſiſque dicatæ
Sedes, non ſtudiis docta Minerva ſuis;
Tum celeres alio vertens puer improbus alas
Te petit occulta, dulcis Eliſa, face;
Grata per innocuas jam ſerpit flamma medullas,
Jam ſubitus teneris oſſibus hæret amor,
Idem, qui Marium, pulcram rapit ignis Eliſam,
Ambos in curam mutuus ardor agit,
Non ille in doctis reperit ſolatia chartis,
Creſcit ab auxilio cura, calorque ſuo;
Non tu, Virgo, levas ignotæ incendia flammæ,
Seu cana artifici lilia pingis acu,
Purpureaſve roſas, & quos fert Hybla colores,
Seu facili luſtras florida rura pede.

Quis Divum è cœlo tandem miſeratus amantes
Afferat inſigni munere dexter opem?
Quis rapidum extinguat ſerpentem in cordibus ignem,
Quiſve queat curis impoſuiſſe modum?
Tu potes inſuetum, præſens Hymenee, laborem
Finire, auxilium poſcit uterque tuum.
O Hymenee, comam ſerto redimite virenti
Huc ades, æthereo labere, Dive, polo.
Dive veni, laterique comes ſit caſta voluptas,
Sint quæcumque parit gaudia blanda Venus.
Aurea tum ſubeat placido Concordia vultu,
Adſit cum roſeo cana Pudore Fides.
Venit io rutilo volitans Hymeneus ab axe.
Nec ſociæ deſunt, pronuba turba, Deæ,
Fortunatorum jam vincula nectit amantum,
Jura canit nullo diſſoluenda die.
Auguror, elicient hæc dulcem Vincula prolem,
Quæ laude egregios æmula vincat avos,
Quæ ſimilis Patri, chare ſimiliſque parenti
Pieridas, caſto & pectore Numen amet;
Læta cano, ſed vera eadem canit augur Apollo;
En rata flammiferæ ſigna dedere faces.
Vivite felices, par nobile, nectat Amoris
Nodus, quos certo fœdere junxit Hymen.

Falſo queri mortales de vitæ brevitate.

AD SCIPIONEM ILCIUM CARDINALEM.

Heu quam fugaci tempora diffluunt
Humana curſu, quam celeri manu
Nullique parcentes ſuprema
Fata truces properant ſorores!
Diu non decoris prænitet in genis
Splendor juventæ, diu rutilum comas
Haud ornat turum, ſed trementi
Lapſa gradu fugat omne ſenſim.

Pul-

Pulcrum ſenectus; protinus ingruens
Admixta nigris heu tenebris dies
Involvit incautos ſopore
Perpetuo gelidumque funus.
Condit ſepulcris, quin tenera rapit
Ætate, non impubibus ac genis
Mol itur, aut mœſtæ parentis
Luctifico Lybitina queſtu,
Adverſa ſors! celſi juga Mœnali
Nullis inumbrat tonſa ſecuribus,
Et læta longum jam per ævum
Fronde nova revireſcit arbos.
Dum triſte lethum ſic homines brevi
Urget paventes, atque premit via;
Ceu blanda Pæſtanis in hortis
Forma roſæ veniunt in oras.
Vix lucis, atræ nocte cadunt necis
Demerſi; Ineptos at querulus modos
Quid fundo? quid veſana mœrens
Verba loquor rapienda Cauris?
In mille mille & ſæcula differet
Mortalis ævum funeris, ac rogi
Securus, immiteſque Parcas
Omnia nec metuet vorantis.
Vim dente ſævo temporis, editam
Si mentis arcem nobilis inſidet
Figitque per magnos labores
Celſa ſui monumenta virtus.
Hac fultus olim cœlifer Hercules
Oblivionem vicit, & horrida
Portenta monſtrorum, canemque
Tartareum domuit cathenis.
Vivunt Pelaſgi nominis inclyta
Ignara fati lumina, Regibus
Sceptriſque non parcentis aurum
Si vetus, imperiique tantum,
Jactant ſuperbi munera ſubditas
Late catervas gentis, & aſperæ

Vivunt Latini, ſive laus hos
Bellica, Caſtalideſque muſæ,
Sanctique mores, fraudis & inſcium
Pectus nefandæ ſic meritos procul
A plebe ſecrerunt, polique
Sedibus in patriis locarunt
Heroas Alti tu quoque ſanguinis,
Regnique Etruſci gloria non levis
A morte ſubjecta decoram
Ilciade referes triumphum.
Te Roma princeps nobilis urbium
Te, qui nivalem Danubium bibunt
Albimque, paſſim & bellicoſa
Perpetuum celebrabit Arctos.
Vitæ ruentis fata celerrima
Damnent inertes, ac metuant rogum,
Virtute functus, nam ſupereſtes
Poſt cineres erit, ac ſepulcrum.

FAUSTINI ADVOCATI

Ad Luciam Albanam.

QUis lacrimis parcat? quis acerbo frena dolori
Imponat, ceſſetve Deas culpare nocentes,
Dum pia præcepti fato concuſſa mariti
Lucia, ſidereos fletu corrumpit ocellos?
Dum ploret, plorant Charites, languentque Lepores,
Et Decor, ac nigro circumvelatus amictu
Mœret Hymen, geſtatque atras ſine lumine tædas.
Quare agite, Aonides, o vos languentis alumnæ
Caſtus amor, pietaſque movet; ſi mare cadentem
Foviſtis gremio, & ſacro laviſtis in amne,
Si veſtros colit illa choros; lacrimabile carmen
Edite, & aſſiduas nobiſcum iterate querelas.
Heu miſerande heros, quæ te mala fata trahebant
Linquentem patrias ſedes, dulceſque penates,

De-

Debitus ut letho nunquam rediturus abires;
Illa dies nigris ſemper damnanda lapillis;
Illa dies, nobis ſi mens non leva fuiſſet,
Omine cum levo, valvarum limine in ipſo,
Triſtia diſcedens læſo pede ſigna dediſti,
Haud levia inſtantis tulerat præ agia ſortis.
Sed quis tam facile foveat ſua damna? quis unquam
Providus urgenti vitet diſcrimina fato?
Sic olim Argolicæ Thebas petiere phalanges;
Sic & fatalis ceciderunt ardua Trojæ
Mœnia; & attoniti Pœnos videre Quirites,
Effera jactantes Cannenſis funera pugnæ.
Jamque urbem ingreſſo cui ferrum nomen & omen
Præbet, quamque Padus tumido præterfluit amne,
Alcidæ Alphonſus proles, quo principe regna
Aurea Saturni redeunt & ferrea cedunt,
Acre tuum ingenium & vires, generoſaque noſcens
Pectora, ducendas equitum peditumque catervas
Tradiderat, fidamque tibi patefecerat aulam,
Et mentem; ut quando ingruerent fera bella, juvares
Conſilio, & claros ferres ex hoſte triumphos.
Illic, ſtirpe, opibus, natis & conjuge felix,
Æternas ſoboli laudes, patriæque parabas:
Cum Fortuna tibi, rebus male fida ſecundis,
Obſtitit, ac ſubitæ ruperunt ſtamina Parcæ.
Continuo pater Eridanus, qui ſoſpite tanto
Sperabat ductore altam per ſæcula famam,
Cornigerum indignans vitreo caput extulit antro.
Evertitque urnam: tum lætas flumine vaſto
Summerſit penitus ſegetes, ſtabuliſque revulſis
Amne ruens pecus abſtraxit pecoriſque magiſtros.
Quid mœſtos Patriæ queſtus, quid ſingula Patrum
Lamenta, aut nigræ memorem ſolemnia pompæ?
Sparſerat ad patriam deferri exſangue ſepulcrum
Corpus, & ingentes renovabat fama dolores:
Protinus occurrunt proceres, mœſtique feruntur;
Non ſecus ac cari ſi quiſque ad funera fratris
Pergeret, & rapto ferret ſuprema parenti
Flo-

Floribus hic feretrum rutilis, hic ſpargit amomo,
Ille croco: Eoos dives bibit urna liquores:
  Hæc forte, ut Geticis victor remeabat ab arvis
Viderat Æoliâ metuendus cuſpide Mavors;
Sanguine adhuc rorant criſtæ, dirumque coruſcat
Caſſis; at horrificum fundit jubar æreus orbis.
Ipſe alto invehitur curru; ſuccincta flagellum
Quaſſat, & ardentes ſtimulat Bellona jugales;
Prævia cui geminum ſtringens Diſcordia ferrum,
Impetus, Ira, Furor, comites, virtuſque cruoris
Prodiga, tum ſumpta ſequitur Mors pallida falce.
Ergo, ut erat, caſu extincti concuſſus iniquo,
Projicit arma manu attonitus; mox talia fatur:
  Siccine te talem adſpicio? ſic funere acerbo
O mihi care jaces? hæc ſunt ſperata trophæa
Scilicet, & laudes, expectatique triumphi?
Heu cadis, & tecum pariter crudelia fata
Spes & vota mea, levibus dant irrita ventis.
Sed poſtquam diræ tantum potuere ſorores,
Non totus rapiere tamen: nec plura locutus,
Felicem adſocians animam, celer aëra ſcindit:
Inde globum Lunæ ingreditur; mox Arcadis aſtrum
Tranſgreſſus, mitemque Deam cui ſervit Amorum
Cœtus, & inſignem fœcundâ lampade Phœbum,
Conſtitit, atque novum propriæ jubar addidit arci.
  Hic ille, exutus curis & carcere cæco
Ereptus, fruiturque Deis, ac gaudia ridet
Humana, at verò mens illi eſt anxia, quod te
Languentem terris deſolatamque reliquit.
Ergo age tam ſævis quid vexas fletibus umbram
Dilectam? ah caros jam parce laceſſere manes,
Ah lacrimis impone modum, pia Lucia: an illum
Æqualem ſuperis immortalemque putaſti
Mortalem? quicqid degit ſub Sole neceſſum eſt
Ut pereat: pereunt urbes, adamantaque rodit
Æraque Tempus edax; hominem periiſſe dolebis?
Finge iterum vivat; iterum morietur, eodemque
Ille idem quo nunc cogetur currere campo.

Sed

Sed quid ego hæc? melius tu, nunquam elata ſecundis,
Nec flexa adverſis, quid opus tibi, Lucia, cernis.
Famaque cum ſubitum narravit nuntia caſum,
Nec tu conſilii, nec tu rationis egena:
Ingemuiſſe quidem primum; ſed deinde tuliſſe
Imperturbato fortunæ vulnera vultu
Diceris, o ſexus nitidum decus, heroine
Inclyta, queis tandem cœlo te laudibus æquem?
  Ne cœptis deſiſte precor: meliora favebunt
Numina, nec ſemper tumidis agitabere in undis.
Ecce tibi, patriæ & magnum Latii incrementum,
Progenies ſurgit; triplici tu pignore dives
Invidiâ Auſonias torquebis, Lucia, matres.
At vos & Phœbi & Martis juſtiſſima cura,
Vivite felices pueri, præclaraque geſta
Patris, & egregiam Muſis ſuperate parentem.

IGNATII ALBANI

MERATENSIS.

Ad Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem.

LIs oritur Bellonam inter doctamque Minervam:
  Hæc ſibi prima cupit, quærit & illa ſibi.
Hinc jaculo Bellona potens, hinc Pallas acuto
  Haſtili nixa eſt; utraque bella ciet.
Igneſcunt iræ: ſubeunt certamina, Amazon
  Qualia peltato milite geſſit atrox.
Hæc cadit, illa furit: petit hæc, proſternitur illa:
  Tertia pugna inſtat; tertia pugna ruit.
Quis Deus iratas poſſit componere Divas?
  Audeat invictæ quis dare jura Deæ?
Carolus hic ille eſt; ambæ comitantur euntem,
  Seu fera bella movet, ſeu pia templa colit.

Vie

Vive igitur felix tanto ſub Numine Princeps:
  Concute Marte ſolum; Pallade vince polum

Ad eundem.

Me quocunque feram, quacunque in parte revolvar,
  Me premit inſolite luxque decorque tuus.
Si memorare pios placeat, pietate ſecundus
  Nulli es: ſi fortes, fortior ipſe preis.
Seu certare manu, ſeu dogmata volvere mente,
  Alterutrâ nunquam cerneris arte minor.
Ergo quid annumerem reliquos? celebrare quid inſtem?
  Carminis omne genu, vincis, & omne Ducum.

Eidem.

Jam veterum ſanxit merito ſententia quondam,
  Cederet ut doctæ Martia turba togæ
Aſt nunc haud facile eſt in te diſcernere, Princeps,
  Palladis ars palmam, Martis an arma ferant.
Quo tamen hoc magis incertum eſt; eſt certius armis
  Longe te reliquos vincere, & ingenio.

Ad eundem.

Quid conor dignas, Princeps, tibi reddere laudere?
  Laudibus his ſemper, Carole, major eris.
Namque ut nulla valent lucem addere lumina Phœbo;
  Sic tua carminibus creſcere fama nequit.
Hæc demum eſt tua laus, Dux inclite; maxima quod te
  Carmina concelebrant plurima, nulla ſatis.

In adventum Aquivivæ Card.

Rivulus exiguâ pelago ſe diſtrahit undâ;
  Sed rediens largo flumine volvit aquas.
Quos tecum tum, Aquaviva, trahes, quos laveris undâ
  Ipſe tuâ, quando patria regna petes?

Ad eundem.

Dum tibi, Roma inhiat, Volſcorum pergis ad oras.
  O patrii princeps gloria rara ſoli:

Si-

Sidere ſub rigido mavis cur vivere vitam,
Quam Romæ lætos continuare dies?
Auguror: haud animi poterat tua maxima virtus
Exiguæ arctari finibus Italiæ.

In obitum Philippi II. Hiſpan. Regis.

Unum crediderat, binos tamen ecce Philippos
Jupiter in terris ſenſit, & intremuit.
Quippe gigantæam tanto ſub nomine prolem
Horruit antiquis cautus ab inſidiis.
Aſt ſubito exſurgens nigro imperterrita villo
Liberat hoc tanto Parca timore Jovem.
Utque uno invictum certet ſub principe nomen
Stamina maturi præſecat ungue ſenis.
Scilicet hoc æquum eſt: in cœlis Jupiter unus,
Unus & in terris cuncta, Philippe, regas,

In obitum Auguſtini Cuſani Card.

Fama obiiſſe refert Cuſanum; aſt fallitur: ipſum
Cuſanum pietas vivere ubique refert.

In Buccium male ludentem.

Cum bene directum certo meditatus in orbem
Jactu indis globulum, Buccie, nemo probat.
Aſt male cum jacias; quam belle dirigis! ajunt.
Buccie, ſi bene vis ludere, lude male.

Ad amicum.

Niſus ut Euryalo, Pylades ut amicus Oreſti;
Ut Theſeus quondam Pirithooque fuit:
Sic ego perpetuo tibi fœdere jungar amoris;
Tuque mihi æterno fœdere junctus eris.
Mors equidem noſtræ perfringet ſtamina vitæ;
Vincula non ſolvet, nos quibus arctat amor.

Ad Margar. Auſtriac. loquitur America.

Ultima ne ſpernas munus, quod America mittit;
Partibus ę cunctis ultima, prima tibi eſt.

De

De Epigrammate oblato.

Parva fero, fateor; ſed me totum accipis iſto
Munere: ſi totum cur dare magna negem?

Ad Bottum.

Omnibus eſt major, credo Micconus: at uno,
Dum tu illum oppugnas, dicitur eſſe minor.

De verâ Juſtitiâ.

Quæ Dea? Juſtitia; & cur torvo lumine? flecti
Neſcia ſum lacrimis, nec prece, nec pretio.
Quod genus? a ſuperis; genitor quis? Jupiter; ex quâ
Matre? fide; nutrix quæ tu? Pauperies
Quis gremio infantem fovit? Prudentia; quonam
Freta duce agnoſcis crimina? Judicio.
Cur gladium tua dextra gerit, cur læva bilancem?
Ponderat hæc cauſſas: percutit ille reos.
Quid rari adſiſtunt? quod copia rara bonorum eſt.
Quæ comes adſidua eſt? candida Simplicitas.
Aurium aperta tibi cur altera, & altera clauſa eſt?
Hæc ſurda injuſtis; panditur illa bonis.
Paupere cur ſemper cultu? juſtiſſimus eſſe
Qui cupit, exiguas ſemper habebit opes.

De falsâ Juſtitiâ.

Quæ tu? Juſtitia; & cur blando lumine? flector
Protinus ante omnes non prece, ſed pretio.
Quod genus? a terris: quo patre? Dolo; unde creata?
Ex Spe; quæ nutrix? aurea materies.
Quis gremio infantem te fovit? Opinio famæ.
Quomodo cognoſcis crimina? muneribus.
Cur dextrâ gladium geſtas, lancemque ſiniſtra?
Hæc peragit cauſſam divitis; illa inopis.
Quid multi adſiſtunt? citat hic, tenet hic, ligat alter.
Quæ comes? argenti candida Simplicitas.
Altera clauſa tibi cur auris, & altera aperta eſt?
Hæc patet injuſtis; clauditur illa bonis.

Di-

Divite cur habitu? ſemper manus adgregat aurum;
Si nequit, unde velit; ſurripit unde poteſt.

De Matthæo Riparolâ Epiſc. & Matthæo Senaregâ Duce Genuenſi.

Dum duo Matthæi certant potioribus urbem
Adficere officiis; fertur uterque bonus.
Dumque hos urbs meritâ ſtatuit donare coronâ,
Debetur, dubium eſt, cui prius imperium.
Ne dubites: ſimili æternantur munere uterque;
Ille polum curat; temperat iſte ſolum.

Ad Puerum Spinulam.

Aoniâ in ſilva Muſæ te condere quærunt:
Spinula ni lateas, Spinula nullus eris.

In Purpuratum. Retrogradum.

Mens tua, non tua ſors; animus, non purpura, tanto
Scribere me verſus hos facit ingenio.
Te colo, non colo res: famam, non aurea quæro
Munera; dant magni quæ tibi cœlicolæ.

Ad Carolum Borgiam, Ducem Gandiæ.

Carminibus Carolum cupio celebrare; ſed ecce
Franciſcum referunt carmina noſtra patrem.
Franciſcum rurſus mens eſt extollere; & ecce
Laudibus in tantis inſeritur Carolus.
Hincque nepos proavum, proavuſque referre nepotem
Gaudet, & eluſis ludit uterque metris.
Scilicet hoc æquum eſt: cultus quibus unus, & una
Genſque, domuſque fuit, ſufficit unus honor.

Ad eundem.

Flebat Muſa tuum ſe non vidiſſe parentem;
Cum te reſpexit; vidi, ait, & tacuit.

Ad Beatam Virginem.

Pulcrum Pactolus deſpumat Lydius aurum;
Pulcer & irriguis nobilis hortus aquis.
Pulcræ pellucent Erithræo in littore gemmæ;
Pulcra nitent ſummo ſidera nocte polo.
Pulcra micat cœlo nitidi lux Solis ab axe,
Pulcra Damaſcenis & roſa vernat agris.
Pulcrior at multo es, virgo, & formoſior omni
Auro, horto, gemmâ, ſidere, luce, roſa.

De S. Catharinâ.

Inclita tergeminum vicit Catharina Tyrannum,
Hinc Mars, hinc Pallas ſæviit, inde Venus.
Mars ferro fuit armato; ſermone Minerva
Arguto; illecebris quæ Dea nata freto eſt.
Carnifices Mavors, ſapientes Pallas alumnos,
Aſt Venus impurum traxit in arma Ducem.
Dux, Venus, Illecebræ, Docti, Enthymemata, Pallas,
Mars, Ferrum atque Homines nil valuere truces.
Nam ferrum Virtute, Sophos ſermone diſerto,
Et blandos vicit Virginitate dolos.
Sic triplici triplicem referens ex hoſte triumphum,
In cœlo Martyr, Virgo, Magiſtra micat.

In Peccatorem.

Ludis, & ad multam ducis convivia noctem,
Duraque nec miſerum te tua fata premunt?
Ah miſer; interea triplici panduntur hiatu
Tartara, nec miſerum te tua fata premunt.
Vis ſapere, heu miſer, æterno ne tempore flagres?
Incipe deſipere, ſic ſapere incipies.

De tribus votis Relig. Echo ad Jeſum

Quo properas ligno compreſſus membra tumenti?
Menti conjungi, dulcis amica, volo.
Quid tantos in te noſtri ſuccendit amores?
Mores queis multum condecorata nites.

Quo

Quo pacto ardori, dic, reſpondebo paterno?
  Terno jam vinclo pectora junge mihi.
Corde meo te igitur, Jeſu dulciſſime, claudo?
  Laudo, ac propterea præmia magna feres.
Dic, quod erit tantum, Jeſu ſuaviſſime, munus?
  Unus eris mecum, & cœlica regna petes.

De fonte Pyrrhi Comitis.

Fontem auro Pyrrhus, variis Ars artibus ornat,
  Et Natura ſuas larga profundit opes.
Hoc unum deerat complecti carmine laudes:
  Hoc peragit docto carmine, ſed mutilo.
Dicere adhuc cum plura queat, cur ſiſtere mavult?
  Quod poterat dici credidit eſſe minus.

In obitum Pauli Honorati.

Quiſquis Honoratum periiſſe exiſtimat, errat:
  Vivit enim in ſuperâ, vivet & uſque domo.
Verum, ſi vivit genitor, cur deflet? Honorem
  Hinc abiiſſe ſuum, non obiiſſe dolet.

De eodem

Fulget Honoratus virtutis vivus honore.
  Mors nec Honorati triſtis honore caret.
Corpus Honorati magno tumulatur honore.
  Mens in ſidereâ ſplendet honore domo.
In cœlo, in terris, mors, vita merentur honorem;
  Dignus Honoratus ſemper honore frui.

De eodem.

Non vitam hanc, vitam; ſed triſtem cenſeo mortem
  Mors ipſa, vita perpes eſt.
Mortis Honoratum ſtringebant vincula vivum;
  His eſt ſolutus occubans.
Vivit Honoratus: vitalem degere vitam
  Incepit; at mors mortua eſt.

Ad eundem.

Ante patrem moreris: ſic fama; at fallitur illa
Vita patris, moritur te moriente pater.

De eodem.

Vixit Honoratus; meruit dum vixit, honorem.
Mortuum Honoratum flens comitatur honor.

Idem loquitur.

Lux & delitium fui parentum;
Nunc mœror, lacrimæ, dolor, tenebræ.
Nomen eſt ab Honore mî tributum;
Et vixi mea quod ferebat ætas
Ob mores, ſtudiumque Honore dignus.
Conceſſum eſt tria vix videre luſtra;
Cum Mors nec teneris pepercit annis.
Non citam doleo fuiſſe mortem;
(Nec mors eſt cita, quæ facit beatum)
Sed quod tam breve gaudium parentum,
Sim mœror, lacrymæ, & dolor perennis.

Ad eundem; pater loquitur.

Nate tibi tumulus cœlum; ſint funera laudes;
Ne deſint lacrimæ; vita parentis erunt.

De eodem.

Quærit Honoratus verum ſibi ſemper honorem:
Hinc volat ad Superos, eſt ubi verus honor.

Ad eundem.

Vivere dignus eras plures quam Neſtoris annos:
Non licuit tot, quot vivere dignus eras.
Quin licuit, tot eras quot dignus vivere, vivis:
In cœlo æternos vivere dignus eras.

In obitum Alexandri N.

Deviſtam terram, partas & ſanguine palmas,
  Jactat Alexandri Græcia magna Ducis.
Jactet Alexander melior ſine ſanguine cœlum,
  Summaque diverſâ parta trophœa manu
Quam melior virtus animi virtute caduci
  Corporis! iſta ſolum vincit, & illa polum.

In obitum Angeli Moroni.

Quid te, cara More, inſignem candore nivali,
  Atque ita præclaram reddit? an almus amor?
Illa nitens quondam, ſi vera eſt fabula, Thisbes
  Atra ſtatim magno reddita amore fuit.
Ergo ita diverſas amor idem conficit artes:
  Qui tamen hoc fecit, non fuit unus amor.

ANDREÆ ALCIATI
MEDIOLANENSIS
Emblemata.

Ad Maximilianum Ducem Mediolan. ſuper inſigni Ducatus Mediolan. I.

EXiliens infans ſinuoſi è faucibus anguis,
  Eſt gentilitiis nobile ſtemma tuis.
Talia Pellæum geſſiſſe numiſmata regem,
  Vidimus. hiſque ſuum concelebraſſe genus:
Dum ſe Ammone ſatum, matrem anguis imagine luſam,
  Divini & ſobolem ſeminis eſſe docet.
Ore exit; tradunt ſic quosdam enitier angues:
  An quia ſic Pallas de capite orta Jovis?

Tumulus Joan. Galeatii Vicecomitis, primi Ducis Mediolani. 2.

Pro tumulo, pone Italiam, pone arma, duceſque,
  Et mare, quod geminos mugit aduſque ſinus.
Adde his Barbariem conantem irrumpere fruſtra:
  Et mercede emptas in fera bella manus.
Anguiger aſt ſummo ſiſtens in culmine, dicat;
  Quis parvis magnum me ſuper impoſuit?

Medjolanum. 3.

Bituricis Vervex, Heduis dat Sucula ſignum;
  His populis patriæ debita origo meæ eſt,
Quam Mediolanum ſacram dixere puellæ
  Terram: nam vetus hoc Gallica lingua ſonat.
Culta Minerva fuit, nunc eſt ubi numine Thecla
  Mutato, matris virginis ante domum.
Laniger huic ſignum ſus eſt, animalque biforme;
  Acribus hinc ſetis, lanitio inde levi.

Nunquam procraſtinandum. 4.

Alciatæ gentis inſignia ſuſtinet Alce.
  Unguibus & μηδὲ fert ἀναβαλλόμενος,
Conſtat Alexandrum ſic reſpondiſſe roganti,
  Qui tot obiviſſet tempore geſta brevi?
Nunquam (inquit) differre volens, quod & indicat Alce:
  Fortior hæc dubites, ocyor anne ſiet.

Albutii ad Alciatum, ſuadentis, ut tumultibus Italicis ſe ſubducat. 5.

Quæ dedit hos fructus arbor, cœlo advena noſtro,
  Venit ab Eoo Perſidis axe prius.
Tranſlatu facta eſt melior: quæ noxia quondam
  In patria, hic nobis dulcia poma gerit.
Fert folium linguæ, fert poma ſimillima cordi;
  Alciate, hinc vitam degere diſce tuam.
Tu procul a patria in pretio es majore futurus:
  Multum corde ſapis, nec minus ore vales.

Fir-

Firmiſſima convelli non poſſe. 6.

Oceanus quamvis fluctus pater excitet omnes,
Danubiumque omnem, barbare Turca, bibas.
Non tamen irrumpes perfracto limite; Cæſar
Dum Carolus populis bellica ſigna dabit.
Sic ſacræ quercus firmis radicibus aſtant
Sicca licet venti concutiant folia.

Signa fortium. 7.

Quæ te cauſa movet volucris Saturnia, magni,
Ut tumulo inſideas ardua Ariſtomenis?
Hoc moneo: quantum inter aves ego robore præſto.
Tantum Semideos inter Ariſtomenes.
Inſideant timidæ timidorum buſta columbæ.
Nos aquilæ intrepidis ſigna benigna damus.

Princeps ſubditorum incolumitatem procurans. 8.

Titanii quoties conturbant æquora fratres,
Tum miſeros nautas anchora jacta juvat.
Hanc pius erga homines Delphin complectitur: imis
Tutius ut poſſit figier illa vadis.
Quam decet hæc memores geſtare inſignia Reges,
Anchora quod nautis, ſe populo eſſe ſuo?

Principis clementia 9.

Veſparum quòd nulla unquam Rex ſpicula figet:
Quodque aliis duplo corpore major erit.
Arguet imperium clemens, moderataque regna,
Sanctaque judicibus credita jura bonis.

In Senatum boni Principis 10.

Effigies manibus trunca, ante altaria divum
Hic reſidens; quarum lumine capta prior.
Signa poteſtatis ſummæ, ſanctique Senatus
Thebanis fuerant iſta reperta viris.
Cur reſident? quia mente graves docet eſſe quietâ
Juridicos; animo nec variare levi.

Cur ſine ſunt manibus? capiant ne xenia; nec ſe
  Pollicitis flecti, muneribuſve ſinant,
Cæcus at eſt princeps, quod ſolis auribus abſque
  Affectu, conſtans conſilii acta probat.

Abſtinentia 11.

Marmoreæ in tumulis una ſtat parte columnæ
  Urceus, ex alia cernere malluvium eſt.
Jus hæc forma monet, dictum ſine ſordibus eſſe,
  Defunctum puras atque habuiſſe manus.

Strenuorum immortale nomen. 12.

Æacidæ tumulum Rhœtæo in littore cernis,
  Quem plerumque pedes viſitat alba Thetis.
Obtegitur ſemper viridi lapis hic amarantho,
  Quòd nunquam herois ſit moriturus honos.
Hic Grajum murus, magni nex Hectoris. Haud plus
  Debet Mæonidæ, quam ſibi Mæonides.

Gramen. 13.

Gramineam Fabio Patres tribuêre corollam.
  Fregerat ut Pœnos, Hannibalemque morâ.
Occulit inflexo nidum ſibi gramine Alauda,
  Vulgo ajunt, pullos ſic fovet illa ſuos.
Saturno, Martique ſacrum, quo Glaucus adeſo
  Polybides, factus creditur eſſe Deus.
His merito arguitur nodis tutela ſaluſque;
  Herbaque tot vites hæc digitalis habet.

Optimus civis. 14.

Dum juſtis patriam Thraſybulus vindicat armis,
  Dumque ſimultates ponere quemque jubet,
Concors ordo omnis magni inſtar muneris, illi
  Palladiæ ſertum frondis habere dedit.
Cinge comam Thraſybule, geras hunc ſolus honorem,
  In magna nemo eſt æmulus urbe tibi.

No-

Nobiles, & generoſi. 15.

Aurea Cecropias nectebat fibula veſtes:
Cui conjuncta tenax dente cicada fuit.
Calceus Arcadico ſuberat cui lunula ritu,
Geſtatur Patribus mullea Romulidis.
Indigenas quod ſe adſererent, hæc ſigna tulerunt.
Antiquâ illuſtres nobilitate viri.

Ex arduis perpetuum nomen. 16.

Crediderant platani ramis ſua pignora paſſer,
Et bene: ni ſævo viſa Dracone forent.
Glutiit hic pullos omnes, miſeramque parentem
Saxeus. & tali dignus obire nece.
Hæc niſi mentitur Calcas, monumenta laboris
Sunt longi, cujus fama perennis eat.

Duodecim certamina Herculis. 17.

Roboris invicti ſuperat facundia laudes;
Dicta Sophiſtarum, laqueoſque reſolvit inanes.
Non furor, aut rabies virtute potentior ulla eſt:
Continuum ob curſum ſapienti opulentia cedit.
Spernit avaritiam, nec rapto aut fœnore gaudet.
Vincit fœmineos ſpoliatque inſignibus aſtus.
Expurgat ſordes, & cultum mentibus addit,
Illicitos odit coitus, abigitque nocentes,
Barbaries, feritaſque dat impia denique pœnam.
Unius virtus collectos diſſipat hoſtes:
Invehit in patriam externis bona plurima ab oris;
Docta per ora virûm volat & non interit unquam.

Eloquentia fortitudine præſtantior. 18.

Arcum læva tenet: rigidam fert dextera clavam,
Contegit & Nemees corpora nuda leo.
Herculis hæc igitur facies? non convenit illud
Quòd vetus, & ſenio tempora cana gerit.
Quid quod lingua illi levibus trajecta catenis,
Queis fiſſa facileis allicit aure viros?

An-

Anne quod Alciden lingua non robore Galli
  Præſtantem, populis jura dediſſe ferunt?
Cedunt arma togæ, & quamvis duriſſima corda
  Eloquio pollens ad ſua vota trahit.

Facundia difficilis. 19.

Antidotum Aeæ medicata in pocula Circes,
  Mercurium hoc Ithaco fama dediſſe fuit.
Moly vocant, id vix radice evellitur atrâ,
  Purpureus ſed flos, lactis & inſtar habet.
Eloquii candor facundiaque allicit omnes:
  Sed multi res eſt tanta laboris opus.

Ex litterarum ſtudiis immortalitas. 20.

Neptuni tubicen (cujus pars ultima cetum)
  Æquoreum facies indicat eſſe Deum:
Serpentis medio Triton comprehenditur orbe,
  Qui caudam inſerto mordicus ore tenet.
Fama viros animo inſignes præclaraque geſta
  Proſequitur; toto mandat & orbe legi.

Inſignia Poëtarum. 21.

Gentiles clypeos ſunt qui in Jovis alite geſtant,
  Sunt quibus aut Serpens, aut Leo ſigna ferunt:
Dira ſed hæc vatum fugiant animalia ceras;
  Doctaque ſuſtineat ſtemmata pulcher olor.
Hic Phœbo ſacer, & noſtræ regionis alumnus;
  Rex olim, veteres ſervat adhuc titulos.

Muſicam Diis curæ eſſe 22.

Locrenſis poſuit tibi, Delphice Phœbe, cicadam
  Eunomus hanc, palmæ ſigna decora ſuæ.
Certabant plectro Sparthyn commiſſus in hoſtem,
  Et percuſſa ſonum pollice fila dabant.
Trita fides rauco cœpit cum ſtridere bombo,
  Legitimum harmonies & vitiare melos,
Tum citharæ argutans ſuavis ſeſe intulit ales,
  Quæ fractam impleret voce cicada fidem:

Quæ-

Quaque allecta, ſoni ad legem deſcendit, ab altis
Saltibus, ut nobis garrula ferret opem.
Ergo tuæ ut firmus ſtet honos, o ſancte Cicadæ,
Pro cithara hic fidicen æneus ipſa ſedet,

Fœdera. 23.

Hanc citharam, a Lembi quæ forma halieutica fertur,
Vendicat & propriam Muſa Latina ſibi,
Accipe Dux, placeat noſtrum hoc tibi tempore munus,
Quo nova cum ſociis fœdera inire paras.
Difficile eſt, niſi docto homini, tot tendere chordas.
Unaque ſi fuerit non bene tenta fides,
Ruptave (quod facile eſt) perit omnis gratia conchæ,
Illeque præcellens cantus ineptus erit.
Sic Itali coëunt proceres in fœdera, concors
Nil eſt quod timeas, ſi tibi conſtet amor.
At ſi aliquis deſciſcat (uti plerumque videmus)
In nihilum illa omnis ſolvitur harmonia.

Fidei ſymbolum. 24.

Stet depictus Honos, Tyrio velatus amictu,
Ejuſque jungat nuda dextram Veritas;
Sitque Amor in medio caſtus; cui tempora circum
Roſa it, Diones pulchrior Cupidine.
Conſtituunt hæc ſigna Fidem, reverentia Honoris
Quam fovet, alit Amor, parturitque Veritas.

Concordia. 25.

In bellum civile duces cum Roma pararet,
Viribus & caderet Martia terra ſuis:
Mos fuit in partes turmis coëuntibus, eaſdem
Conjunctas dextras mutua dona dare.
Fœderis hæc ſpecies, id habet Concordia ſignum
Ut quos jungit amor, jungat & ipſa manus.

Concordia inſuperabilis. 26.

Tergeminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta ſimul pietas mutua, & unus amor:

In-

Iuvicti humanis ut viribus ampla tenerent
Regna, uno dicti nomine Geryonis.

Unum nihil, duos plurimum poſſe. 27.

Laërte genitum, genitum quoque Tydeos una,
Hac cerâ expreſſit Zenalis apta manus.
Viribus hic præſtat, hic pollet acumine mentis;
Nec tamen alterius non eget alter ope.
Cum duo conjuncti veniunt, victoria certa eſt;
Solùm mens hominem, deſtrave deſtituit.

Concordiæ ſymbolum. 28.

Cornicum mira inter ſe concordia vitæ eſt,
Inque vicem nunquam contemerata fides.
Hinc volucres has ſceptra gerunt; quod ſcilicet omnes
Conſenſu populi ſtantque caduntque duces:
Quem ſi de medio tollas, diſcordia præceps
Advolat, & ſecum regia fata trahit.

Non vulganda conſilia. 29.

Limine quod cæco, obſcurâ & caligine monſtrum
Gnoſiacis clauſit Dædalus in latebris:
Depictum Romam phalanx in prælia geſtat;
Semiviroque nitent ſigna ſuperba bove:
Noſque monent, debere ducum ſecreta latere
Conſilia, auctori cognita techna nocet.

Silentium. 30

Cum tacet: haud quicquam differt ſapientibus amens:
Stultitiæ eſt index linguaque voxque ſuæ.
Ergo premat labia, digitoque ſilentia ſignet;
Et ſe ſe Pharium vertat in Harpocratem.

Nec quæſtioni quidem cedendum. 31.

Cecropiâ effictam quam cernis in arce leænam,
Harmedii (an neſcis hoſpes?) amica fuit.
Sic animum placuit monſtrare viraginis acrem,
More feræ; nomen vel quia tale tulit.

Quòd

Quòd fidibus contorta, ſuo non prodidit ullum
 Indicio, elinguem reddidit Iphicrates.

Prudens magis quàm loquax. 32.

Noctua Cecropis inſignia præſtat Athenis,
 Inter aves ſani Noctua conſilii.
Armiferæ meritò obſequiis ſacrata Minervæ eſt,
 Garrula quo cornix ceſſerat ante loco.

Prudens. 33.

Jane bifrons, qui jam tranſacta, futuraque calles;
 Quique retrò ſannas (ſicut & ante) vides:
Tot te cur oculis, tot fingunt vultibus? an quod
 Circumſpectum hominem forma fuiſſe docet?

Conſilio & virtute ſuperatur Chimæra. 34.

Bellerophon (ut fortis eques) ſuperare Chimæram,
 Et Licii potuit ſternere monſtra ſoli.
Sic tu Pegaſeis vectus petis æthera pennis,
 Conſilioque animi monſtra ſuperba domas.

Maturandum. 35.

Maturare jubent propere, & cunctarier omnes.
 Ne nimium præceps, neu mora longa nimis.
Hoc tibi declaret connexum echeneide telum:
 Hæc tarda eſt, volitant ſpicula miſſa manu.

Vigilantia, & cuſtodia. 36.

Inſtantis quod ſigna canens det gallus Eoi,
 Et revocet famulas ad nova penſa manus:
Turribus in ſacris effingitur: ærea mentem
 Ad ſuperos pelvis quod revocet vigilem.
Eſt leo; ſed cuſtos oculis quia dormit apertis;
 Templorum idcirco ponitur ante fores.

Sobrie vivas, nec temere credas. 37.

Ne credas, ne (Epicharmus ait) non ſobrius eſto;
 Hi nervi, humanæ membraque mentis erunt,

Ec-

Ecce oculata manus credens id quod videt; ecce
 Pulegium, antiquæ ſobrietatis olus:
Quo turbam oſtenſo ſedaverit Heraclitus,
 Mulxerit & tumidâ ſeditione gravem.

Prudentes vino abſtinent. 38.

Quid me vexatis rami? ſum Palladis arbor:
 Auferte hinc botros, virgo fugit Bromium.

Vino prudentiam augeri. 39.

Hæc Bacchus pater, & Pallas communiter ambo
 Templa tenent, ſoboles utraque vera Jovis:
Hæc caput, ille femur ſolvit: huic uſus olivi
 Debitus; invenit primus at ille merum,
Junguntur meritò: quod ſi qui abſtemius odit
 Vina; Deæ nullum ſentiet auxilium.

Πῆ παρέβην; τὶ δὲ ἔρεξα; τί μοι δέον, οὐκ τετέλεσται; 40.

Italicæ Samius ſectæ celeberrimus autor
 Ipſe ſuum clauſit carmine dogma brevi.
Quo prætergreſſus? quid agis? quid omittis agendum?
 Hanc rationem urgens reddere quemque ſibi.
Quod didiciſſe gruum volitantum ex agmine fertur,
 Arreptum geſtant quæ pedibus lapidem:
Ne ceſſent, neu tranſverſas mala flamina raptent:
 Quâ ratione hominum vita regenda fuit.

Qua Dii vocant eundem. 41.

In trivio mons eſt lapidum, ſupereminet illi
 Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.
Mercurii eſt igitur tumulus. Suſpende viator.
 Serta Deo, rectum qui tibi monſtrat iter.
Omnes in trivio ſumus, atque hoc tramite vitæ
 Fallimur, oſtendat ni Deus ipſe viam.

In

In Deo lætandum. 42.

Adſpice, ut egregius puerum Jovis alite pictor
  Fecerit Iliacum ſumma per aſtra vehi.
Quiſne Jovem tactum puerili credat amore?
  Dic, hæc Mæonius finxerit unde ſenex?
Conſilium, Mens atque, Dei cui gaudia præſtant;
  Creditur is ſummo raptus adeſſe Jovi.

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου. 43.

Et toleranda homini triſtis fortuna ferendo eſt;
  Et nimium felix ſæpe timenda fuit.
Suſtine (Epictetus dicebat) & abſtine; oportet
  Multa pati, illicitis abſque tenêre manus.
Sic ducis imperium vinctus fert poplite taurus
  In dextro: ſic ſe continet a gravidis.

Obdurandum adverſus urgentia. 44.

Nititur in pondus palma, & conſurgit in arcum:
  Quo magis & premitur hôc mage tollit onus.
Fert & odoratas, bellaria dulcia, glandes,
  Queis menſas inter primus habetur honos.
I puer, & reptans ramis has collige: mentis
  Qui conſtantis erit, præmia digna feret.

In adulari neſcientem. 45.

Scire cupis dominos toties cur Theſſalis ora
  Mutet, & ut varios quærat habere duces?
Neſcit adulari, cuiquamve obtrudere palpum,
  Regia quem morem principis omnis habet.
Sed veluti ingenuus ſonipes, dorſo excutit omnem,
  Qui moderari ipſum neſciat Hippocomon.
Nec ſævire tamen domino fas ultio ſola eſt,
  Dura ferum ut jubeat ferre lupata magis.

Salus publica. 46.

Phœbigena erectis Epidaurius inſidet aris,
  Mitis, & immani conditur angue Deus.
Accurrunt ægri, veniatque ſalutifer orant.
  Annuit, atque ratas efficit ille preces.

Mutuum auxilium. 47.

Loripedem ſublatum humeris fert lumine captus:
  Et ſocii hæc oculis munera retribuit:
Quo caret alteruter, concors ſic præſtet uterque;
  Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

Auxilium nunquam deficiens. 48.

Bina pericla unis effugi ſedulus armis,
  Cum premererque ſolo, cum premererque ſalo.
Incolumem ex acie clypeus me præſtitit: idem
  Naviſragum apprenſus littora ad uſque tulit.

Amicitia etiam poſt mortem durans. 49.

Arentem ſenio, nudam quoque frondibus ulmum,
  Complexa eſt viridi vitis opaca comâ.
Agnoſcitque vices naturæ: & grata parenti
  Officii reddit mutua jura ſuo.
Exemploque monet, tales nos quærere amicos,
  Quos neque disjungat fœdere ſumma dies.

Gratiæ. 50.

Tres Charites Veneri adſiſtunt, dominamque ſequuntur,
  Hincque voluptates, atque alimenta parant.
Lætitiam Euphroſyne, ſpecioſum Aglaja nitorem,
  Suadela eſt Pithus, blandus & ore lepos.
Cur nudæ? mentis quoniam candore venuſtas
  Conſtat, & eximiâ ſimplicitate placet.
An quia nil referunt ingrati: atque arcula inanis,
  Eſt Charitum? qui dat munera, nudus eget,

Ad-

Additæ cur nuper pedibus talaria? bis dat
  Qui citò dat, minimi gratia tarda pretii eſt.
Implicitis ulnis cur vertitur altera? gratis
  Fœnerat, huic remanent una abeunte duæ.
Jupiter iis genitor; cœli de ſemine divas,
  Omnibus acceptas edidit Eurynome.

Littera occidit; Spiritus vivificat. 51.

Vipereos Cadmus dentes ut credidit arvis,
  Sevit & Aonio ſemina dira ſolo;
Terrigenum clypeata cohors exorta virorum eſt,
  Hoſtili inter ſe qui cecidere manu.
Evaſere quibus monitu Tritonidos armis,
  Abjectis data pax, dextraque juncta fuit.
Primus Agenorides elementa, notaſque magiſtris
  Tradidit, iis ſuavem junxit & harmoniam:
Quorum diſcipulos contraria plurima vexant,
  Non niſi Palladiâ quæ dirimuntur ope.

Scyphus Neſtoris. 52.

Neſtorem geminis cratera hunc accipe fundis.
  Quod gravis argenti maſſa protudit opus.
Claviculi ex auro, ſtant circum quattuor anſæ;
  Unam quamque ſuper fulva columba ſedet.
Solus eum potuit longævus tollere Neſtor.
  Mæonidæ doceas quid ſibi Muſa velit?
Eſt cœlum ſcyphus ipſe; colorque argenteus illi:
  Aurea ſunt cœli ſidera claviculi.
Pleiadas eſſe putant, quas dixerit ille columbas,
  Umblici gemini, magna minorque fera eſt.
Hæc Neſtor longo ſapiens intelligit uſu:
  Bella gerunt fortes: callidus aſtra tenet.

Antiquiſſima quæque commentitia. 53.

Pallenæe ſenex, cui forma eſt hiſtrica, Proteu,
  Qui modò membra viri fers, modò membra feri:
Dic age, quæ ſpecies ratio te vertit in omnes.
  Nulla ſit ut vario certa figura tibi?

Signa vetuſtatis, primævi & præfero ſæcli:
  De quo quiſque ſuo ſomniat arbitrio.

Dicta ſeptem ſapientum. 54.

Hæc habeas, ſeptem Sapientum effingere dicta,
  Atque ea picturis qui celebrare velis.
Optimus in rebus modus eſt (Cleobulus ut inquit)
  Hoc trutinæ examen, ſive libella docet.
Noſcere ſe Chilon Spartanus quemque jubebat:
  Hoc ſpecula in manibus, utraque ſumpta dabunt.
Quod Periander ait, frœna adde Corinthius iræ,
  Pulegium admotum naribus efficiet.
Pittacus at ne quid (dixit) nimis: hæc eadem ajunt,
  Contracto qui gith ore liquefaciunt.
Reſpexiſſe Solon finem jubet: ultimus agris
  Terminus haud magno ceſſerit ipſe Jovi.
Heù quàm vera Bias, eſt copia magna malorum:
  Muſmoni inſideat effice Sardus eques.
Ne præs eſto (Thales dixit) ſic illita viſco
  In laqueos ſociam parra, meropſque trahit.

Doctorum agnomina. 55.

Moris vetuſti eſt, aliqua profeſſoribus
  Superadjici cognomina.
Faciles, apertoſque explicans tantum locos,
  Canon vocatur Curtius.
Revolvitur qui eodem, & iteratque nimis
  Meander; ut Pariſius.
Obſcurus & confuſus, ut Picus fuit,
  Labyrinthus appellabitur.
Nimis brevis, multa amputans, ut Claudius,
  Mucronis agnomen feret.
Qui vel columnas voce rumpit, Parpalus,
  Dictus, truo eſt ſcholaſticis.
Contra eſt vocatus, tenuis eſſet Albius
  Quòd voce, veſpertilio.
At ultimas mutilans colobotes ſyllabas.
  Hirundo Craſſus dicitur.

Qui

Qui ſurdus aliis, ſolus ipſe vult loqui,
  Ut ſturnus in proverbio eſt.
Hic bleſus, ille raucus, iſte garriens;
  Hic ſibilat ceu vipera,
Tumultuatur ille rictu, & naribus;
  Huic lingua terebellam facit.
Singultit alius, atque tuſſit hæſitans;
  Conſpuit alius ut pſecas.
Quàm multa rebus vitia in humanis agunt,
  Tam multa ſurgunt nomina.

Doctos doctis obloqui nefas eſſe. 56.

Quid rapis heu, Progne, vocalem ſæva cicadam,
  Pignoribuſque tuis fercula dira paras?
Stridula ſtridentem, vernam verna, hoſpita lædis
  Hoſpitam, & aligeram penniger ales avem?
Ergo abjice hanc prædam, nam Muſica pectora ſummũ eſt,
  Alterum ab alterius dente perire, nefas.

Natura, ſeu vis naturæ. 57.

Pana colunt gentes (Naturam hoc dicere rerum eſt)
  Semicaprumque hominem, ſemivirumque Deum.
Eſt vir pubetenus; quod nobis inſita virtus,
  Corde oriens, celſâ verticis arce ſedet.
Hinc caper eſt, quia nos natura in ſæcla propagat
  Concubitu, ut volucres, ſquamea, bruta, feras.
Quod commune aliis animantibus, eſt caper index
  Luxuriæ, Veneris ſignaque aperta gerit.
Corde alii ſophian, alii tribuere cerebro:
  Inferiora, modus nec ratio ulla tenet.

Ars Naturam adjuvans. 58.

Ut ſphæræ Fortuna, cubo ſic inſidet Hermes:
  Artibus hic, variis caſibus illa præeſt.
Adverſus vim Fortunæ eſt ars facta: ſed artis
  Cum Fortuna mala eſt, ſæpe requirit opem.
Diſce bonas artes igitur ſtudioſa juventus,
  Quæ certæ ſecum commoda ſortis habent.

In juventam. 59.

Natus uterque Jovis, tener atque imberbis uterque,
Quem Latona tulit, quem tulit & Semele,
Salvete, æternâ ſimul & florete juventâ,
Numine ſit veſtro quæ diuturna mihi.
Tu vino curas, tu victu dilue morbos,
Ut lento accedat ſera ſenecta pede.

In quatuor tempora anni. 60.

Adveniſſe hyemem fringilla renunciat ales:
Ad nos vere novo garrula hirundo redit.
Indicat æſtatem ſe ſe expectare cuculus:
Autumno eſt tantum cernere ficedulas.

In colores. 61.

Index mœſtitiæ eſt pullus color: utimur omnes
Hoc habitu, tumulis cum damus inferias.
At ſynceri animi, & mentis ſtola candida puræ;
Hinc ſyndon ſacris linea grata viris.
Nos ſperare docet viridis. Spes dicitur eſſe
In viridi, quoties irrita retro cadit.
Eſt cupidis flavus color, eſt & amantibus aptus:
Et ſcortis, & queis ſpes ſua certa fuit.
At ruber armatos equites exornat amictus:
Indicat & pueros erubuiſſe pudor.
Cœruleus nautas, & qui cœleſtia vates
Attoniti nimiâ, relligione petunt.
Vilia ſunt giluis nativaque vellera birris;
Qualia lignipedes ſtragula habere ſolent.
Quem curæ ingentes cruciant, vel zelus amoris,
Creditur hic fulvâ non malè veſte tegi.
Quiſquis ſorte ſuâ contentus, janthina geſtet,
Fortunæ æquanimis tædia quique ferat.
Ut varia eſt natura coloribus in gignendis,
Sic aliis aliud: ſed ſua cuique placent.

In

In dies meliora. 62.

Roſtra novo mihi ſetigeri ſuis obtulit anno.
Hæcque cliens ventri xenia (dixit) habe.
Progreditur ſemper, nec retro reſpicit unquam,
Gramina cum pando proruit ore vorax.
Cura viris eadem eſt, ne ſpes ſublapſa retrorſum
Cedat: & ut melius ſit, quod & ulterius.

Omnia mea mecum porto. 63.

Hunnus inops Scythicique miſerrimus accola ponti,
Uſtus perpetuo livida membra gelu:
Qui Cereris non novit opes, nec dona Lyæi,
Et pretioſa tamen ſtragula ſemper habet.
Nam murrinæ illum perſtringunt undique pelles,
Lumina ſola patent, cetera opertus agit.
Sic furem haud metuit, ſic ventos temnit & imbres,
Tutus apudque viros, tutus apudque Deos.

Paupertas ſummis obeſt ingeniis, ne provehantur. 64.

Dextra tenet lapidem; manus altera ſuſtinet alas:
Ut me pluma levat; ſic grave mergit onus.
Ingenio poteram ſuperas volitare per arces,
Me niſi paupertas invida deprimeret.

Virtuti Fortuna comes. 65.

Anguibus implicitis, geminis caduceus alis,
Inter Amalthææ cornua rectus adeſt.
Pollentes ſic mente viros, fandique peritos
Indicat, ut rerum copia multa beet.

Tandem tandem juſtitia obtinet. 66.

Æacidæ Hectoreo perfuſum ſanguine ſcutum,
Quod Græcorum Itaco concio iniqua dedit;
Juſtior arripuit Neptunus in æquora jactum
Naufragio, ut dominum poſſet adire ſuum.

Littoreo Ajacis tumulo namque intulit unda,
  Quæ boat, & tali voce ſepulchra ferit:
Viciſti, Telamoniade, tu dignior armis.
  Affectus fas eſt cedere juſtitiæ.

Bonis a divitibus nihil timendum, 67.

Junctus contiguo Marius mihi pariete, nec non
  Subbardus, noſtri nomina nota fori,
Ædificant bene nummati, ſataguntque vel ultrò
  Obſtruere, heu, noſtris undique luminibus.
Me miſerum! geminæ quem tanquam Phinea raptant
  Harpyæ, ut propriis ſedibus ejiciant.
Integritas noſtra, atque animus quæſitor honeſti,
  His niſi ſint Zetes, his niſi ſint Calais.

Spes proxima. 68.

In numeris agitur reſpublica noſtra procellis,
  Et ſpes venturæ ſola ſalutis adeſt:
Non ſecus ac navis medio circum æquore, venti
  Quam rapiunt, ſalſis jamque fatiſcit aquis
Quod ſi Helenæ adveniant lucentia ſidera fratres;
  Amiſſos animos ſpes bona reſtituit.

In ſimulacrum ſpei. 69.

Quæ Dea tam læto ſuſpectans ſidera vultu?
  Cujus peniculis reddita imago fuit?
Elpidi fecere manus: ego nominor illa,
  Quæ miſeris promptam Spes bona præſtat opem.
Cur viridis tibi Palla? quòd omnia me duce vernent.
  Quid manibus mortis tela refracta geris?
Quod vivos ſperare decet, præcido ſepultis.
  Cur in dolioli tegmine pigra ſedes?
Sola domi manſi volitantibus undique noxis,
  Aſcræi ut docuit Muſa verenda ſenis.
Quæ tibi adeſt volucris? cornix, fidiſſimus oſcen;
  Eſt bene, cum nequeat dicere, dicit erit.
Qui comites? bonus eventus, præcepſque Cupido.
  Qui præeunt: vigilum ſomnia vana vocant.

Quæ

Quæ tibi juncta adſtat? ſcelerum Rhamnuſia vindex:
  Scilicet ut ſperes nil, niſi quod liceat.

Illicitum non ſperandum. 70.

Spes ſimul, & Nemeſis noſtris altaribus adſunt:
  Scilicet ut ſperes non niſi quod liceat.

Nec verbo, nec facto quenquam lædendum. 71.

Aſſequitur, Nemeſiſque virum veſtigia ſervat,
  Continet & cubitum, duraque frena manu.
Ne male quid facias, neve improba verba loquaris:
  Et jubet in cunctis rebus adeſſe modum.

Gratiam referendam. 72.

Aërio inſignis pietate Ciconia nido,
  Inveſtes pullos pignora grata fovet.
Taliaque expectat ſibi munera mutua reddi,
  Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia ſpem ſoboles fallit; ſed feſſa parentum
  Corpora fert humeris, præſtat & ore cibos.

Pietas filiorum in parentes. 73.

Per medios hoſtes patriæ, cum ferret ab igne
  Æneas humeris dulce parentis onus
Parcite dicebat: vobis ſene adorea rapto
  Nulla erit: erepto ſed patre ſumma mihi.

Amor filiorum. 74.

Ante diem vernam Boreali cana palumbes
  Frigore nidificat, præcoqua & ova fovet:
Mollius & pulli ut jaceant, ſibi vellicat alas;
  Queis nuda, hyberno deficit ipſa gelu.
Ecquid, Colchi, pudet, vel te, Progne, improba? mortem
  Cum volucris propriæ prolis amore ſubit?

Cuſtodiendas virgines. 75.

Vera hæc effigies innuptæ eſt Palladis: ejus
  Hic Draco, qui dominæ conſtitit ante pedes.

Cur Divæ comes hoc animal? cuſtodia rerum,
Huic data: ſic lucos, ſacraque templa colit.
Innuptas opus eſt cura aſſervare puellas
Pervigili; laqueos undique tendit amor.

In pudoris ſtatuam. 76.

Penelope deſponſa ſequi cupiebat Ulyſſem,
Ni ſecum Icarius mallet habere pater.
Ille Ithacam, hic offert Sparten, manet anxia virgo,
Hinc pater, inde viri mutuus urget amor.
Ergo ſedens velat vultus, obnubit ocellos:
Iſta verecundi ſigna pudoris erant.
Queis ſibi prælatum Icarius cognovit Ulyſſem;
Hocque Pudori aram ſchemate conſtituit.

Pudicitia. 77.

Porphirio domini ſi inceſtet in ædibus uxor,
Deſpondetque animum, præque dolore perit.
Abdita in arcanis naturæ eſt cauſa: ſit index
Sinceræ hæc volucris certa pudicitiæ.

Mulieris famam, non formam vulgatam eſſe oportere. 78.

Alma Venus quænam hæc facies, quid denotat illa
Teſtudo, molli quam pede Diva premis?
Me ſic effinxit Phidias, ſexumque referri
Fœmineum, noſtrâ juſſit ab effigie.
Quodque manere domi & tacitas decet eſſe puellas,
Suppoſuit pedibus talia ſigna meis.

Reverentiam in matrimonio requiri. 79.

Cum furit in Venerem, pelagi ſe in littore ſiſtit
Vipera, & ab ſtomacho dira venena vomit.
Murenamque ciens, ingentia ſibila tollit;
At ſubito amplexus appetit illa viri
Maxima debetur thalamo reverentia; conjunx
Alternum debet conjugi & obſequium.

In

In fidem uxoriam. 80.

Ecce puella, viro quæ dextra jungitur; ecce
Ut ſedet; ut catulus luſitat ante pedes.
Hæc fidei eſt ſpecies: Veneris quam ſi educat ardor.
Malorum in levâ non male ramus erit:
Poma etenim Veneris ſunt ſic Scheneida vicit
Hippomenes: petiit ſic Galathea virum,

In fecunditatem ſibi ipſi damnoſam. 81.

Ludibrium pueris lapides jacentibus, hoc me
In trivio poſuit ruſtica cura nucem.
Quæ laceris ramis perſtrictoque ardua libro,
Certatim fundis per latus omne petor.
Quid ſterili poſſet contingere turpius? eheu,
Infelix, fructus in mea damna fero.

Nupta contagioſo. 82.

Dii meliora piis (Mezenti) cur age ſic me
Compellas? emptus quod tibi dote gener,
Gallica, quem ſcabies dira & mentagra perurit:
Hoc eſt quidnam aliud (dic mihi ſæve pater)
Corpora corporibus, quam jungere mortua vivis,
Efferaque Etruſci facta novare ducis?

Senex puellam amans. 83.

Dum Sophocles (quamvis affectâ ætate) puellam
A quæſtu Archippen ad ſua vota trahit,
Allicit & pretio: tulit ægre inſana juventus
Ob zelum, & tali carmine utrunque notat:
Noctua ut in tumulis, ſuper utque cadavera bubo;
Talis apud Sophoclem noſtra puella ſedet.

Cavendum a meretricibus. 84.

Sole ſatæ Circes tam magna potentia fertur,
Verterit ut multos in nova monſtra viros.

Te-

Teſtis equum domitor Picus, tum Scylla biformis,
Atque Ithaci, poſtquam vina bibere ſues.
Indicat illuſtri meretricem nomine Circe:
Et rationem animi perdere, quiſquis amat.

In amatores meretricum. 85.

Villoſæ indutus piſcator tegmina capræ,
Addidit ut capiti cornua bina ſuo:
Fallit amatorem ſtans ſummo in littore ſargum,
In laqueos ſimiles quem gregis ardor agit.
Capra refert ſcortum; ſimilis ſit ſargus amanti;
Qui miſer obſcœno captus amore perit.

Tumulus meretricis. 86.

Quis tumulus? cuja urna? Ephyrææ eſt Laidos? ah non
Erubuit tantum perdere Parca decus?
Nulla fuit tum forma; illam jam carpſerat ætas:
Jam ſpeculum Veneri cauta dicarat anus.
Quid ſcalptus ſibi vult aries, quem parte leæna
Unguibus apprehenſum poſteriore tenet?
Non aliter captos quòd & ipſa teneret amantes.
Vir gregis eſt aries, clune tenetur amans.

Cuculi. 87.

Ruricolas, agreſte genus, plerique cuculos
Cur vocitent, quæ nam prodita cauſa fuit?
Vere novo cantat coccyx, quo tempore vites
Qui non abſolvit, jure notatur iners.
Fert ova in nidos alienos; qualiter ille
Cui thalamum prodit uxor adulterio.

Inviolabiles telo Cupidinis. 88.

Ne dirus te vincat amor, neu fœmina mentem
Diripiat magicis artibus ulla tuam:
Bacchica avis præſto tibi motacilla paretur,
Quam quadriradiam circuli in orbe loces:
Ore crucem & cauda, & geminis ut complicet alis,
Tale amuletum carminis omnis erit.

Di-

Dicitur hoc Veneris ſigno, Pagaſæus Jaſon
Phaſiacis lædi non potuiſſe dolis.

Amuletum Veneris. 89.

Inguina dente fero ſuffoſſum Cypris Adonin
Lactucæ foliis condidit exanimem.
Hinc genitali arvo tantum lactuca reſiſtit,
Quantum eruca ſalax vix ſtimulare poteſt.

Luxuria. 90.

Erucâ capripes redimitus tempora Faunus,
Immodicæ Veneris ſymbola certa refert.
Eſt eruca ſalax, indexque libidinis hircus,
Et Satyri Nymphas ſemper amare ſolent.

Laſcivia. 91.

Delicias, & molliciem, mus creditur albus
Arguere, at ratio non ſat aperta mihi eſt.
An quod ei natura ſalax, & multa libido eſt?
Ornat Romanas an quia pelle nurus?
Sarmaticum murem vocitant plerique Zibellum,
Et celebris ſuavi eſt inguine muſcus Arabs.

Luxurioſorum opes. 92.

Rupibus aëreis, ſummique crepidine ſaxi
Immites fructus ficus acerba parit,
Quos corvi comedunt, quos devorat improba cornix
Qui nihil humanæ commoditatis habent
Sic fatuorum opibus paraſiti & ſcorta fruuntur.
Et nullâ juſtos utilitate juvant.

Sirenes. 93.

Abſque alis volucres, & cruribus abſque puellas,
Roſtro abſque & piſces, qui tamen ore canant;
Quis putet eſſe ullos? jungi hæc natura negavit:
Sirenes fieri ſed potuiſſe docent.
Illicium eſt mulier; quæ in piſcem deſinit atrum,
Plurima quòd ſecum monſtra libido vehit.

Ad.

Adſpectu, verbis, animi candore trahuntur,
Parthenope, Ligiâ, Leucoſiaque viri.
Has Muſæ explumant, has æque illudit Ulyſſes:
Scilicet eſt doctis cum meretrice nihil.

Ocni effigies. 94.

Impiger haud ceſſat funem contexere ſparto,
Humidaque artifici jungere fila manu.
Sed quantum multis vix torquet ſtrenuus horis,
Protinus ignavi ventris aſella vorat.
Femina, iners animal, facili congeſta marito,
Lucra rapit, mundum prodigit inque ſuum.

In ſtatuam amoris. 95.

Quis ſit Amor plures olim cecinere poëtæ,
Ejus qui vario nomine geſta ferunt.
Convenit hoc; quod veſte caret, quod corpore parvus,
Tela, alaſque ferens, lumina nulla tenet:
Hæc ora, hic habituſque Dei eſt, ſed dicere tantos
Si licet in vates; falſa ſubeſſe reor.
Et cur nudus agat? Divo quaſi pallia deſint,
Qui cunctas domiti poſſidet orbis opes.
Aut qui, quæſo, nives Boreamque evadere nudus
Alpinum potuit ſtrictaque prata gelu?
Si puer eſt, puerumne vocas qui Neſtora vincit?
An noſti Aſcræi carmina docta ſenis?
Inconſtans puer hic, obdurans pectora quæ jam
Tranſadiit, nunquam linquere ſponte poteſt.
At pharetras & tela gerit, quid inutile pondus?
An curvare infans cornua dura valet?
Alas curve tenet, quas neſcit in æthera ferre?
Inſcius in volucrum flectere tela jecur.
Serpit humi, ſemperque virûm mortalia corda
Lædit, & haud alas ſaxeus inde movet.
Si cæcus vitamque gerit, quid tænia cæco
Utilis eſt? ideo num minus ille videt?
Quiſve ſagittiferum credat qui lumine captus?
Hic certa, at cæci ſpicula vana movet.

Igneus

Igneus eſt, ajunt, verſatque in pectore flammas.
Cur age vivit adhuc? omnia flamma vorat.
Quin etiam tumidis cur non exſtinguitur undis
Najadum quoties mollia corda ſubit?
At tu ne tantis capiare erroribus, audi;
Verus quis ſit Amor, carmina noſtra ferent:
Jucundus labor eſt, laſciva per otia ſignum
Illius eſt nigro punica glans clypeo.

Vis Amoris. 96.

Aligerum fulmen fregit Deus aliger, igne
Dum demonſtrat, utri eſt fortior ignis Amor.

Potentia Amoris. 97.

Nudus amor viden' ut ridet, placidumque tuetur?
Nec faculas, nec quæ cornua flectat, habet.
Altera ſed manuum flores gerit, altera piſcem:
Scilicet ut terræ jura det, atque mari.

Potentiſſimus adfectus Amor. 98.

Aſpice ut invictus vires auriga leonis,
Expreſſus gemma puſio vincat Amor.
Utque manu hac ſcuticam tenet, hac ut flectit habenas,
Utque eſt in pueri plurimus ore decor.
Dira lues procul eſto: feram qui vincere talem
Eſt potis? a nobis temperet anne manus?

In ſtudioſum amore captum. 99.

Immerſus ſtudiis dicundo & jure peritus,
Et maximus libellio
Helianiran amat, quantum nec Thracius unquam
Princeps ſororis pellicem.
Pallada cur alio ſuperaſti judice, Cypri?
Num ſat ſub Ida eſt vincere?

Dulcia quandoque amara fieri. 100.

Matre procul lictâ paulum ſeceſſerat infans
Lydius: hunc diræ ſed rapuiſtis apes.

Vene-

Venerat hic ad vos, placidas ratus eſſe volucres,
  Cum nec ita immitis vipera ſæva foret
Quæ datis ah, dulci ſtimulos pro munere mellis!
  Proh, Dolor, heu ſine te, Gratia nulla datur.

Fere ſimile, ex Theocrito. 101.

Alveolis dum mella legit, percuſſit Amorem
Furacem mala apes, & ſummis ſpicula liquit
In digitis: tumido gemit at puer anxius ungue.
Et quatit errabundus humum; Venerique dolorem
Indicat, & graviter queritur, quod apicula parvum,
Ipſa inferre animal tam noxia vulnera poſſit.
Cui ridens Venus, hanc imitaris tu quoque dixit
Nate feram; qui das tot noxia vulnera parvus.

Ἀντέρως *Amor virtutis alium cupidinem ſuperans.* 102.

Aligerum, aligeroque inimicum pinxit Amori,
  Arcu arcum, atque ignes igne domans Nemeſis.
Ut quæ aliis fecit patiatur; at hic puer olim
  Intrepidus geſtans tela, miſer lachrimat.
Ter ſpuit, inque ſinus imos, res mira, crematur
  Igne ignis, furias odit Amoris Amor.

Ἀντέρως. *Ideſt Amor virtutis.* 103.

Dic ubi ſunt incurvi arcus? ubi tela Cupido?
  Mollia queis juvenum figere corda ſoles?
Fax ubi triſtis; ubi pennæ? tres unde corollas
  Fert manus? unde aliam tempora cincta gerunt?
Haud mihi vulgari eſt, hoſpes, cum Cypride quicquam
  Ulla voluptatis nos neque forma tulit:
Sed puris hominum ſuccendo mentibus ignes
  Diſciplinæ; animos aſtraque ad alta traho.
Quattuor eque ipſa texo virtute corollas,
  Quarum quæ Sophiæ eſt, tempora prima tegit.

In

In oblivionem patriæ. 104.

Jam dudum miſsâ patriâ, oblituſque tuorum,
Quos tibi ſeu ſanguis, ſive paravit amor,
Romam habitas; nec cura domum ſubit ulla reverti;
Æternæ tantum te capit urbis honos.
Sic Ithacûm præmiſſa manus, dulcedine loti
Liquerat & patriam liquerat atque ducem.

Quæ ſupra nos, nihil ad nos. 105.

Caucaſeâ æternum pendens in rupe Prometheus;
Diripitur ſacri præpetis ungue jecur:
Et nollet feciſſe hominem, figuloſque peroſus,
Accenſam rapto damnat ab igne facem.
Roduntur variis prudentem pectora curis,
Qui cœli affectant ſcire, Deûmque vices.

In Aſtrologos. 106.

Icare per ſuperos qui raptus & aëra, donec
In mare præcipitem cæra liquata daret,
Nunc te cæra eadem, fervenſque exuſcitat ignis,
Exemplo ut doceas dogmata certa tuo.
Aſtrologus caveat quicquam prædicere; præceps
Nam cadet impoſtor, dum ſuper aſtra volat.

Qui alta contemplantur, cadunt. 107.

Dum turdos viſco, pedicâ dum fallit alaudas,
Et jacta altivolam figit harundo gruem,
Dipſada non prudens auceps pede perculit: ultrix
Illa mali, emiſſum virus ab ore jacit.
Sic obit, extento qui ſidera reſpicit arcu;
Securus fati, quòd jacet ante pedes.

In temerarios. 108.

Adſpicis aurigam currus Phaëtonta paterni
Ignivomos auſum flectere ſolis equos.

Ma-

Maxima qui poſtquam terris incendia ſparſit;
Eſt temere infeſſo lapſus ab axe miſer.
Sic plerique rotis Fortunæ ad ſidera Reges
Evecti, ambitio quos juvenilis agit;
Poſt magnam humani generis cladem que ſuamque,
Cunctorum pœnas denique dant ſcelerum.

In eos qui audent ſupra vires. 109.

Dum dormit, dulci recreat dum corpora ſomno
Sub piceâ, & clavam ceteraque arma tenet;
Alciden Pygmæa manus proſternere letho
Poſſe putat, vires non bene docta ſuas.
Excitus ipſe, velut pulices, ſic proterit hoſtem;
Et ſævi implicitum pelle leonis agit.

Temeritas. 110.

In præceps rapitur, fruſtra quoque tendit habenas
Auriga; effreni quem vehit oris equus.
Haud facilè huic credas, ratio quem nulla gubernat,
Et temere proprio ducitur arbitrio.

Sua prodigenti, non credenda aliena. 111.

Colchidos in gremio nidum quid congeris? eheu
Neſcia, cur pullos tam male credis, avis?
Dira parens Medea ſuos ſæviſſima natos
Perdidit, & ſperas, parcat ut illa tuis?

Doloſus in ſuos. 112.

Altilis allectator anas, & cærula pennis,
Adſueta ad dominos ire redire ſuos;
Congeneres cernens volitare per aëra turmas,
Garrit; in illarum ſe recipitque gregem;
Prætenſa incautas donec ſub retia ducat.
Obſtrepitant captæ, conſcia at ipſa ſilet.
Perfida cognato ſe ſanguine polluit ales,
Officioſa aliis, exitioſa ſuis.

Cen-

Conſiliari Principum. 113.

Heroum genitos, & magnum fertur Achillem
In ſtabulis Chiron erudiiſſe ſuis.
Semiferum doctorem, & ſemivirum centaurum,
Aſſideat quiſquis regibus, eſſe decet.
Eſt fera, dum violat ſocios, dum proterit hoſtes:
Eſtque homo, dum ſimulat ſe populo eſſe pium.

In victoriam dolo partam. 114.

Ajacis tumulum lacrimis ego perluo Virtus,
Heu miſera albentes dilacerata comas.
Scilicet hoc reſtabat adhuc, ut judice Græco
Vinceret, & cauſſa ſtet potiore dolus.

In damnum ſibiipſi parantem. 115.

Capra, lupum non ſponte meo nunc ubere lacte,
Quòd male paſtoris provida cura jubet.
Creverit ille ſimul, mea me poſt ubera paſcet,
Improbitas nullo flectitur obſequio.

In receptatores ſicariorum. 116.

Latronum furumque manus tibi Scæva per urbem
It comes; & diris cincta cohors gladiis.
Atque ita te mentis generoſum, prodige, cenſes,
Quòd tua complureis allicit olla malos.
En novus Actæon; qui poſtquam cornua ſumpſit,
In prædam canibus ſe dedit ipſe ſuis.

In divites publico malo. 117.

Anguillas quiſquis captat, ſi limpida verrat
Flumina, ſi illimes auſit adire lacus;
Caſſus erit, ludetque operam: multum excitet ergò
Si cretæ, & vitreas palmula turbet aquas,
Dives erit. Sic iis res publica turbida lucro eſt,
Qui pace, arctati legibus, eſuriunt.

Opulentia tyranni, paupertas ſubjectorum. 118.

Humani quod ſplen eſt corporis, in populi re
Hoc Cæſar fiſcum dixerat eſſe ſuum.
Splene aucto, reliqui tabeſcunt corporis artus,
Fiſco aucto, arguitur civica pauperies.

De Fiſco. 119.

Exprimit humentes, quas jam madefecerat antè
Spongiolas, cupidi Principis arcta manus.
Provehit ad ſummum fures; quos deinde coërcet:
Vertat ut in fiſcum, quæ male parta, ſuum.

Aliquid mali, propter vicinum malum. 120.

Raptabat torrens ollas, quarum una metallo,
Altera erat figuli terrea facta manu.
Hanc igitur rogat illa; velit ſibi proxima ferri,
Juncta ut præcipites utraque ſiſtat aquas.
Cui lutea: haud nobis, ſeu nos tibi conferat unda;
Ne mihi proximitas hæc mala multa ferat.
Nam ſeu te nobis, ſeu nos tibi conferat unda;
Ipſa ego te fragilis ſoſpite ſola terar.

In eum qui truculentiâ ſuorum perierit. 121.

Delphinem invitum me in littora compulit æſtus;
Exemplum, infido quanta pericla mari.
Nam ſi nec propriis Neptunus parcit alumnis,
Quis tutos homines navibus eſſe putet?

In deprehenſum. 122.

Jamdudum quacunque fugis te perſequor; at nunc
Caſſibus in noſtris denique captus ades.
Amplius haud poteris vires eludere noſtras:
Ficulno anguillam ſtrinximus in folio.

Etiam

Etiam ferociſſimos domari. 123.

Romanum poſtquam eloquium, Cicerone perempto
Perdiderat patriæ peſtis acerba ſuæ;
Inſcendit currus victor, junxitque leones,
Compulit & durum colla ſubire jugum.
Magnanimos ceſſiſſe ſuis Antonius armis,
Ambage hac cupiens ſignificare duces.

Alius peccat, alius plectitur. 124.

Arripit ut lapidem catulus, morſuque fatigat,
Nec percuſſori mutua damna facit:
Sic plerique ſinunt veros elabier hoſteis;
Et quos nulla gravat noxia, dente petunt.

Par culpa delinquentis & ſuaſoris. 125

Præconem lituo perflantem claſſica, victrix
Captivum in tetro carcere turba tenet.
Queis ille excuſat: quòd nec ſi ſtrenuus armis,
Ullius aut ſævo læſerit enſe latus.
Huic illi: quin ipſe magis timidiſſime peccas,
Qui clangore alios æris in arma cies.

A minimis quoque timendum. 126.

Bella gerit ſcarabæus, & hoſtem provocat ultrò;
Robore & inferior, conſilio ſuperat.
Nam plumis aquilæ clam ſe, neque cognitus, abdit,
Hoſtilem ut nidum ſumma per aſtra petat:
Ovaque confodiens, prohibet ſpem creſcere prolis:
Hocque modo illatum dedecus ultus abit.

Vel poſt mortem formidoloſi. 127.

Cetera muteſcent, coriumque ſilebit ovillum,
Si confecta lupi tympana pelle ſonent.
Hanc membrana ovium ſic exhorreſcit, ut hoſtem,
Exanimis quamvis, non ferat exanimem.

Sic cute detractâ Ciſchas in tympana verſus,

. . . .

Juſta vindicta. 128.

Dum reſidet Cyclops ſinuoſi in faucibus antri,
Hæc ſecum teneras concinit inter oves,
Paſcite vos herbas: ſociis ego paſcar Achivis,
Poſtremumque Utin viſcera noſtra ferent.
Audiit hæc Ithacus, Cyclopaque lumine caſſum
Reddidit: en pœnas ut ſuus auctor habet?

Juſta ultio. 129.

Raptabat volucres captum pede cervus in auras
Scorpion, audaci præmia parta gulæ.
Aſt ille infuſo ſenſim per membra veneno,
Raptorem in Stygias compulit ultor aquas.
O riſu res digna! aliis qui fata parabat,
Ipſe perit; propriis ſuccubuitque dolis.

Inanis impetus. 130.

Lunarem noctu (ut ſpeculum) canis inſpicit orbem:
Seque videns, alium credit ineſſe canem,
Et latrat: ſed fruſtra agitur vox irrita ventis,
Et peragit curſus ſurda Diana ſuos.

In detractores. 131.

Audent flagriferi matulæ, ſtupidique magiſtri
Bilem in me impuri pectoris evomere.
Quid faciam? reddamne vices? ſed nonne cicadam
Ala una obſtreperam corripuiſſe ferar?
Quid prodeſt muſcas operoſis pellere flabris?
Negligere eſt ſatius, perdere quod nequeas.

Æmulatio impar. 132.

Altivolam milvus comitatur degener Harpiyam,
Et prædæ partem ſæpe cadentis habet.
Mullum proſequitur qui ſpretas ſargus ab illo,
Preteritaſque avidus devorat ore dapes.

Sic

Sic mecum Oenocrates agit: at deſerta ſtudentum
Utitur hoc lippo curia tanquam oculo.

In deſciſcentes. 133.

Quod ſine egregios turpi maculaveris orſus,
In noxamque tuum verteris officium,
Feciſti, quòd capra, ſui mulctraria lactis.
Cum ferit, & proprias calce profundit opes.

Imparilitas. 134.

Ut ſublime volans tenuem ſecat aëre Falco,
Ut paſcuntur humi Graculus, Anſer, Anas:
Sic ſummum ſcandit ſuper æthera Pindarus ingens,
Sic ſcit humi tantum ſerpere Bacchilydes.

Fortuna virtutem ſuperans. 135.

Cæſareo poſtquam ſuperatus milite, vidit
Civili undantem ſanguine Pharſaliam;
Jamiam ſtricturus moribunda in pectora ferrum,
Audaci hos Brutus protulit ore ſonos:
Infelix Virtus & ſolis provida verbis,
Fortunam in rebus cur ſequeris dominam?

Inſani gladius. 136.

Setigeri medius ſtabat gregis enſifer Ajax.
Cæde ſuum, credens cædere Tantalidas.
Hoſtia ſic tanquam ſus ſuccedanea pœnas
Pro Laërtiade pro caveaque dabat.
Neſcit obeſſe ſuis furor hoſtibus: errat ab ictu
Conſiliique impos in ſua damna ruit.

Furor & rabies. 137.

Ora gerit clypeus rabioſi picta leonis,
Et ſcriptum in ſummo margine carmen habet.
Hic hominum eſt terror cujus poſſeſſor Atrida
Talia magnanimus ſigna Agamemno tulit.

Eʼχθρῶν ἄδωρα δῶρα. *In dona hoſtium.* 138.

Bellorum cœpiſſe ferunt monumenta viciſſim
  Scutiferum Ajacem, Hectoraque Iliacum:
Balthea Priamides, rigidum Thelamonius enſem;
  Inſtrumenta ſuæ cepit uterque necis.
Enſis enim Ajacem confecit, at Hectora functum
  Traxêre Æmoniis cingula nexa rotis.
Sic titulo obſequii, quæ mittunt hoſtibus hoſtes
  Munera, venturi præſcia fata ferunt.

Superbia. 139.

En ſtatuæ ſtatua, & ductum de marmore marmor,
  Se conferre Deis auſa procax Niobe.
Eſt vitium muliebre ſuperbia, & arguit oris
  Duritiem, ac ſenſus, qualis ineſt lapidi.

Invidia. 140.

Squallida vipereas manducans femina carnes,
  Cuique dolent oculi, quæque ſuum cor edit,
Quam macies, & pallor habent, ſpinoſaque geſtat
  Tela manu; talis pingitur invidia.

Ira. 141.

Alcæam veteres caudam dixere Leonis,
  Quâ ſtimulante iras concipit ille graves
Lutea cum ſurgit bilis, crudeſcit & atro
  Felle dolor, furias excitat indomitas.

Ficta religio. 142.

Regali reſidens meretrix pulcherrima ſella,
  Purpureo inſignem geſtat honore peplum,
Omnibus & latices pleno e cratere propinat:
  At circum cubitans ebria turba jacet.
Sic Babylona notant: quæ gentes illice formâ,
  Et fictâ ſtolidas relligione capit.

Sa-

Sapientia humana, ſtultitia apud Deum. 143.

Quid dicam? quonam hoc compellam nomine monſtrum
Biforme: quòd non eſt homo, nec eſt Draco?
Sed ſine vir pedibus, ſummis ſine partibus anguis,
Vir anguipes dici, & homiceps anguis poteſt.
Anguem pedit homo, hominem eructavit & anguis,
Nec finis hominis eſt, initium nec eſt feræ.
Sic olim Cecrops doctis regnavit Athenis,
Sic & Gigantes terra mater protulit.
Hæc vafrum ſpecies, ſed relligione carentem,
Terrena tantum quique curet, indicat.

In nothos. 144.

Herculeos ſpurii ſemper celebretis honores:
Nam veſtri princeps ordinis ille fuit.
Nec prius eſſe Deus potuit, quam ſugeret infans
Lac, ſibi quod fraudis neſcia Juno dabat.

Mentem, non formam pollere. 145.

Ingreſſa vulpes in choragi pergulam,
Fabre expolitum invenit humanum caput,
Sic eleganter fabricatum, ut ſpiritus
Solum deeſſet, ceteris viviſceret.
Id illa cum ſumpſiſſet in manus, ait:
Hoc quale caput eſt, ſed cerebrum non habet!

Submovendam ignorantiam. 146.

Quod monſtrum id? Sphinx eſt; cur candida virginis ora,
Et volucrum pennas, crura leonis habet?
Hanc faciem aſſumpſit rerum ignorantia: tanti
Scilicet eſt triplex cauſa & origo mali.
Sunt quos ingenium leve, ſunt quos blanda voluptas,
Sunt & quos faciunt corda ſuperba rudes.
At quibus eſt notum, quid Delphica littera poſſit;
Præcipitis monſtri guttura dira ſecant.

Namque vir ipſe, bipeſq; tripeſq; & quadrupes idem eſt.
Primaque prudentis laurea, noſſe virum.

Φιλαυίτα. 147.

Quòd nimium tua forma tibi Narciſſe placebat,
In florem, & noti eſt verſa ſtuporis olus.
Ingenii eſt marcor, cladeſque Philautia; doctos
Quæ peſſum plures datque; deditque viros:
Qui veterum abjectâ methodo, nova dogmata quærunt.
Nilque ſuas præter tradere phantaſias.

Impudentia. 148.

Pube tenus mulier, ſuccincta latrantibus infra
Monſtrorum catulis, Scylla biformis erat.
Monſtra putantur avarities, audacia, raptus:
At Scylla eſt, nullus cui ſit in ore pudor.

Non tibi ſed religioni. 149.

Iſidis effigiem tardus geſtabat aſellus.
Pando verenda dorſo habens myſteria.
Obvius ergo Deam quiſquis reverenter adorat,
Piaſque genibus concipit flexis preces.
Aſt aſinus tantum præſtari credit honorem
Sibi, & intumeſcit admodum ſuperbiens:
Donec eum flagris compeſcens dixit Agaſo:
Non es Deus tu, Aſelle, ſed Deum vehis.

In illaudata laudantes. 150.

Ingentes Galatûm ſemermi milite turmas,
Spem præter trepidus fuderat Antiochus,
Lucarum cum ſæva boum vis dira proboſcis,
Tum primum hoſtiles corripuiſſet equos:
Ergo trophæa locans Elephantis imagine pinxit,
Inſuper ſociis: Occideramus ait,
Bellua ſervaſſet ni nos fœdiſſima barrus:
Ut ſuperaſſe juvat, ſic ſuperaſſe pudet,

Pax. 151.

Turrigeris humeris, dentis quoque Barrus eburni,
Qui ſuperare ferox Martia bella ſolet,
Suppoſuit nunc colla jugo, ſtimuliſque ſubactus,
Cæſareus currus ad pia templa vehit.
Vel fera cognoſcit concordes undique gentes:
Projectiſque armis munia pacis obit.

Ex bello pax. 152.

En galea, intrepidus quam miles geſſerat; & quæ
Sæpius hoſtili ſparſa cruore fuit;
Partâ pace, apibus tenuis conceſſit in uſum
Alveoli; atque favos, grataque mella gerit.
Arma procul jaceant: fas ſit tunc ſumere bellum;
Quando aliter pacis non potes arte frui.

Ex pace ubertas. 153.

Grandibus ex ſpicis tenues contexe corollas,
Quas circum alterno palmite vitis eat.
His comptæ Halciones tranquilli in marmoris unda
Nidificant, pullos involucreſque fovent.
Lætus erit Cereri, Baccho quoque fertilis annus,
Æquorei ſi rex alitis inſtar erit.

Reſpublica liberata. 154.

Cæſaris exitio, ceu libertate receptâ,
Hæc ducibus Brutis cuſa moneta fuit.
Enſiculi inprimis, queis pileus inſuper adſtat,
Qualem miſſa manu ſervitia accipiunt.

In ſtatuam Bacchi. 155.

Bacche pater: quis te mortali lumine novit?
Et doctâ effinxit quis tua membra manu?
Praxiteles, qui me rapientem Gnoſida vidit,
Atque illo pinxit tempore qualis eram.
Cur juvenis, teneraque etiam lanugine vernat
Barba, queas Pylium cum ſuperare ſenem?

Mu-

Muneribus quandoque meis ſi parcere diſces
  Junior, & forti pectore ſemper eris.
Tympana non manibus, capiti non cornua deſunt,
  Quos, niſi dementes talia ſigna decent,
Hoc doceo, noſtro quod abuſus munere ſumit
  Cornua, & inſanus mollia ſiſtra quatit.
Quid vult ille color membris pæne igneus? omen
  Abſit, an humanis ureris ipſe focis?
Cum Semeles de ventre parens me fulmine traxit
  Ignivomo, infectum ſulphure merſit aquis.
Hinc ſapit is, liquidis qui nos bene diluit undis;
  Qui non, ardenti torret ab igne jecur,
Sed nunc me doceas, queîs vis miſcerier? & quâ
  Te ſanus tutum prendere lege queat.
Quadrantem addat aquæ, calicem ſumpſiſſe Falerni
  Qui cupit: hoc ſumi pocula more juvat.
Stes intra heminas: nam qui procedere tendit
  Ultra, alacer, ſed mox ebrius, inde furit.
Res dura hæc nimium: ſunt pendula guttura, dulce
  Tu fluis. heu facile commoda nulla cadunt.

Avaritia. 156.

Heu miſer in mediis ſitiens ſtat Tantalus undis,
  Et poma eſuriens proxima, habere nequit,
Nomine mutato de te id dicetur, avare,
  Qui, quaſi non habeas, non frueris quod habes.

In avaros. 157.

Septitius populos inter ditiſſimus omnes,
  Arva ſenex nullus quo magis ampla tenet,
Defraudans geniumque ſuum, menſaſque paratas,
  Nil præter betas, duraque rapa vorat.
Cui ſimilem dicam hunc, inopem quem copia reddit?
  Anne aſino? ſic eſt: inſtat hic ejus habet.
Namque aſinus dorſo pretioſa opſonia geſtat,
  Seque rubo, aut dura carice pauper alit.

In avaros, vel quibus melior conditio ab extraneis offertur. 158.

Delphini inſidens vada cærula ſulcat Arion,
Hocque aures mulcet, frenat & ora ſono.
Quam ſit avari hominis, non tam mens dira ferarum eſt;
Quique viris rapimur, piſcibus eripimur.

In aulicos. 159.

Vana Palatinos quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

In Paraſitos. 160.

Quos tibi donamus, fluviales accipe cancros;
Munera conveniunt moribus iſta tuis.
His oculis vigiles, & forfice plurimus ordo
Chelarum armatus, maximaque alvus adeſt.
Sic tibi propenſus ſtat pingui abdomine venter.
Perniceſque pedes, ſpiculaque apta pedi.
Cum vagus in triviis, menſæque ſedilibus erras?
Inque alios mordax commata falſa jacis.

Parva culina impar duobus ganeonibus. 161.

In modicis nihil eſt quod quis lucretur: & unum
Arbuſtum geminos non alit erythacos.

Aliud. 162.

In tenui ſpes nulla lucri eſt: unoque reſidunt
Arbuſto geminæ non bene ficedulæ.

In adulatores. 163.

Semper hiat, ſemper tenuem quâ veſcitur auram
Reciprocat Chamæleon;
Et mutat faciem, varios ſumitque colores;
Præter rubrum, vel candidum.
Sic & adulator populari veſcitur aurâ,
Hianſque cuncta devorat:

Et

Et ſolum mores imitatur principis atros;
  Albi, & pudici neſcius.

Dives indoctus. 164.

Tranat aquas reſidens precioſo in vellere Phrixus,
  Et flavam impavidus per mare ſcandit ovem.
Ecquid id eſt? vir ſenſu hebeti, ſed divite gazâ;
  Conjugis, aut ſervi quem regit arbitrium.

Gula. 165.

Curculione gruis tumidâ vir pingitur alvo,
  Qui Laron aut manibus geſtat Onocratalum,
Talis forma fuit Dionyſi, & talis Apici,
  Et gula quos celebres delicioſa facit.

In garrulum & guloſum. 166.

Voce boat torvâ, prælargo eſt gutture, roſtrum
  Inſtar habet naſi multiforiſque tubæ.
Deformem tabulam ventri addictumque, gulæque
  Signabit, volucer cum truo pictus erit.

Captivus ob gulam. 167.

Regnatorque penus, menſæque arroſor herilis
  Oſtrea mus ſummis vidit hiulca labris.
Queis teneram apponens barbam, falſa oſſa momordit:
  Aſt ea clauſerunt tacta repente domum;
Deprenſum & tetro tenuerunt carcere furem,
  Semet in obſcurum qui dederat tumulum.

In ſordidos. 168.

Quæ roſtro (clyſtere velut) ſibi proluit alvum
  Ibis, Niliacis cognita littoribus,
Tranſiit opprobrii in nomen; quo Publius hoſtem
  Naſo ſuum appellat, Battiadeſque ſuum.

Ignavi. 169

Ignavi ardeolam ſtellatum effingere ſervi
  Et ſtudia, & mores fabula priſca fuit.

Quæ

Quæ famulum aſteriam volucris ſumpſiſſe figuram
  Eſt commenta: fides ſit penes hiſtoricos.
Degener hic, veluti qui cevet in aëre falco eſt,
  Dictus ab antiquis vatibus, ardelio.

Deſidia. 170.

Deſidet in medio Eſſæus ſpeculator ad aſtra,
  Subtus & accenſam contegit igne facem,
Segnities, ſpecie recti, velata cucullo:
  Non ſe, non alios utilitate juvat.

Deſidiam abiiciendam, 171.

Quiſquis iners abeat: nam in chœnice figere ſedem,
  Nos prohibent Samii dogmata ſancta ſenis.
Surge igitur, duroque manus adſueſce labori;
  Det tibi dimenſos craſtina ut hora cibos,

In facile a virtute deficientes. 172.

Parva velut limax ſpreto remora impete venti,
  Remorumque ratem ſiſtere ſola poteſt:
Sic quosdam ingenio, & virtute ad ſidera vectos,
  Detinet in medio tramite cauſſa levis:
Anxia lis veluti eſt: vel qui meretricius ardor,
  Egregiis juvenes ſevocat a ſtudiis.

Oblivio paupertatis parens. 173.

Cum lupus eſuriens mandit cervarius eſcam.
  Præque fame captum devorat hinnuleum;
Reſpiciat ſi forte alio, vel lumina vertat,
  Præſentem oblitus quem tenet ungue cibum,
Quæritat incertam (tanta eſt oblivio) prædam.
  Qui ſua neglexit, ſtulte aliena petit.

Fatuitas. 174.

Miraris noſtro quòd carmine diceris Otus,
  Sit vetus a proavis cum tibi nomen Otho.
Aurita eſt, ſimiles, & habet ceu noctua plumas,
  Saltantemque auceps mancipat aptus avem.

Hinc

Hinc fatuos, captu & faciles, nos dicimus otos:
Hoc tibi conveniens tu quoque nomen habe.

In ſubitum terrorem. 175.

Effuſo cernens fugientes agmine turmas;
Quis mea nunc inflat cornua? Faunus ait.

Garrulitas. 176.

Quid matutinos, Progne, mihi garrula ſomnos
Rumpis? & obſtrepero Daulias ore canis?
Dignus epops Tereus, qui maluit enſe putare,
Quam linguam immodicam ſtirpitus eruere.

Maledicentia. 177.

Archilochi tumulo inſculptas de marmore veſpas
Eſſe ferunt, linguæ certa ſigilla malæ.

Veſpertilio. 178.

Adſumpſiſſe ſuum volucri ex Meneide nomen,
Socraticum auctores Chœrophoonta ferunt.
Fuſca viro facies, & ſtridens vocula; tali
Hunc hominem potuit commaculare nota.

Aliud. 179.

Veſpere quæ tantum volitat, quæ lumine luſca eſt,
Quæ cum alas geſtet, cetera muris habet,
Ad res diverſas trahitur, mala nomina primum
Signat; quæ latitant, judiciumque timent.
Inde & philoſophos, qui dum cœleſtia quærunt,
Caligant oculis, falsaque ſola vident.
Tandem & verſutos, cum clam ſectentur utrunque,
Acquirunt neutrâ qui ſibi parte fidem.

In fraudulentos. 180.

Parva lacerta, atris ſtellatus corpora guttis
Stellio, qui latebras, & cava buſta colit,
Invidiæ, pravique doli fert ſymbola pictus:
Heu nimium nuribus cognita zelotypis.

Nam

Nam turpi obtegitur faciem lentigine quiſquis,
Sit quibus immerſus Stellio, vina bibat.
Hinc vindicta frequens deceptâ pellice vino,
Quàm formæ amiſſo flore relinquit amans.

Impoſſibile. 181.

Abluis Æthiopem quid fruſtra? ah deſine; noctis
Illuſtrare nigræ nemo poteſt tenebras.

Male parta, male dilabuntur. 182.

Milvus edax, nimiæ quem nauſea torſerat eſcæ,
Hei mihi, mater, ait, viſcera ab ore fluunt.
Illa autem; quid fles? cur hæc tua viſcera credas,
Qui rapto vivens ſola aliena vomis?

Bonis auſpiciis incipiendum. 183.

Auſpiciis res cœpta malis, bene cedere neſcit,
Felici quæ ſunt omine facta, juvant.
Quicquid agis, muſtela tibi ſi occurrat, omittes
Signa malæ hæc ſortis beſtia prava gerit.

Ex damno alterius, alterius utilitas. 184.

Dum ſævis ruerent in mutua vulnera telis,
Ungue leæna ferox, dente timendus aper;
Accurrit vultur ſpectatum, & prandia captat:
Gloria victoris præda futura ſua eſt.

In momentaneam felicitatem. 185.

Aëriam propter creviſſe cucurbita pinum
Dicitur, & grandi luxuriaſſe comâ,
Cum ramos complexa, ipſumque egreſſa cacumen,
Se præſtare aliis credidit arboribus.
Cui pinus: nimium brevis eſt hæc gloria; nam te
Protinus adveniet quæ male perdet hyems.

In Occaſionem. 186.

Lyſippi hoc opus, Sycion cui patria; tu quis?
Cuncta domans capti temporis articulus.

Cur

Cur pennis ſtas? uſque rotor; talaria plantis
  Cur retines? paſſim me levis aura rapit.
In dextra eſt tenuis dic unde novacula? acutum
  Omni acie hoc ſignum me magis eſſe docet.
Cur in fronte coma? occurrens ut prendar; at heus
  Dic cur pars calva eſt poſterior capitis?
Ne ſemel alipedem ſi quis permittat abire,
  Ne poſſim apprenſo poſtmodo crine capi.
Tali opifex nos arte, tui cauſa, edidit hoſpes:
  Utque omnes moneam, pergula aperta tenet

Semper præſto infortunia. 187.

Ludebant parili tres olim ætate puellæ
  Sortibus; ad Stygias quæ prior iret aquas.
Aſt cui jactato male ceſſerat alea talo,
  Ridebat, ſortis cæca puella ſuæ:
Cum ſubitò icta caput labente eſt mortua tecto,
  Solvit & audacis debita fata joci.
Rebus in adverſis mala ſors non fallitur: aſt in
  Fauſtis, nec precibus, nec locus eſt manui.

Remedia in arduo: mala in prono. 188.

Ætheriis poſtquàm dejecit ſedibus Aten
  Juppiter; heu vexat quàm mala noxa viros!
Evolat hæc pedibus celer, & pernicibus alis,
  Intactumque nihil caſibus eſſe ſinit.
Ergo Lithæ, proles Jovis, hanc comitantur euntem,
  Sarturæ quicquid fecerit illa mali.
Sed quia ſegnipedes, luſcæ, laſſæque ſenectâ,
  Nil niſi poſt longo tempore reſtituunt.

Obnoxia infirmitas. 189.

Piſciculos Orata rapit medio æquore Sardas,
  Ni fugiant pavidæ, ſumma mariſque petant.
Aſt ibi ſunt Mergis, Fulicisque voracibus eſca:
  Eheu intuta manens undique debilitas!

Nil reliqui. 190.

Scilicet hoc deerat, poſt tot mala denique, noſtris
 Locuſtæ ut raperent, quicquid ineſſet, agris?
Vidimus innumeras Evro duce tendere turmas;
 Qualia non Atylæ, caſtrave Xerxis erant.
Næ fenum, milium, farra omnia conſumpſerunt:
 Spes & in anguſto eſt: ſtant niſi vota ſuper.

In vitam humanam. 191.

Plus ſolito humanæ nunc defle incommoda vitæ,
 Heraclite: ſcatet pluribus illa malis.
Tu rurſus; ſi quando alias, extolle cachinnum
 Democrite; illa magis ludicra facta fuit.
Interea hæc cernens meditor; qua denique tecum
 Fine fleam, aut tecum quomodo ſplene jocer.

Ære quandoque redimenda ſalus. 192.

Et pedibus ſegnis, tumidâ & propendulus alvo,
 Hac tamen inſidias effugit arte fiber:
Mordicus ipſe ſibi medicata virilia vellit,
 Atque abicit, ſeſe gnarus ob illa peti
Hujus ab exemplo, diſces non parcere rebus.
 Et vitam ut redimas, hoſtibus æra dare.

De morte & amore. 193.

Errabat ſocio mors juncta Cupidine: ſecum
 Mors pharetras; parvus tela gerebat Amor.
Divertere ſimul, ſimul una & nocte cubarunt:
 Cæcus Amor, Mors hoc tempore cæca fuit.
Alter enim alterius male provida ſpicula ſumpſit:
 Mors aurata tenet: oſſea tela puer.
Debuit inde ſenex qui nunc Acheronticus eſſe;
 Ecce amat, & capiti florea ſerta parat.
Aſt ego mutato quia Amor me perculit arcu,
 Deficio, injiciunt & mihi fata manum.
Parce puer, Mors ſigna tenens victricia, parce;
 Fac ego amem: ſubeat fac Acheronta ſenex.

In formoſam fato præreptam. 194.

Cur puerum mors auſa dolis es carpere Amorem?
Tela tua ut jaceret; dum propria eſſe putat?

In mortem præproperam. 195.

Qui teneras formâ allexit, torſitque puellas,
Pulchrior, totâ nobilis urbe puer,
Occidit ante diem, nulli mage flendus, Areſti,
Quam tibi, cui caſto junctus amore fuit.
Ergo illi tumulum tanti monumenta doloris
Adſtruis: & querulis vocibus aſtra feris.
Me ſine abis dilecte? neque amplius ibimus una?
Nec mecum in ſtudiis ocia grata teres!
Sed te terra teget, ſed fati, Gorgonis ora,
Delphineſque, tui ſigna dolenda dabunt.

Cum larvis non luctandum. 196.

Æacidæ moriens percuſſu cuſpidis Hector,
Qui toties hoſteis vicerat ante ſuos.
Comprimere haud potuit vocem, inſultantibus illis,
Dum curru, & pedibus nectere vincla parant:
Diſtrahite ut libitum eſt; ſic caſſi luce leonis
Convellunt barbam vel timidi lepores.

Opulenti hæreditas. 197.

Patroclum falſis rapiunt hinc Troës in armis;
Hinc ſocii, atque omnis turba Pelaſga vetat.
Obtinet exuvias Hector, Græcique cadaver:
Hæc fabella agitur, cum vir opimus obit.
Maxima rixa oritur: tandem ſed tranſigit hæres,
Et corvis aliquid, vulturibuſque ſinit.

Terminus. 198.

Quadratum infoditur, firmiſſima teſſera, ſaxum,
Stat cirrata ſuper pectore imago tenus;

Et

Et ſeſe nulli profitetur credere talis
Terminus eſt, homines qui ſcopus unus agit,
Eſt immota dies, præfixaque tempora fatis,
Deque ferunt primis ultima judicium.

Cupreſſus. 199.

Indicat effigies metæ, nomenque Cupreſſi
Tractandos parili conditione ſuos.

Aliud. 200.

Funeſta eſt arbor, procerum monumenta Cupreſſus,
(Quale Apium plebis) comere fronde ſolet.

Aliud. 201.

Pulchra coma eſt, pulchro digeſtæque ordine frondes
Sed fructus nullos hæc coma pulchra gerit.

Laurus. 202.

Præſcia venturæ Laurus fert ſigna ſalutis:
Subdita pulvillo ſomnia vera facit.

Aliud. 203.

Debetur Carolo ſuperatis laurea Pœnis:
Victrices ornent talia ſerta comas.

Quercus. 204.

Grata Jovi eſt Quercus, qui nos ſervatque fovetque:
Servanti civem, querna corona datur.

Aliud. 205.

Glande aluit veteres, ſolâ nunc proficit umbrâ,
Sic quoque ſic arbos officioſa Jovis.

Cotonea. 206.

Poma novis tribui dedere Cydonia nuptis,
Dicitur antiquus conſtituiſſe Solon.
Grata ori & ſtomacho cum ſint, ut & halitus illis;
Sic ſuavis, blandus manet & ore lepos.

Malus medica. 207.

Aurea ſunt Veneris poma hæc: jucundus amator
Indicat; eſt Græcis ſic γλυκυπίκρος amor.

Hedera. 208.

Haud quaquam areſcens hederæ eſt arbuſcula, Ciſſo
Quæ puero Bacchum dona dediſſe ferunt:
Errabunda, procax, auratis fulvo corymbis,
Exterius viridis; cetera pallor habet.
Hinc aptis vates cingunt ſua tempora ſertis;
Palleſcunt ſtudiis, laus diuturna viret.

Populus alba. 209.

Herculeos crines bicolor quòd populus ornet,
Temporis alternat noxque dieſque vices.

Amygdalus. 210.

Cur properans foliis præmittis, Amygdale, flores?
Odi pupillos præcocis ingenii.

Morus. 211.

Serior at Morus, numquam niſi frigore lapſo
Germinat; & ſapiens nomina falsa gerit.

Abies. 212.

Apta fretis abies in montibus editur altis:
Eſt & in adverſis maxima commoditas.

Picea. 213.

At picea, emittat nullos quòd ſtirpe ſtolones;
Illius eſt index, qui ſine prole perit.

Salix. 214.

Quòd frugiſperdam ſalicem vocitarit Homerus,
Clitoriis homines moribus adſimilat.

Ilex

Ilex. 215.

Duritie nimiâ quòd ſe ſe rumperet Ilex;
Symbola civilis ſeditionis habet.

Buxus. 216.

Perpetuò viridis, criſpoque cacumine buxus,
Unde eſt diſparibus fiſtula facta modis;
Delitiis apta eſt teneris, & amantibus arbor.
Pallor ineſt illi, pallet & omnis amans.

Ad Conrad. Peutingerum.

Dum pueros juglans; juvenes dum teſſera fallit,
Detinet & ſegnes chartula picta viros:
Hæc nos feſtivis Emblemata cudimus horis;
Artificum illuſtri ſignaque facta manu:
Veſtibus ut torulos, petaſis ut figere parmas,
Et valeat tacitis ſcribere quiſque notis.
At tibi ſupremus pretioſa numiſmata Cæſar,
Et veterum eximias donet habere manus:
Ipſe dabo vati chartacea munera vates;
Quæ, Conrade, mei pignus amoris habe.

HIERONYMI ALEANDRI

MOTENSIS.

Virginio Cæſarino inſigni animi corporiſque indole Adoleſcenti.

HEBE.

VIderat æetherea deflectens lumina ab arce
Purpurei cuſtos Junonia nectaris Hebe,
Qua fugit obliquo flaveſcens agmine Tibris,

Virginium, a magno quem Cæſare ducta propago
Semideos inter numerat, quos ipſa perenni
Dat felix partu, & ſuperi viget æmula cœli.
Ille quidem nulla ſignans lanugine malas
Purpureæ vernat primævo flore juventæ,
Et nitet egregio ante alios ſpectabilis ore.
Qualis ad Iliaci Pelides littora Xanthi
Arduus, & mediis etiam ſpecioſus in armis,
Quem facie inſignem, intonſo quem crine decorum
Pergama dum metuunt, Phrygiæ optavere puellæ.
Illum inhiantem opibus Sophiæ, largoſque bibentem
Caſtaliæ fontes avido Dea lumine cernens,
Et roſeum mirata decus, mirata colorem
Ingenuum, ac totos quæ fuſa eſt gratia in artus,
Subſtitit attonitæ ſimilis: tum immobilis hærens,
Et cunctata diu obtutu, ſic ora reſolvit:
Ergo ne tam nitida reſidet quæ fronte venuſtas,
Quique oculis radii effulgent, quique ore colores,
Deficient, tandemque ævo rapientur avaro,
Flos veluti, nimio qui languidus aret in æſtu?
Non ita, quin iſthæc (ſiquid mea numina poſſunt)
Vivida perpetuos floreſcat forma per annos,
Vivida perpetuo facies lætetur honore,
Digna polo facies, ſed qua non dignior ulla
Cœlicolûm ex numero ſedes hilararet olympi:
Qua certet Maja genito, qua Delie certet
Ille tibi, & partam referat Jove judice palmam.
Hæc ubi dicta, novam ſentit per pectora flammam
Serpere, & internos ſenſim depaſcier artus.
Nec mora, nec requies: celſis delabitur aſtris,
Ac juveni ſeſe herboſa tulit obvia ripa
Egregio inſignis cultu, numenque profeſſa
Inceſſu, inſuetum paſſim inſpiravit odorem.
Tunc verò aſpectu propiore obmutuit amens,
Tunc non a puero vultus, non lumina torquet,
Explerique nequit viſu, ardeſcitque tuendo.
Ac veluti aërias superans pernicibus alis
Alituum regina vias petit obvia Solem,
Jam-

Jamque adſtat propior: non illam torridus ignis,
Non uſtæ abſterrent arenti in corpore plumæ,
Tantus amor Phœbi radios haurire videndo.
Sic Dea, ſic flammas immoto combibit ore,
Miratur roſeaſque genas, flavumque capillum,
Miratur canis certantia colla liguſtris,
Et quæ ſidereas jaculantur lumina flammas.
Vixque pudor retinet, niveo quin brachia collo
Nectat, & obtentu pietatis in oſcula currat.
Tum ſic aggreditur dictis. Sate ſemine olympi
(Non etenim reor humano te ſanguine cretum)
O decus heroum, cujus ſpecioſa venuſtas
Accitos ad rara trahit ſpectacula divos,
Num decor iſte tuus, qui me deduxit ab aſtris
Annorum vi evaneſcet? num demet honores
Tempus edax, volucrique gradu irremeabilis ætas?
Haud equidem patiar, quin tu ipſe his utere donis,
Utere, nec parce æthereum libare liquorem.
Ne verò, ne ſperne deam, neu munera ſperne,
Munera, queis ævi celeres temnentia lapſus
Non defecturo floreſcent ora colore.
Illa ego ſum claras inter non ultima divas,
Quam magni conjux peperit Jovis, illa beatis
Nectare quæ ſuperis vernantem reddo juventam.
Dixit & aërias abiit ceu ſomnus in auras,
Et latices pleno liquit cratere rubentes.
Ille Deæ aſpectu & tanto dignatus honore
Lætitiam ſub corde fovet, frontemque ſerenam
Explicat, & grato radiat formoſior ore.
Ut roſa, quæ viridi meditans erumpere ſepto,
Pulchra etiam dum clauſa manet, primumque ruboris
Dat ſpecimen, longè ſed pulchrior, aureus ex quo
Sol radiis tetigit, totos cum pandit honores
Muricis, & cupidos ornari allectat amantes:
Carpendi ſtudio è tectis ruit excita pubes.
At non Virginius laudum tumefactus inani
Aura ſe tollit, commendatiſque ſuperbit
Dotibus, aut ſemper virides ſpe concipit annos.

Non ſuccum felicem haurit, non magna faceſſit
Juſſa Deæ; neque enim excruciat fuga labilis ævi,
Aut feſtinantis mordet jactura juventæ.
Quippe alias longe curas ſub pectore verſat.
Succedit diæ ſpecies pulcherrima mentis,
Succedunt animi dotes, diffuſaque ab alto
Semina, & ignitus vigor, & cœleſtis origo.
Hæc ille æternos optat protendere in annos,
Quo ſeri memorent olim, ſtupeantque nepotes,
Hoc deſiderio, hoc tantum ferveſcit amore.
Cetera ceu tenuem fumum, ſimulacraque rerum
Haud vera expendit, rapidoque fluentia lapſu.
Olli cycnus erat ſuperans candore pruinas
Quem quondam implumem Aonidum pulcherrima Clio
Incautis Lycii nymphis furata Cayſtri
Ipſa ſuis manibus muſcoſo pavit in antro,
Qua ſolida fontes eduxit Pegaſus ungui:
Inde ubi Virginium ſilvaſque, & ſaxa trahentem
Et cantu curſus revocantem audiſſet aquarum,
Hunc dono dedit, & voces adjunxit amicas:
O non inferior forma, non carmine diſpar
Pieridum regi, iſta tuæ ſint præmia muſæ,
Dulcior has etenim nunquam ſonus attigit aures.
Ex illo intactum juvenis ſervavit olorem.
Nunc autem niveis pennam divellit ab alis,
Quam tergit ferro, & pluma denudat inani,
Et roſtri in morem parte aptat, qua hæſerat alæ,
Exiguam in medio ducens rimam, inde paratum
Sic calamum actutum divino nectare tingit,
Nectare, quo plenam pateram donaverat Hebe,
Majus opus meditans: dehinc chartis carmina mandat,
Carmina cœleſti dulcedine ſparſa, perennem
Carmina victura ætatem, dum luce repulsa
Percurrent tacitum radiant a ſidera mundum,
Dum tellus alimenta dabit mortalibus ægris,
Et refluis Nereus complexibus ambiet orbem.

Vir-

Eidem Virginio Cæſarino Præfecto Cubiculi Urbani VIII. Pontif. Maxim.

Quæ me Pieridum ſanctiſſima turba ſororum
Ad juga Parnaſſi, facilisque admiſit Apollo,
Nunc Vaticani, nunc limina celſa Quirini
Riſere incaſſum noctesque, dieſque terentem,
Oſcula dum cupio ſacris affigere plantis
Principis Auſonii, Cœlo cui proxima ſedes,
Et merito commiſſæ orbis ſunt nuper habenæ.
Ille etenim ſemper Muſarum ſuevit alumnis
Et faciles aditus, & frontem aperire Serenam:
Nuncque magis, tibi cum ſacras admittere ad aures,
Et magni reſerare datum penetralia tecti.
O flos Romulidum, cœlo quem vivida virtus
Extollit, ſummos dudum cui ſpondet honores,
Si non arcanos mihi fas penetrare receſſus,
Si non felici alloquio, dioque beari
Nunc licet obtutu, te ſaltem orante benignus
Sit Princeps, noſtrique animo pia cura recurſet,
Dumque ille Aoniis apibus florentia pandit
Paſcua, dum dites effundit nectaris imbres,
Dulcia quo valeant certatim condere mella,
Ne me inter damnet fucorum ignobile vulgus,
Indocilemque putet pulchro inſudare labori.
Hoc mihi ſat fuerit, quamvis florentibus arvis
Arcear, & cernam clauſis alvearia ſeptis,
Et quæ ſunt aliis felici prodiga ſorte,
Parca mihi tenues exſudent ſidera rores.

Epicedium Aldinæ catellæ.

Nam quis te poſthac mentito nomine dicet
Lucinam, ſi lucem adimis, ſi munere vitæ
Expolias dignam æternum vixiſſe catellam
Luſibus egregiam, & formæ præſtantis honore?
Illa utero multum conata excludere fetus

Ah

Ah nimium, nimiumque graves te, Diva, tuamque
Suſpirabat opem; ſed vota effuſa, preceſque
Pectore de tacito ſurdâ tu reſpuis aure,
Vanaque veſanis tradis ludibria ventis.
  Quis ferus inſedit cœleſtia pectora livor,
Aut quæ ſævities, ut ſiquid amabile, ſi quid
Eximium natura parens mortalibus ægris
Conceſſit, celeri rapiat mors improba morſu?
Quamquam, oculis ipſam ni orbaſſent numina mortem,
Nunc ego nunc fruerer te vivâ Aldina, tuiſque
Deliciis, ægro curas quæ corde fugabant;
Nam te illa aſpiciens, tanto ſuperata decore
Indomiti rigidas molliſſet pectoris iras,
Nec celerata brevis ſecuiſſet ſtamina vitæ.
  Crudeles divi! gelidis armata venenis
Ora gerunt angues, & triſtia funera portant:
Hi ſenio tamen erepti, redeunte juventa
Exuviis vernant poſitis, numeroque carentes
Tranſmittunt annos; tu fida Aldina, refulgens
Moribus innocuis, & pulchræ munere formæ,
Tam celeri eriperis fato, dominumque relinquis
Lugentem, & ſuperos ac ſidera dura vocantem.
Cum nondum geminæ complerес tempora meſſis.
Succiſus veluti curvo narciſſus aratro,
Aut roſa nuper hians ſubitâ lacerata procellâ
Decidit, & foliis ſubſtratas purpurat herbas.
  Heu quam blanditiæ, quam ſcitæ mira catellæ
Dexteritas morum, facileſque ad ludicra geſtus,
Quam memori concinna animo nunc forma recurſat,
Corporis & brevitas! etenim pede longior uno
Cum vix illa foret parvos decoraverat artus
Major ab exigua ſurgens brevitate venuſtas.
Quid caſtigato veſtigia ducta tenore,
Et pæne ad numerum ſe crura moventia narrem?
Quid caput argutum, & naris curvamen aduncæ,
Nigranteſque oculos, multa ſed luce nitentes?
Ipſe color qualem ſibi vellet Apollinis ales,
Aut Veneris currum ſolitæ ductare columbæ.

So-

Sola renidebat maculis cervicula fulvis
Et caput, & geminas pulchre fuſcantibus aures.
At maculas ſummo trames diſcreverat albus
Vertice decurrens: ceu quæ ſtellaris olympi
Lactea cæruleos interſecat orbita campos.
Crura autem, atque alvus, pectuſque, & obeſula terga,
Collaque Riphæas poterant ſuperare pruinas,
Tantus erat candor; ſed longe Aldina nitebat
Candidiore fide; non, quamvis Juppiter illam
Ambroſiæ ad menſas, promiſſa vocaſſet ad aſtra,
Deſeruiſſet herum; cujus ſi fortè cubantem
In gremio audebat quiſquam contingere, tantas
Dentibus exertis confeſtim ardebat in iras,
Non magis ut rapidi ferus æſtuet igne furoris,
Cum leo venantum ſpiſſis circumdatur haſtis.
  Quòd ſi quid cecidiſſet humi, ſeu mappula, ſive
Exuviæ manuum, calamuſve, leviſve libellus,
Protinus accurrens vel nullo Aldina vocante,
Oreque corripiens domino reddebat, & acri
Obtutu, ac motu caudæ, tremuloque ſuſurro
Præmia patrati poſcebat grata laboris,
Scilicet ut ſimo properaret ad oſcula rictu.
  Quanta autem fidum parendi gloria pectus
Complerat! ſi quis limen ſuaſiſſet herile
Deſerere, aut vetitum ſcalis deducere greſſum,
Blanditiis urgens, mellitaque cruſtula præbens;
Illa verens dominum, præceptaque mente revolvens
Ceſſim ibat, retrahenſque pedem feſtina petebat
Interiora domus, gannitu gaudia teſtans,
Quod non victa fidem, quòd non temeraſſet amorem.
  Cum rigidas domini voces, cum ſæva timeret
Verbera, depreſſo perrepens corpore terram,
Et caudam pavitantem imo ſub ventre recurvans,
Ac ſenſim accedens ſeſe tremebunda ferebat
Mox leviter crure elato, & cervice reflexâ
Poſcebat ſupplex veniam, quo blandula geſtu
Effera vel diri leniſſet corda Procuſtis.
  Quis varios fando enumeret luſuſque, jocoſque,
Quo;

Quos dominum oblectans iterare Aldina ſolebat
Mobilitate vigens, ſegniſque ignara quietis?
Nunquam illi durum, nutus dum ſervat heriles,
Ire redire viam, juſſoſque ſubire labores.
Quin erecta bipes geminis inſiſtere plantis
Sueverat, ac fidei pignus protendere dextram,
Et ſimulare fugam, & celeri properare recurſu.
Tum morſu clemente petens digitoſque manuſque
Ludentem, fremitu, atque irâ fervebat inani.
Mox revoluta ſolo, & vultu protenſa ſupino
Mille dabat luſus; quid cum vacua atria circum
Septenos rapidis expleret curſibus orbes?
Ceu ſonipes, quem palmæ adigit generoſa cupido,
Grandiaque Elei ſtimulant certamina campi,
Curvatis metam ſpatiis perſtringere anhelat
Fervidus, & ſummam pedibus vix ſignat arenam.
Tum flexus ſinuare vagos, tum ſcalpere terram
Docta pede, & crebro ſe tollere in aëra ſaltu.
Dein gyro leviore citos glomerare rotatus.
Non ſecus atque celer puerilibus actus habenis
Per fora præcipiti rapitur vertigine turbo.
  Illi etiam ludus fuerat perſæpe rotundam
Exercere pilam, celeri quæ lubrica lapſu,
Difficiliſque capi eluſo fugiebat ab ore
Figentis fruſtra dentes, iraque frementis.
  Nec minus & grandes ad ficta laceſſere gaudens
Bella canes, curſus varios, varioſque recurſus
Ignavas exoſa moras properanter inibat:
Uſque adeo vivax animabat corporis artus
Pectora nunc ſaltu ſuperans, atque ardua terga
Unguibus urgebat: nunc crura aut ilia morſu
Sollicitans, vires hoſtis reddebat inanes,
Non etenim ulla hoſti tunc reſpirare facultas.
Quòd ſi actum furiis, & gutturis antra videret
Laxantem contra, ac vaſta ſe mole ferentem,
Illa cito levis effugio, lapſuque doloſo
Corporis exigui rictum eludebat hiantem.
Nec mora, nec requies; rurſum inſtaurata ciebat
Præ-

Prœlia: ceſſantem crebris aſſultibus hoſtem
Urgebat rurſum, ſinuoſos orbibus orbes
Implicitans, donec victum, & laſſata labore
Membra reclinantem molli vidiſſet in herba;
Ridente, & populi circum mirante corona.
Interea ad dominum properans Aldina redibat
Partâ hilaris palma, & plauſu celebrata faventum.
Sed quo tam dulces luſus, quo tanta repente
Gaudia migrarunt? ferus abſtulit omnia turbo
Præcipitis fati, & nunquam non invida noſtris
Parca bonis, lacrimas tantum gemituſque relinquens.
Hei mihi qualis eras! quam te pulcherrima rerum
Tum niveus villi candor, tum candor amoris,
Vivaceſque oculi, cervixque erecta decebat!
Heu quid agant tenerum redimire monilia collum
Sueta olim, ac multo radiantia murice & auro?
Heu quid agant, quæ tinnitus crepitacula dulces
Edebant, nunc muta ſilent? quid nexus utrinque
Et gemmis decorans pendentes annulus aures?
Mollia quid faciant herbarum imitata colores
Stragula, quæ ſolita hibernum defendere frigus?
Quid texta alterno variatis ordine virgis
Ciſtula, ubi dulces gaudebas carpere ſomnos?
Te nunc amiſſa langueſcere cuncta videntur,
Cuncta tui deſiderio tabeſcere inani.
At mihi, cui non jam duro præcordia ferro
Vincta rigent, quem non cautes genuere, feræve,
Cognita cui tanto par eſt jactura dolori,
Altius infixum vivit ſub pectore vulnus,
Et jubet undantes oculis effundere rivos.
Scitulus in vacua ſaltem mihi luderet aula,
Qui tener exierat materna Aldinulus alvo
Candidulam forma referens, villoque parentem.
Verum illum dulcis libantem exordia vitæ,
Ne ſuper ulla forent raptæ ſolatia alumnæ,
Abſtulit ah ſubito duræ inclementia mortis.
Credo equidem miſerum matris ſenſiſſe catellum
Languidulos gemitus, & vitæ proxima rumpi

Sta-

Stamina: tunc ultro dulces renuiſſe papillas
Sugere: tunc ultro extremas quæſiſſe tenebras.
Ipſa autem duplici genitrix cruciata dolore,
Infelix genitrix velocia fata laceſſit,
Dum nato ſupereſſe timet: mox luminis oras,
Et jubar inviſum Solis miſeranda relinquit.
Quo properas Aldina? tui quid deſeris ora
Dilecti quondam Domini, cui triſtia poſthac
Te ſine labentur funeſtæ tempora vitæ?
Ille quidem, ut nigri eriperet te faucibus Orci,
Nil intentatum liquit, nil liquit inauſum,
Quòd fieri ferro, poteratve ſalubribus herbis.
Sed nec te circum vigilans noctesque dieſque
Profuit aſſiduo famulatrix turba labore,
Nec medicæ juvêre manus, nec Pæonis artes:
Non ægræ fomenta alvi, concretave myrrhæ
Gutta, aut Cretæâ veniens dictamus ab Idâ.
Omnia vis fati violentior irrita fecit.
Quòd ſupereſt, quando ſic dii voluere, gementes
Solvimus inferias tibi parva Aldina, vocatis
Flebile ad officium lugubri voce Camœnis:
Ut tua poſt obitum (ſi qua pote) fama ſuperſtes
Emicet, & vivax longos floreſcat in annos.
O ſi te, fatum miſerans Barclaius acerbum,
Pieridum Barclajus amor, Charitumque voluptas,
Inſerat æternis victuro carmine chartis!
Non Lethea tuum mergent oblivia nomen,
Nec te lucidior ſupera ſplendeſcet ab arce
Aſcribi æthereis dignata Canicula gyris:
Illa licet multo gemmatum ſidere tergus
Oſtentet, totumque ignes jaculetur in orbem.

In obitum Jo: Vincentii Pinelli.

Juſtum, & ſagacis conſilii virum
Dic luctuoſâ Pieri barbito,
Quem nuper ereptum gementi
Heſperia illacrimat dolore.

Quem non inani gloria turbine,
  Non fraudolentæ cura pecuniæ,
  Non murmur auræ blandientis
  Per miſeras agitavit aulas.
Miſcet venenis pocula luridis
  Aula, & ferinis inducere artubus
  Edocta mortales, doloſæ
  Jam potior cluet arte Circes.
At ille doctis invigilans libris,
  Queis comparatis undique nobiles
  Inſtruxit ædes innubarum
  Aonidum ſtudiis dicatas,
Latè potentis vim ſapientiæ
  Scrutatus alto mentis acumine,
  Pulchris Minervæ filiabus
  Artibus ingenium beavit.
Caliginoſis promere noctibus
  Sensus repoſtos callidus in diem,
  Oblivioſo invidit Orco
  Nomen, & egregios honores.
Hinc æſtuoſi transfreta Boſphori,
  Trans Martialis littora Iberiæ
  Ignara lethi fama clarum
  Nomen agit volitante penna.
Sed quid minuto ſingula carmine
  Proferre tentem? ſiderei greges
  Sub nocte lucentes ſerena,
  Et numerum fugiunt arenæ.
At non perennem concoquere eſt datum
  Felicitatem hac inſtabili in pila
  Terræ, procaci quam rotatu
  Sors agitat properante dextra.
Erupit Orci faucibus horridis
  Morbus cruentarum Eumenidum genus;
  Qui dente ſævus calculoſo
  Ah miſeros lacerabat artus.
Intaminatæ non tamen inſitum
  Mentis vigorem ſpargere tabido

Qui-

Quivit veneno, qui potenter
Se laqueo explicuit tenaci.
Et nunc inanis per ſpatia ætheris
Gravi ſolutum compede corporis
Decora virtus ferre gaudet
Ignifero ſuper aſtra curru.
Vates ut olim, quem rapuit Deus
Flamma quadrigis undique lucidis,
Poſtquam retortæ veſtis ictas
Verbere diſſociaſſet undas.
Qui celſa cœli nubila permeans,
Ductuſque divûm numine, ſpiritum
Mœroris æſtu fluctuanti
Diſcipulo duplicem reliquit.
At non recedens tu mihi ſpiritum,
Pinelle, linquis; quin potius meam
(Fides dolori ſi qua danda eſt)
Tecum animam ſuper aſtra tollis.

Turbo oſſeus.

Turbo, rotari quem videtis, oſſeus,
Sonante lori qui flagello flexilis
Gyros adactus implicat volubiles,
Crebrâ ſubinde raptus a vertigine,
Alcon fuiſſe dicitur Lycoridis
Amore captus, qui faces Cupidinis
Noctu dieque alebat in præcordiis:
Soporque nullus cum per artus ſerperet,
Dolore tandem fractus inſanabili
Nocte in ſuprema feſſa clauſit lumina.
Ex cujus una glutinatis oſſibus
Miro labore finxit, ac verſatili
Torno ſubactum circinavit affabre,
Et expolivit artifex hunc Turbinem:
Qui puſionis incitatus verbere
Ludentis ampla curſitat per atria.
Qua nam tibi Alcon omnium miſerrime

Da-

Datum quiete vel puſilla perfrui?
Nam te puer viventem aduſſit ignibus,
Nunc te puer poſt fata vexat ictibus.

In obitum Baptiſtæ Guarini Eq.

Guarinus ille, quem videtis cœlites,
Fuiſſe fertūr omnium vatum optimus,
Neque ullius canentis muſicos modos
Nequiſſe præterire, ſive fiſtula
Opus foret ſonare, ſive pectine.
Et hoc negatur impotentis Adriæ
Negare littus, aut fluenta Tibridis,
Arnumve nobilem, amniumve principem
Padum citato flexuoſum gurgite,
Ubi maritans vocibus ſonos lyræ
Guarinus alto traxit arbores jugo,
Fluentibuſque præbuit moras aquis
Semper ſecundo afflante Phœbi numine.
Aduſte Eoë, & ultima arva Iberiæ,
Vobis fuiſſe, & eſſe cognitiſſima
Hæc, fama cantat: carminum dulcedine
Leniſſe veſtra montium cacumina,
Veſtri fugaſſe dicit iras æquoris.
Et inde tot per orbis abditas plagas
Cantum volaſſe, civicos ſeu ruſticos
Ludos ſonaret, ſive utroſque necteret,
Hinc vota, vatum ceu potenti numini,
Fuiſſe paſſim nuncupata prædicant
Noviſſimum hunc ad uſque fatalem diem.
Sed hinc fore ampliora, nunc polo micat,
Et culta vobis dedicat volumina
Comate Apollo, & adminiſtræ Apollinis.

De Aqua Paula.

Nullus ubi è cœlo progignit Juppiter imbres,
Effuſis agros Nilus inundat aquis.

Nullus ubi Nilus ſtagnanti exuberat amne,
  Demittunt pluvium nubila denſa Jovem.
Neutrum Roma petit, munus namque implet utrumque
  Nomine quæ lympha eſt, Paule ſuperba tuo.
Pars etenim in multos ubertim ducta canales
  Exaturat læta fertilitate ſolum.
Par ſalit, & tenui irrorans aſpergine cœlum.
  Mox pluviæ ritu præcipitata redit.
Quin eadem, dum ſerpit humi, dum parturit imbres,
  Et Nilum vincit, vincit & unda Jovem:
Nam ſine diluvio ſitientes irrigat hortos,
  Et ſine fuſcanti nube ſerena pluit

Ad Julium, & Neæram.

Hæc ſpecula, hoc ebur, hæc auratis retia nodis,
  Caſte tibi Juli, caſta Neæra tibi,
Ille patris veſtri quondam fidiſſimus hoſpes,
  Mitto Paraetoniis munus ab uſque plagis.
His primum ſtrophiis, quando ruet Oceano nox,
  Conde puer roſeas, conde puella comas,
Verum his pectinibus, cum Sol caput exerit undis,
  Pecte puer roſeas, pecte puella comas.
At duplex ſpeculorum uſus, nam ſi quid in illis
  Apparet veſtri corporis egregium,
Reddere dignam animam formâ hac contendite contra:
  Turpe quid in facie eſt? corrigat hoc anima.
Non opus heu monitis foret his, ſi viveret ille,
  Quicum ſpes veſtra eſt, ſpeſque ſepulta mea.
Fata mihi geminos rapuerunt ſæva parentes;
  Addita mors veſtri eſt, tertia tela, patris.
Qui quoniam periit, vos nunc mihi ſitis uterque,
  Illi quod donec viveret, ipſe fui.
Nunc ego retribuam natis, quod jure parenti
  Debueram: vellem reddere poſſe tribus.
At precor hoc ſaltem mihi dent pia Numina, gratum
  Officium veſtri manibus eſſe patris.

DANTIS ALIGHERII
FLORENTINI.

ECLOGA I.

VIdimus in nigris albo patiente lituris
Pierio demulsa ſinu modulamina nobis
Forte recenſentes paſtas de more capellas
Tunc ego ſub quercu, meus & Meliboeus eramus
Ille quidem cupiebat enim conſciſcere cantum:
Tytire quid Mopſus, quid vult ediſſere, dixit,
Ridebam Mopſe magis, & magis ille premebat
Victus amore ſui poſito vix denique riſu,
Stulte quid inſanis? inquam; tua cura capellæ
Te potius poſcunt, quamquam mala cœrula turbet,
Paſcua ſunt ignota tibi quæ Mænalus alto
Vertice declivi celator ſolis inumbrat,
Herbarum vario florumque impieta colore;
Circuit hæc humilis, & tectus fronde ſaligna
Perpetuis undis a ſummo margine ripas
Rorans alveolus qui, quas mons deſuper edit
Sponte viam, qua mitis erat, ſe fecit aquarum,
Mopſus in his dum lenta boves per gramina ludunt
Contemplatur ovans, hominum, ſuperumque labores,
Inde per inflatos calamos interna recludit
Gaudia; ſic ut dulce melos armenta ſequantur,
Placatique ruant campis de monte leones,
Et refluant unde frondes, & Mænala nutent.
Tytire, tunc ſi Mopſus ait decantat in herbis
Ignotis, ignota tamen ſua carmina poſſim
Te monſtrante meis vagulis prodiſcere capris;
Hic ego quid poteram cum ſic inſtaret anhelus
Montibus Aoniis Mopſus, Meliboee quot annis
Dum Satagunt alii cauſarum jura doceri
Se dedit & ſacri nemoris perpalluit umbra,

 Va-

Vatificis prolutus aquis, & lacte canoro
Viſcera plena ferens, & plenus aduſque palatum,
Me vocat ad frondes verſa Peneide cretas.
Quid facies Meliboeus ait, tu tempora lauro
Semper inornata, per paſcua paſtor habebis?
O Meliboee decus vatum, quocumque hoc nomen in auras
Fluxit, & inſomnem vix Mopſum muſa peregit
Retuleram cum ſic dedit indignatio vocem,
Quantos balatus, colles & prata ſonabunt
Si viridante coma fidibus pæana ciebo?
Sed timeam ſaltus, & rura ignara deorum.
Nonne triumphales melius pexare capillos,
Et patrio redeam ſi quando abſcondere canos
Fronde ſub inſerta, ſolitum flaveſcere Sarno?
Ille quis hoc dubitet? propter quod reſpice tempus,
Tytire, quam velox, nam jam ſenuere capellæ,
Quas concepturis dedimus nos matribus hyrcos.
Tunc ego, cum mundi circumflua corpora cantu,
Aſtricolæque meo velut infera regna patebunt
Devincire caput, hedera, lauroque juvabit.
Concedat Mopſus. Mopſus tunc ille quid inquit?
Comica nonne vides ipſum reprehendere verba?
Tum quia femineo reſonant attrita labello,
Tum quia Caſtalias pudet acceptare ſorores.
Ipse ego reſpondi, verſus iterumque relegi,
Mopse, tuos; tunc ille humeros contraxit: & ergo
Quid faciemus ait Mopſum revocare volentes?
Eſt mecum quam noſcis ovis gratiſſima dixi,
Ubera vix quæ ferre poteſt, tam lactis abundans,
Rupe ſub ingenti, carptas modo ruminat herbas.
Nulli juncta gregi, nullis aſſuetaque caulis,
Sponte venire ſolet, numquam vi poſcere mulctram;
Hanc ego preſtolor, & manibus mulgere paratis,
Hac implebo decem miſſurus vaſcula Mopſo,
Tu tamen interdum capros meditere petulcos,
Et duris cruſtis diſcas infigere dentes:
Talia ſub quercu Meliboeus, & ipſe canebam
Parva tabernacula; nobis dum farta coquebant.

ECLO-

ECLOGA II.

Velleribus Colchis prepes detectus Eous,
Alipedeſque alii, pulchrum Titana ferebant,
Orbita qua primum flecti de culmine cœpit
Currigenus cantu libratim quemque tenebat,
Reſque refulgentes ſolitæ ſuperarier umbris,
Vincebant umbras, & fervere rura ſinebant,
Tytirus hoc propter confugit, & Alpheſibœus
Ad ſilvam, pecudumque ſuique miſertus uterque
Fraxineam ſilvam tiliis, platanisque frequentem,
Et dum ſilveſtri pecudes, mixtæque capellæ
Inſidunt herbæ, dum naribus aëra captant,
Tytirus hic annoſus enim defenſus acerna
Fronde ſoporifero gravis incumbebat odori,
Nodoſoque piri vulso de ſtirpe bacillo
Stabat ſubnixus, ut diceret Alpheſibœus
Quod mentes hominum fabatur ad aſtra ferantur,
Unde fuere, novè cum corpora noſtra ſubirent,
Quod libeat niveis avibus reſonare Caiſtrum
Temperie cœli lætis, & valle paluſtri,
Quod piſces coëant pelagi, pelaguſque relinquant
Flumina qua primum Nerei confinia tangunt
Caucaſon Hyrcaniæ maculent quod ſanguine tygres,
Et Lybies coluber quod ſquama verrat arenas
Non miror; nam cuique placent conformia vitæ,
Tytire, ſed Mopſo miror, mirantur & omnes
Paſtores alii mecum Sicula arva tenentes;
Arida Cyclopum placeant quod ſaxa ſub Ethna.
Dixerat, & calidus & gutture tardus anhelo
Jam Melibœus adeſt & vix en, Tytire, dixit
Irriſere ſenes juvenilia guttura quantum
Sergeſtum e ſcopulo vulsum riſere Sycani.
Tum ſenior viridi canum de ceſpite crinem
Subſtulit, & patulis efflanti naribus infit:
O nimium juvenis quæ te nova cauſa coëgit
Pectoreos curſu rapido ſic angere folles?

Ille nihil contra. Sed quam tunc ipſe tenebat
Cannea cum tremulis conjuncta eſt fiſtula labris;
Sibilus hinc ſimplex avidas non venit ad aures,
Verum ut harundinea puer is pro voce laborat
Mira loquar, ſed vera tamen ſpiravit harundo,
Forte ſub irriguos colles, ubi Sarpina Rheno,
Etoriam ſi flaſſet ultra ſpiramina flata,
Centum carminibus tacitos mulcebat agreſtes
Tytirus, & ſecum conceperat Alphesibœus,
Tytiron & voces compellant Alphesibœi,
Sic venerande ſenex, tu roſcida rura Pelori
Deſerere auderes? antrum Cyclopis iturus?
Ille, quid hoc dubitas? quid jam cariſſime tentas?
Quid dubito? quid tento? refert tunc Alpheſibœus,
Tibia non ſentis quod fit virtute canora
Numinis, & ſimilis natis de murmure cannis,
Murmure pandenti turpiſſima tempora regis
Qui juſſu Bromii Pactolida tinxit arenam.
Quod vocet ad litus Ethnea pumice tectum,
Fortunate ſenex, falso ne crede favori,
Et Driadum miſerere loci pecorumque tuorum,
Te juga, te ſaltus noſtri, te flumina flebunt
Abſentem, & nymphæ mecum pejora timentes,
Et cadet invidia, quam nunc habet ipſe Pachinus.
Nos quoque paſtores te cognoviſſe pigebit,
Fortunate ſenex, fontes, & pabula nota
Deſertare tuo vivaci nomine nolis.
O pluſquam media merito pars pectoris hujus
Atque ſuum tetigit longævus Tytirus inquit,
Mopſus amore pari mecum connexus ob illas,
Quæ male gliſcentem timide fugere Pyreneum
Litora dextra Pado ratus a Rubicone ſiniſtra,
Me colere Emilida qua terminat Adria terram
Litoris Ethnei commendat paſcua nobis,
Neſcius in tenera quod nos duo degimus herba
Trinacridæ montis, quo non fecundius alter,
Montibus in Syculis pecudes, armentaque pavit,
Sed quamquam viridi ſint poſtponenda Pelori
Ethni-

Ethnica ſaxa ſolo, Mopſum viſurus adirem
Hic grege dimiſſo, ni te Polypheme timerem.
Quis Polyphemon ait non horreat Alpheſibœus?
Aſſuetum rictus humano ſanguine tingi,
Tempore jam ex illo quando Galathea relicti
Acidis heu miſeri diſcerpere viſcera vidit?
Vix illa evaſit an vix valuiſſet amoris
Effera dum rabies tanta perferbuit ira,
Quid quod Achimenides ſociorum cede cruentum,
Tantum reſpiciens animam vix claudere quivit.
Ah mea vita precor, numquam tam dira voluptas
Te premat, ut Rhenus & Nayas illa recludat
Hoc illuſtre caput, cui jam frondator in alta
Virgine perpetuas feſtinat cernere frondes.
Tytirus arridens, & tota mente ſecundus,
Verba gregis magni tacitus concepit alumni.
Sed quia tam proni ſcindebant ethra jugales,
Ut rem quamque ſuam jam multum vinceret umbra;
Virgiferis ſilvis gelida cum valle relictis
Poſt pecudes rediere ſuas; irtæque capellæ
Inde velut reduces, ad mollia grata præibant.
Callidus interea juxta latitavit Jollas,
Omnia qui didicit, qui retulit omnia nobis,
Ille quidem nobis, & nos tibi, Mopſe, * poimus.

PEREGRINI ALLII

FLORENTINI.

Ad Petrum Medicem.

LAudes innumeras, geſtaque fortia
Ac terris remicans grande decus tuum
Si nunc, Petre, tui gloria ſæculi
Cantare aggrediar, viribus improbus
Sumam majus onus. Ponere verſibus

Te, prolemque tuam non opus eſt meum.
Hoc ſit Mœonii vatis, & illius
Quondam quem genuit Mantua, Principe
Biſſeno populis quæ caput extitit.
Unam nunc meritis (quando nec omnibus,
Nec multis humeri ſufficiunt mei)
Virtutem experiar tollere laudibus
Quod muſas & amas, vatibus & faves.
Cultor Pieridum jam tibi carmina
Cantent Pierides, Phœbus & aureo
Jam plectro incipiat tangere barbiton.
O præſtans animis inclyte patriæ
Splendor, fama, ſalus, barbarica manu
Quem pulsæ patriis montibus, & ſolo
Parnaſſi, facilem invenimus hoſpitem
Reddi par meritis quòd tibi nunc queat,
Virtutemque tuam quis ſatis approbet?
O noſtrum decus, o cultor Apollinis
Qui cuſtos gemmæ cum patre Palladis
Pacem nobilitas: & patre filius
Coſmo dignus ades: quos velut aurea
In terris genuit ſidera Juppiter,
Servatur gemina ſede, quibus polus;
Per vos exulibus magna Fluentiæ,
Quæ nunc Romulidis æmula patribus
Floret, tecta patent. excipiunt pia
Marci templa novem cum patre numina.
Quæ quondam profugis greſſibus aſperos
Per dumos patriis diſſimiles jugis
Errabant, ad agros Alcinois pares,
Ortiſque Heſperidum templa decus novum
Suffulta innumero marmore poſſidet.
Ad ſacra & properant eloquio boni,
Vateſque eximii nomina poſteri
Quorum nota colent turba Heliconiis
Olim digna jugis, ædeque nunc nova
His non magnificas pro meritis opes,
Non aurum ferimus, quæ neque poſſumus,

Et

Et vobis ſuperant ære perennis
Theſauris Arabis & pretioſius
Immortale decus, quòd vehit ad Deos
Dignos laude viros carmina reddimus,
Cultor Pieridum talia munera
Reddunt Pierides; quid tibi Civitas
Pro tanto poterit reddere munere.
Quam per te decorat Theſpiadum chorus,
Pallaſque ingenuis artibus ac bonis
Munit conſiliis? nam licet inclyta
Bello, ſive toga, Romuleo licet
Stirpe haud degenerans temperie loci
Læta planitie non ſine mollibus
Clivis, & medii gurgite fluminis
Villis egregiis, mœnibus arduis
Divina æde, viis, atque palatiis,
Aſtuque & genio nobilis incolæ
Præſtet: ſi ingenia ad ſtelliferas poli,
Quæ nomen merita laude ferant plagas
Illi deficiant, non taciturnitas
Obſtabit meritis, non ne ſilentia
Geſta uno obtenebrent invida ſæculo?
Romam imperii nomina quid ferent,
Atque everſa ſolo Pergama? quid ſacræ
Arces Ogygiæ, quid Lacedæmonæ, &
Acte, ni fuerit lingua potentium
Vatum atque hiſtorici? ſcripta parant decus
Immortale, virum geſtaque fortium
Morti ſurripiunt, quòd neque marmora
Præſtare in ſtatuis, ærave tandiu
Altis magnificæ aut molibus arcuum
Structuræ valeant. Illa perennius
Durant facta ſimul clarius indicant.
Nunquam digna tamen ſi ſine Pallade,
Quæ ni conſilio atque artibus inſtruat,
Virtus perditum eat, cunctaque corruant
Collapſura brevi poſtera noverit
Ætas; illa facit, clara, beataque
Res

Res omnis duce ſe publica floreat
Ac longum maneat. Quod locus artibus
Illuſtres titulos, quæ faciunt; quòd hoc
Clarorum patriæ tempore civium
Surgit docta manus, muneris eſt tui
Ac patris. Merito nunc & honoribus
Urbs poſt grata colet vos vice numinis
Cultor Pieridum grande decus tuum
Debent pro meritis tradere poſteris
Vates Pieridum quis patris ac tua
Præſtat cura bonis artibus ocium
Auguſtum referens, & decus arduum
Trajani, atque Titum cum patre Flavios
Exculptum, & variis artibus Helium
Claris ingeniis fautor ades bonus:
Hinc non immerito nobile competunt
Cuncti judicium, ſeque tibi probant
Hic doctis numeris, ille ſolutior
Argivum Latiis reddit honoribus,
Scriptis inde novis alter, & exigunt
Petri judicium noſcere, qui omnium
Cauſas, atque animum reddere liberum
Invictumque valent. Plura ego quid loquor?
Jam ſe quiſque tuis deſtinat auribus
Priſcus Cæſareo ut ſcriptor Apollini
Mecum ergo ingenui turbaque Apollinis
Jam Petro Medici dicite carmina,
Æternis & eum tollite honoribus.
Mœcenas Latii gloria nominis
Ingens Pegaſidum cura & Apollinis.
O ſpes ingeniis, quæ colis, o decus
Præbens. materiam ac pabula vatibus!
Felix o patriæ qui duce Pallade
Quidquid contigerit cum patre conſcio
Præſtas Herculei pectoris abditum
Urbi conſilium, principi quoꝛ patrum
Florens ſemper erit noſtra Fluentia,
Felix vive tuæ cum Patre Patriæ.

Ac muſis etiam: teque ſuperſtitem
Proles ſpectet avum, multa nepotibus
Felix vive diu ſerus & in chorum
Cœleſtum redeas cum patre tunc Deus.

His mihi nunc primum numeris modulata dicamus,
  Petre, tuis titulis: auſpiciiſque tuis.
Si faveant Muſæ, tantuſque arriſerit auſpex,
  Cœpta ſequens lyrico poſt meliore canam.

Quid juvat adverſis verba effutire Camœnis?
  Inceſto aut caſtis obſtrepere ore choris?
Et levibus ſemper veneres deflere querelis?
  Abſona & inſulſis texere metra jocis?
Quin ſi tantus amor ſacros haurire liquores,
  Clarorumque libet ire per ora virum;
Horrida grandiloquis inſurgite in arma cothurnis,
  Sive Fluentinæ candida facta togæ.
Sedibus æthereis Tuſcam demiſſus in urbem
  Coſmus ut eſt patriæ fama, ſaluſque ſuæ.
Ut pia maturi ſubeant exorſa parentis
  Conſimili fratres cum pietate duo:
Qui patriam ſumma pariter cum virtute gubernant
  Majus at ex illis excipit alter onus.
Unde ita virtutum manant exempla futuris
  Fontis ut a viva labitur unda petra.
Utque domus ſurgens Medice ſpes magna ſuorum
  Inclita nunc animo concipit acta patrum,
Cui ſumma eſt probitas: ſumma & reverentia formæ,
  Et quadam mixtus cum gravitate lepos.
Cui teneros velox prudentia præterit annos,
  In quo juſtitiæ maximus ardor ineſt.
Cetera cum validis adoleſcunt ſemina membris
  Virtutum: partes perficiuntque ſuas.
Sed quo præcipue, ſemper quæ rara fuere
  Digna ego divinis laudibus eſſe puto:

In

In ſummis opibus juvenis quæ fulget honeſtas:
Et ſummo in rerum culmine faſtus abeſt.
Quid dicam ingenuas artes? Spes magna relucet
Si volet ingenii dona fovere ſui.
Dii date Neſtoreos tantis virtutibus annos
Cernat avus, patruus, Petrus & ipſe virum.
Omnibus his ſerva vultus fortuna ſerenos,
In quibus eſſe æquam: teque videre probas.
Materia æternis hæc eſt digniſſima chartis,
Carminibus Medices pabula magna dabunt.
Quis nunc ſi veſtræ nequeunt ſubſiſtere vires
Debilis: ac tantum muſa recuſat onus.
Exiguo fateor decet his præludere verſu
Grandiſonam gracilis præſtat avena tubam.
Sed ſi verba ſonis totiens trutinantur ineptis
Nec ſale Romano carmina tincta fluunt:
Et natura negat ſimul & doctrina poëtam,
Et furor, & mentis concitus ardor abeſt.
Carminibus vanis ignava ſilentia præſtant.
Democrito & Samio credite Philoſopho.

Pierides referunt mordaci hæc munera linguæ,
Laurenti Medice, ſpes & alumne domus.
Sed tu laudari ſi te per carmina ſentis,
Hac laudem accipias conditione velim.
Munere naturæ, ac genio diceris abuſus
Diſſimilis ſi vir indolis hujus eris.
Quin & opes fortuna tibi: clarique parentes
Obſuerint: ſi ſis degener ipſe tuis.

Ne mireris in hoc me rure diutius eſſe,
Laurenti Medice, maxima cura domus.
Excuſare moram poterit Vallelſia nympha:
Quæ mihi tam pulchro fonte propinat aquas.

Fons Valledonici montis radicibus hæret,
  Unde fluens valles haud procul Elſa rigat.
Non patitur merito fraudari hunc carmine vena
  Dulcibus uber aquis, ingeniumque loci.
Exeſus medium tophus ſinuatur in arcum:
  Quem nativa ſuo pumice ſponda ligat.
Intus in adverſa ſcabro ſub fornice fronte
  Rimula perpetuas ejaculatur aquas.
Alveus hinc ſemper liquidis exuberat undis;
  Murmure quæ rauco per ſua ſaxa cadunt.
Et quòd non ſpecie egregius, nec pulchrius unquam
  Obtulerant oculis rura beata meis,
Servat odoratas teſtudo deſuper herbas,
  Inter & æterni purpura floris adeſt.
His ſua ſeu venæ præbent alimenta latentes;
  Seu ſuper infuſus rore cadente liquor.
Incola ſeu certe vitreis quæ præſidet undis
  Nympha ſuis ortum ſedula nutrit aquis.
Viſa mihi eſt herbis madidos prætendere crines
  Ureret æſtivus ne ſua dona canis.
Ipſe loci genius tum Najada forte vocabat.
  Huc ades expecta te Deus ecce vocat.
Najas cæruleos ſubito collecta capillos
  Cum pavitans in aquas ſe dedit inde ſuas.
Fons cui tot cœlum dedit haud ſine numine dotes,
  Quæ tibi nunc meritis carmina digna canam?
O decus Æruſcis, Vallelſæ o gloria ruris,
  O Valledonici nobilis unda jugi.
Juppiter æternos lapidis tibi ſervet honores,
  Inter terreſtres ſit tua nympha Deas.
Ipſa licet cupiat demum ſuper aſtra redire,
  Iſtic imperio vivere juſſa Jovis.

Amiſſum luges Syllana Fluentia civem
  In medio quem mors invida flore rapit.

Et

Et merito, patrii columenque decuſque ſenatus
  Namque erat: atque novi gloria magna fori.
Unica ſollicitis Medices tutela Joannes
  Spes ac certa ſalus, præſidiumque bonis.
Sed genitor ſupereſt: longumque ſit oro ſuperſtes
  Ac ſuperet Pylii ſæcula terna ſenis.
Ille Pater Patriæ qui ſummo in culmine rerum
  Se ſe fortunæ præſtitit uſque parem.
Coſmus ab aſtrigero demiſſum numen Olympo,
  Ut tua certa ſalus orbis & eſſet honos.
Qui cuncta ut reſidens moderatur puppe magiſter:
  Conſiliiſque togam, militiamque regit.
Juſtitiæ fidus cuſtos, ac pacis amator:
  Inque ſuos cives, in patriamque pius.
Nec tibi obeſſe poteſt ſævæ ſors impia mortis;
  Pallenti triſtis, quam video ore times.
Ecce parentis adeſt imitator ad omnia promens
  Divina Herculeo pectore conſilia.
Cui gemini ſurgunt Medicum duo ſidera nati
  Pignora avo Coſmo, digna parente Petro.
Tendetur Coſmi longos ſic germen in annos,
  Cui ſimiles ſoboles continuata foret.
Humana raro mutantur in arbore fructus;
  A ſacro numquam caudice degenerent.
Nec quicquam ob varios caſus fortuna timenda
  His uno a ſuperis illa tenore data eſt.
Nam quæ conſtituit Medices in culmine rerum
  Servabit virtus limite tuta ſuo;
Nec quæ ſe juſtam, ſe ſeque videre probavit
  Fors placitam ſortem vertet iniqua retro.
Nec renuet populos, plebeſque, ſacerque ſenatus,
  Quos amat, atque effert, hæc coluiſſe viros.
Qui quo alios opibus, genere, atque potentia, hos
  Tanto etiam pura ſtant probitate ſuper.
Invidiam virtus vicit: calcare ſuperbos
  Divitiæ, immites conciliare queant.
Æquus qui rerum ſit judex, denique tales
  Ne dum privatos optet habere duces.

Perpetua hac lætare Deum Florentia dote,
Et fruere hoc tanto læta, alacriſque bono.
Urbs decus Italiæ præſtans belloque, togaque,
Aurea quæ pulchrum tollis in aſtra caput.
Urbs vere florens: florentiaque oppida, & altis
Urbibus, in mediis æmula rura jugis,
Publica jam pridem fuit hoc ſub ſanguine cauſa,
Perque manus certe tradita ſemper erit.
Servatura tibi dedit hos fortuna, Deuſque
Juſtitia inſignes, ac pietate patres.
Sub quibus e cœlo pietas, aſtrea, fideſque
Falcefori referent aurea ſæcla ſenis.
Non eſt ſacrorum ſperni præſagia vatum;
Pectora noſtra movet, ſolvit & ora Deus.
Auguror, hæcque mihi dictat conſultus Apollo.
Concitus illius numine vera cano.
Quæque ſolet veros animis infundere viſus,
Sæpe eadem in ſomnis cornea porta refert.
Dii facite in juſta vera ut ſint omnia cauſa
Contingant votis ſomnia vera meis.

Quæris quem lapis hic tegat viator.
Cuſtos officii, colens amicos.
Hoſtis nequitiæ, ſalus bonorum
Et ne te teneam nimis, parente
Coſmo dignus erat, Petroque fratre
Æternum Medicum decus Joannes.

Fratre Petro dignus, Coſmoque parente Joannes
Deflenti patriæ raptus ad aſtra redit.
Illius at patrio jacet hoc ſub marmore corpus
Quam bene pro meritis utraque pars habitat.

Hic ſita magnanimi Medicis ſunt oſſa Joannis
  Quanto heu privata eſt urbſque, domuſque viro!
Fratre Petro, patriæque bonis, Coſmoque, parente
  Ac tanto rerum culmine dignus erat.

Audebiſne procax interpellare miniſtrum.
  Auſoniæ pacis militiæque virum?
Audebis mea muſa graves bellique togæque
  Carminibus curas ſollicitare tuis?
Magna quidem in ſacras eſt indulgentia muſas
  Illius, ac veteris ſtat pietatis honos.
Pegaſeas etenim quondam nutritus ad undas
  Pegaſidas merito gratus alumnus amat.
Poſt ſeu Sforzigenæ victricia ſigna ſecutus
  Sive Fluentinæ cum duce vincla togæ.
Dilectas potuit ſibi numquam abolere Camænas,
  Aut ſanctos penitus deſeruiſſe choros.
Felix qui muſas virtutibus addere teſtes,
  Qui ſtudet a memori poſteritate coli.
Felix, o nimium felix: idemque beatus
  Quem ſacra Pierii diligit aura chori.
Sed tamen hoc moneo ſis importuna caveto
  Illius gravibus cum duce conſiliis.
Pauca verecundo, captato tempore vultu,
  Hæc illi noſtro nomine dicta refer.
Allius ille tuæ Peregrinus laudis amator
  Eſſe ſui memorem te, Nicodeme, rogat.
Admonet atque ejus, de ſe quod dixit ituro
  Coſmus τȣ̃ κόσμȣ κόσμος, honorque: vale.

GABRIELIS ALTILII
EX LUCANIA.
EPITHALAMION.

PUrpureos jam læta ſinus Titonia conjux
Extulerat, roſeoque diem patefecerat ortu,
Cæruleum tremulo percurrens lumine pontum;
Qui cupido ſua vota viro, deſponſaque dudum
Connubia, optatoſque toros, & gaudia ferret:
Cum dulces patris amplexus, cum mœnia caræ
Parthenopes, notaſque excedens linqueret arces,
Sfortiadæ juveni donanda Aragonia virgo.
Ipſe levi pater advolitans per cærula curru
Neptunus, late undiſonum ſubſtraverat æquor,
Inſidique minas pelagi: nec gratior undis
Temperies, cœlove quies demiſſa ſereno
Adfuit, aut alias ſpirarunt lenius auræ.
Hic ſtudiis, varioque adſenſu lecta juventus,
Fronde novâ redimita comas, myrtoque virenti,
Dum fremit, & validos certatim adnixa lacertos
Remigio expediunt alacres, tranſtriſque locati
Exultant, lætoque ſonant cava littora plauſu;
Dum patrio flet nata ſinu; dum neptis avito
In gremio, fratrumque piis complexibus hæret,
Et longum inter ſe carâ cervice morantur:
At gemitu ſimul urbs omnis ſimul ægra ſupremo
Digreſſu, deſiderio intabeſcit ituræ;
Littoreque effuſi toto, atque è mœnibus altis
Proſpectant, mixtæque viris longo ordine matres,
Et lacrimis incedentem, votiſque ſequuntur;
Feliceſque vias abeunti, auraſque precantur.
Parte aliâ, quâ perſpicuo delabitur alveo
Irriguis Sebethus aquis, & gurgite levi
Prata ſecat, liquidiſque terit ſola roſcida lymphis,

Tercentum diverſa locis ſe turba ferebat.
Virginei cœtus Nymphæ, Campana propinquis
Quas tulit ora jugis, quas dulcibus educat antris;
Centum Pauſilypi, centum de vertice Gauri,
Et totidem calidis è littoribus Bajarum:
Quæque etiam Lyrim, lentiſciferique receſſus
Linterni, Bacchæa tenent quæ rura Veſevi,
Conveniunt: nec Vulturni, Sarnive puellæ
Non adſunt, non æquoreæ Neſidos alumnæ.
Quas inter media magnâ cingente coronâ
Bis ſenæ ſuperant formâ præſtante ſorores,
Aurea Sebethi ſoboles, quas cærula mater
Parthenope, una ſciens Muſarum, & docta canendi
Parthenope, primis teneras formavit ab annis,
Imbuerat cantuque novo, numeriſque, modiſque,
Pars vittâ, pars cæruleis implexa hyacinthis;
Illæ apio, hæ narciſſo, aliæ immortali amarantho.
Perpetuos namque hos ipſæ ſibi ludicra flores
Semper alunt, viridem ſemper de rore nitorem.
Ergo inter ſeſe manibus per mutua junctis,
Compoſitiſque leves quatientes motibus artus
In numerum glomerantur: ibi variante reflexu,
Nunc pedibus choreas, nunc carmine plaudere cantum,
Carmina quæ curvis in vallibus aſſultabant.
Incœpere, omnis Hymenæo ut ripa ſonaret.
Magnorum tædas ſuperûm, noctesque jugales,
Et cœli veneranda canunt connubia Muſæ:
Nos thalamos Iſabella tuos, tua gaudia conjux
Sfortiade, teneroſque choris cantamus amores,
Sanctaque jura tori: Muſarum nec pudet illos,
Nec te Naïadum, virgo, aut te carminis heros
Pœniteat noſtri, dilectæ fontibus & nos
Pegaſeis: præbet Sebethus pocula nobis,
Sebethus liquidos fontes, & mollia tempe.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Tuque novas viſure faces, age Lucifer, almum
Pande jubar, roſeumque oriens caput exere tandem:
Expectate redi, nec amantum vota moratus,

Co-

Coge tuis agedum flammis concedere noctem
Actutum, tibi ſi cupidi ſua vota mariti
Concipiunt, tarduſque redis ſi ſemper eiſdem:
Si tacita quem mente diu optavere puellæ,
Primaque jucundæ voverunt tempora noctis
Exortum timidæ nutanti corde paveſcunt.
Dicite Hymen Hymeneæ Hymen, ter dicite Nymphæ.
Fortunate gener! tibi lux, tibi pulcher Eous
Deſerit Oceanum: tibi candidus explicat ignes,
Candidaque ora refert: fauſto tibi ſidere portat
Conjugium, dulceſque toros, lætoſque hymenæos.
Dexter enim è cœlo dexter Jovis adſtitit ales
Naſcenti, eripuitque novum ter plauſibus omen
Advolitans, dextrumque affulgens riſit Olympus.
Heſperiâ in magnâ multis e millibus uni
Virgineos junctura ſinus, Aragonia virgo
Adveniat, ſocioſque toros paret aurea conjux.
Dicite Hymen Hymenææ Hymen, ter dicite Nymphæ.
Fortunate gener, magnus tibi proſocer Atlas,
Quodque tibi a primâ percenſet origine Iberus,
Adveniant reges ſoceri diis æqua propago:
Hos tibi per titulos, atque hæc per nomina felix
Adveniet, felix eadem ſub ſtragula conjux,
Sidonio tecum excipiat quam lectus in oſtro,
Languidulos tenero ſociantem pectore ſomnos:
Maternum ſeri numerent genus unde nepotes,
Seque olim magnis jactent a regibus ortos.
Dicite Hymen Hymenææ Hymen, ter dicite Nymphæ.
Illa tibi amplexuſque feret, noctemque beatam,
Implebitque tuos niveâ cervice lacertos.
Qualem nulla tulit priſcis heroibus ætas.
Ipſa nec Eurotæ viderunt flumina Nympham,
Taygeti aut juga virgineis luſtrata choreis,
Nec noſtri videre chori: quibus addita qualis
Aurora exoriens ſtellis nitet alma fugatis,
Purpureumve ſolet brumâ cedente novum ver,
Candida ſe talem nobis Iſabella ferebat.
Dicite Hymen Hymenææ Hymen, ter dicite Nymphæ.

Illam dia parens dum nixibus edit in auras,
Ambroſio exceptam gremio Venus aurea fovit,
Et formam, formæque decus decori addit honorem,
Ac primas tibi virgo aliis cedentibus inquit:
Prima feres Veneri tantum collata ſecundas:
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Admovit quoque blanda manus Saturnia Juno,
Permulcenſque artus: ſceptris haud, inquit, avitis,
Sceptra minora geres; Latias regina per urbes
Incedes, populiſque potens & divite regno.
Magna Jovis conjux magni tibi conjugis omen
Præcinit, hæcque ſuis oppignerat oſcula dictis:
Oſculaque in teneris ſonuerunt preſſa labellis.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Nec Pallas non læta ſuos impertit honores,
Naſcenti: primos eadem ad cunabula cantus
Concinuit, ſuaſitque leves tibi carmine ſomnos:
Atque animum tibi virgo, inquit, moreſque verendos
Trado Diva, mares ſenſus, & vincere ſexum,
Pallas: acum doctaſque manus tibi cedet Aracne,
Cedam victa libens, dea dixit; ibi aurea totis
Fluxerunt cunis flavæ inſtrumenta Minervæ
Et radius, pectenque, & inaurati calathiſci.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Se Junone Samos, jactant ſe Pallade Athenæ:
Te Cyprus Cytherea, colunt juga Cynthia Phœben:
At virgo non una tuo de nomine tellus
Clareſcit, ſe noſtra tuis natalibus ornat
Parthenope, propriamque vocat Sebethos alumnam,
Claraque mox ipſis Inſubris terra feretur
Connubiis, flavuſque comas Ticinus, & ingens
Eridanus, pronoque ruens celer Abdua curſu
Attollent caput, & tanto ſe nomine cœlo
Æquantes, celſis elati cornibus ibunt.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Maternam inviſens Delon Latonia virgo,
Lætatur, dulcique ſolo, & natalibus arvis,
Lætatur ſuperas repetens Proſerpina ſedes,

My-

Myſtica maternæ cum ſacra reviſit Eleuſis.
Tu quoque Sfortiacos virgo acceſſura penates;
Cognatas i læta domos, genus inclita mater
Unde ferens, tanto talem te diva parenti
Progenuit: quod deinde tuis felicibus auctum
Connubiis, duplici confirmes addita vinclo,
Ipſa viri, fratriſque tui, conjuxque, ſororque.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Tales rite toros, taleſque injere Hymenæos,
Saturno quos Rhea potens enixa marito,
Cum primos illi thalamos Thaumantias Iris,
Inſtrueret, variis ſpectanda coloribus Iris,
Ambroſiæque manus ſucco perfuſa nitentes,
Adſtarentque ſuis incinctæ veſtibus Horæ:
Cum paſſim cœli per lumina læta frequentes
Cœlicolæ obſtreperent, ac toto reddita Olympo,
Frater io, conjux & io, vox una ſonaret,
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
O patriæ o ſæcli decus Heroina; jugales
Jam te ſub leges vocat, & ſua jura maritus.
At nos æquales, quibus idem ad flumina curſus,
Et certamen idem florum, ſtudiumque decentes
Inſtaurare choros, noſtri jam ad munera luci
Mane revertemur; jam te ſine munera nobis
Illa quidem placitura minus; namque alta relictæ
Per nemora, ut querulis vitulæ mugitibus inſtans,
Et gemitu matrem implorant, quæ montibus altis
Erravit, viridi aut convalle oblita reſedit
Mollia prata ſecuta, novos aut forte hymenæos:
Cara tui ſic nos memores abitura relinquis
Æternum, dulciſque animis hærebis imago;
Te noſtri recinent luſus, te noſtra ſonabunt
Carmina, te thyaſi, primæ tibi munera noſtra
Pendebunt ſuave halantes de more corollæ:
Prima tibi unguenta, & patrios fundemus odores
Umbroſam ſub loton; opaco vertice lotos
Sebethi patris ad ripas ſpectanda vireſcit;
Quodque oculo properante alio[illegible]is properante carina

Præteriens legat, hoc ſignabit littera carmen,
Grandior inciſum teneris quod præferat arbos,
Corticibus: Cole me, Iſabella, ego regia Lotos.
Hæc ita nos: at tu Divis egreſſa ſecundis,
Ibis in amplexus cari exoptata mariti,
Qui robuſta tuo circumdet brachia collo,
Virgineaque ſinum zonâ mox ſolvere pergat,
Fecundam exercens optatâ prole juventam:
Inde tuos mox jam matri miſſura nepotes
In gremium formosa decor queis matris ab ore
Miſceat ora, maremque ferant a patre vigorem.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Sed te jam placidis ſpirantes flatibus auræ,
Pacatumque vocat nautis properantibus æquor;
Increpat & ſummâ rector de puppe morantem.
Ingredere, optataſque vias pede ſuſcipe læto:
Oſcula germanumque pios age deſere fletus:
Te quoque lacrimulas virgo jam mittere tempus.
Abſtergent tibi ſingultus mox gaudia tantos,
Gaudia, quæ lacrimis aliter teſtere profuſis.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Jam dextro claſſem tetigit pede: jam procul alta
Conſpicitur virgo in puppi, lætique receptâ
Clamorem tollunt nautæ, jam vincula ſolvunt,
Jam pontem, funemque legunt; cavaque æra coruſco
Igne tonant, crebriſque laceſſunt ictibus auras,
Ac validis diſploſa ſonoribus aëra complent,
Egreſſæ bona ſigna rati, & ſolventibus omen.
Talis ad Æmonium frenato piſce maritum
Vecta Tetis, levis aut ſedit cum Cypria conchâ.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dcite Nymphæ.
Provehitur ſed jam pelago ratis, actaque remis
Littora deſeruit: dubios jam lintea viſus
Paulatim, flenteſque oculos ſublata relinquunt.
Nos quoque vox, nos ipſa animi mens deſerit omnis;
Infractique labant gelido ſub pectore ſenſus.
Quòd ſupereſt votis te, virgo, & mente ſequemur;
Ergo ſeu patrio digreſſam littore curvo

Excipiet Cajeta ſinu, ſeu te Anxuris arces,
Circeoſque lacus juxta, & Tiberina legentem
Oſtia, nec fidum nautis mare, remige dextro
Flectentem facili adnitens tranſmiſerit aura
Puppis, & Herculeos inviſeret hoſpita portus:
Sive Argoa tuis ſpumeſcant æquora remis,
Qua patet effoſſis fecundior Ilva metallis,
Et vaſtos pelagi in fluctus Populónia mater
Proſpectat, ſummoque attollitur ardua ſaxo:
Seu tua Neleæ remorentur lintea Piſæ,
Roranteſque immo tollens de gurgite vultus
Labentem niveæ præter vada cærula Lunæ
Adſpiciat procul, & Nymphis ſtipatus adoret
Macra ſuis adſtans ripis, pater ad ſua tandem
Littora delatam regnis Ligur ora maritis
Accipiat, prima & puppim veneretur herilem:
Dum ſacros Ericis portus, totoſque receſſus
Ipſa ſuis nantem excipiens Venus Alma lacertis,
Invehat, optatiſque adſignet denique terris:
Nereides tibi, Nereides Tyrrhena propago
Numina, Neſæe, Melitæaque, Cymodoceque.
Glauceque, Spioque, Janiraque, pulchraque Doto,
Amphinomeque, Opiſque, Pheruſaque, Dexameneque,
Atque Halye, atque Thoe, & flavo crine Amathuſa:
Maternumque Thetis nunc primum oblita dolorem.
Adſiſtant, ſternantque viam, & comitentur euntem.
Certatimque tuæ præludat turba carinæ.
Jam votis nos te, virgo, jam mente ſequemur.
Mox ubi jam pelagi tantum, & permenſa viarum,
Contigeris cupidas dilecti conjugis ulnas,
Grataque ſollicitos tandem nox junget amantes;
Æternos vobis Cypris Dea, Cypris amores,
Concordeſque animos, & mutua vincula nectat:
Vincula quæ ſeræ maneant ad fata ſenectæ.
Fecundet Latona torum, Latona perenni
Prole domum, Latona genus per ſæcla propaget.
Juppiter ingentes det opes, det Juppiter annos,
Regnaque, fortunamque domus ſine fine manentem.

Dicite Hymen, iterate Hymen Hymenæe puellæ:
Dulcis Hymen Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.

HIERONYMI AMALTHEI
OPITERGIENSIS.
Ad PIUM V. Pont. Maxim.
Vellus Aureum.

LUcidus ille Aries, fulvo cui tergus amictu,
Cui geminum cornu cœlo ſcintillat ab alto,
Hactenus intonſo tulit aurea vellera dorſo,
Nec ſpoliis unquam ſplendentibus exuit armos.
At poſtquam tenuere Pium Capitolia, poſtquam
Voce Pium ingenti montis reſpondit imago,
Quo Latium exultet, quo Rege ſuperbiat orbis,
Divinæ quæ penſa trahunt fatalia Parcæ
Cœlituum monitus, & grandia juſſa ſequutæ,
Fulgentes ſecuere jubas, ſecuere beatum
Vellus, & aurato viduarunt tegmine dorſum.
Nec, mora nobilibus penſis, ac divite lanâ
Centum involventes operoſis orbibus orbes
Fatalem cinxere colum, digitiſque micantem.
Dum redigunt in fila globum, nent longius ævum;
Nent fortunatos invicti Principis annos,
Et ſeram numeroſa trahunt per luſtra ſenectam.
Dumque agilem celeri torquent vertigine fuſum,
Stamina purpureis ſcintillant morſa labellis,
Tortaque lucentes jaculantur penſa favillis;
Et circum inſolito Cœlum fulgore coruſcat.
At Lacheſis, cui ſcire datum eſt arcana Deorum,
Teſtatur pretioſa Pio ſub rege reverti
Secula, qui Latium belli formidine ſolvat,
Et ferrum effrenos, & cladem vertat in Indos.

Salve ingens pietate heros, Diis æmule ſalve,
Limina qui nitidi reſeras argentea Cœli,
Et caligantis fauces occludis Averni.
Te duce cana Fides Solymas vexilla per oras,
Trans Gangem attollet, trans divitis arva Canopi.
Jam video oblitis trepidum dare terga pharetris
Regnatorem Aſiæ, & Scythicis ſe ſe abdere ſilvis.
Nonne illum fugientem hyemes, non invia monti
Fragmina, non rupti pontes, non flumina ſiſtunt:
Sed pernicis equi ſtimulans calcaribus armos
Fertur in occultas per inhoſpita luſtra latebras;
Dum Syrios Italo compleri milite campos,
Dum trabibus cingi circumſpicit Helleſpontum.
Sentit, & irato te fulmine pone ſequentem.
O ſeptem gaudete arces, gaudete Latinæ
Naiades, Etruſci colitis quæ Tibridis amnem.
Urbibus Eois, totoque oriente ſubacto
Victrices Romanæ acies ad veſtra redibunt
Littora, & antiqui Latio reddentur honores.
O quæ, magne Heros, ô quæ felicia ſurgent
Tempora, cum gemino creti ſub cardine reges,
Et quâ Sol rutilum ponto caput exerit, & quâ
Lenis in optatæ gremio ſe Tethyos abdit,
Ad Tiberim unanimes, ad caſta altaria current.
Ut ſacrum accipiant ſupremo in vertice rorem,
Et ſubmiſſa tuis affigant oſcula plantis.
Tum mihi fatalem ſi nondum è vertice crinem
Perſephone abſtulerit, fidibus mea Muſa canoris
Dulcibus implebit reſonas concentibus auras
Dum canet, ut profugam revocaris ad otia pacem;
Ut fecunda Ceres te principe onuſta recludat
Horrea, ut immenſas concedat prodiga meſſes:
Et vacuas Liber ſitientibus impleat urnas.
Ipſa etiam irriguos mecum ſpatiata per hortos,
Pæonias gremio Nais tibi colliget herbas.
Quas formoſa Salus medicos cuſtodit in uſus.
At tu fragrantes ne deſpice Pæonis herbas,
Textilibus calathis quas porriget obvia virgo.

His

His funeſta procul pelles contagia donis,
Et florente diu ſoſpes potiere ſenectâ.
Hæc autem, hæc illa eſt Diis non incognita virgo,
Quæ ſonitus Curetum inter per devia Cretæ
Regem aluit Superum felicis lacte capellæ;
Cum tener in cunis ſacrâ vagiret in Idâ;
Et nunc illa eadem te pectine cantat eburno.
Sed quid ego, ô nentes vitalia penſa puellæ,
Adſpicio his oculis? decreſcunt ſtamina, dum vos
Aſſiduo nimium veſtitis pollice fuſum.
Nete Deæ optati paulatim Principis annos,
Et lentâ tenuate manu tam nobile vellus,
Et trahite ad ſeros hæc aurea ſæcla nepotes.

Ad Maximilianum, tunc Boëmiæ Regem, deinde Imperatorem.

O quæ, rotatu vecta volubili
Uſtis ab Indis ad gelidos Scythas,
Nunc blandienti, nunc minaci
Cuncta ſupercilio coërces:
Ne me per altos, divitis Antii
Regina, montes, ne per inhoſpitas
Me coge valles fabuloſam
Hinc Panacem legere, hinc Cyperum;
Et in ſalubri qui lue tabuit,
Formidoloſæ vim fugiat necis,
Audente me leges Deorum
Pæonio violare ſucco.
O mentis expers Japeti genus,
Mutanda nullo eſt conſilio dies,
Quam fata nobis dormiendam
Perpetuo ſtatuere ſomno.
Fallacis ergo Pæonis ars vale;
Oblivioſo ſat mea torpuit
Fides veterno: nunc canoros
Tange Erato numeroſa nervos.
Longumque rumpens voce ſilentium

Nul-

Nulli ſecundum concinæ Principem,
Seu malit armis, ſeu ſagaci
Conſilio ſuperare malit:
Quem nunc anhelo pectore Norici
Lugent morantem finibus exteris,
Quem mille votis ſepticornem
Vindelici revocant ad Iſtrum.
O ſolve Ibero carbaſa littore,
Et luctuoſas, maxime Principum,
Solare gentes, & paternos
Exhilara reditu penates.
Qualis reducens poſt tenebras diem,
Sol nigriorem diſcutit aëra,
Regnumque Junonis ſerenat,
Nubibus exiliens fugatis:
Talis reverſus cardine ab Heſpero
Subjecta ſeptem regna trionibus
Caliginosâ nocte ſolves
Major avis, ataviſque major.
Tu bellicoſas frangere fraxinos,
Tu doctus enſem flectere Noricum;
Urbes ſubactas, juſque avitum
Eripies Aſiæ tyranno.
Tu rurſus urbis Martia Romulæ
Vexilla tolles, ſubjiciens tibi
Sol quidquid ambit, quidquid urnis
Uberibus lavit Amphitrite.
Quod ſi ſuperſtes muneribus fruar
Vitalis auræ, me fide Lesbia
Juvabit & prædas, & hoſtes
Dicere compedibus revinctos.
Te Rege latus dum Capitolio
Parebit orbis, dulci ego pectine
Molles in amplexus euntem
Nereidum Tiberim reflectam.
Sic ſaxa quondam Threicium ferunt
Secuta vatem, dum per inhoſpitas
Rupes, ademptam dum per imas

Quæ-

Quæreret Eurydicem latebras.
Qui poſtquam Averni conſtitit ad fores,
Et cor ahenum leniit Æaci,
Flexitque ſuſpenſis bibentes
Auribus Eumenides querelam,
Heu legis amens immemor, & ſui
Effudit altas fruſtra iterum preces,
Fruſtra revertentem puellam
Ad tenebras iterum ſecutus.
Quam mox nivali flevit in Iſmaro,
Flevit ſub Hæmi cautibus horridis,
Seu ferret atras Veſper umbras,
Sive diem veniens Eous.
At tum occupavit plectra ſilentium,
Inſanientum cum Ciconum furor
Sparſit cruenti membra vatis
Stipitibus lacerata quernis.
Cum lingua ſacris faucibus eruta
Futura mergis eſca voracibus
Ter viſa flecti, ter ſub Hebro
Ah miſeram Eurydicem vocavit.
Sed ſiſte inanem, barbite, næniam.
Nunc in beatis Thracius inſulis
Exultat heros, & repertæ
Conjugis in gremio recumbit;
Quin Martialem dic potius ducem
Illuſtriori carmine, quem legat
Ætas nepotum, donec Atlas
Orbis onus grave ſuſtinebit.

Ad Carolum Borromæum Cardinal.

Immenſi dum molem orbis celſi inſtar Atlantis
In Vaticana ſuſtinet arce Pius,
Herculeo tu more humeros ſuppone labori,
Et validis feſſo viribus affer opem.
Magne heros, aſſueſce oneri juvenilibus annis,
Longævo imponent quod tibi fata ſeni.

Ad

Ad Hermetem Stampam.

Valete aprica montium cacumina:
Valete opaca vallium cubilia:
Veſtris Jolas it procul receſſibus.
Miſelle Jola non videbis amplius
Amata tauris prata mugientibus.
Olente calthâ, olente picta amaraco.
Miſelle Jola, non videbis amplius,
Dorſo recumbens graminum virentium,
Depræliantes cornibus juvenculos.
Non tibi ſuſurri fluminum ſonantium,
Non ſibilantes blandientur ilices,
Inire nec ſuadebit aura ſomnulos,
Abire certum eſt, & minaci in æquore
Iras videre inſanientis Africi,
Videre monſtra per fretum natantia,
Et imminentis mille lethi imagines.
Amens Jola parce, parce conqueri.
Tibi ſequendum; ſive Nili adiverit
Hermes latentis ultimas origines,
Inhoſpitalis ſive ſaxa Caucaſi.
Quare valete montium cacumina:
Valete opaca vallium cubilia.

In equum Gallorum Regis.

Tu, qui mobilibus volitas per inania pennis
  Nubila, & es rapidis ocyor alitibus;
O quanto huc illuc ſolito velocius ibis,
  Si magni Henrici, Fama, veheris equo.

De Fidutio poëta.

O modo me culti ſuſpiret muſa Fiduti,
  Hæc mea fatales ſolvite penſa Deæ.
Solvite; nam fidibus, quem fleverit ille canoris,
  Eſt potis æternas vivere Olympiadas.

Som-

Somno.

Hæc tibi Lethæis collecta papavera ripis,
Hæc annoſa tibi, Somne, Falerna fero.
Tu face, nocturnos Meroë dum garrit ad ignes,
Morſaque vibrato pollice penſa trahit:
Ebria fabellas, quas cœperit, interrumpat;
Deſerat & pigro victa ſopore colum:
Expleritque ſuum donec nox humida curſum,
Stertat: ut Alcippes tutus amore fruar.

Ad Marianum.

Seu niveos, Mariane, ſinus, ſeu lactea nudet
Brachia, ſeu blandò rideat ore Nape:
Incautos averte oculos; ne callidus auceps
His laqueis, hac te compede nectat Amor.

Ad Gallam.

Heſterno indueres cum veſpere tegmina Lyncis,
Credideras amens, Galla, fugaſſe gelu.
Heu te non hyemis, non brumæ frigora lædunt,
Sed tuus interno frigore ſanguis hebet.
Nec potis eſt glaciem vis ulla arcere medullis,
Tam rapido cum non arceat igne Venus.

De eadem.

Venatu leporum, venatu laſſa ferarum
Murmur ad irriguæ Galla quieſcit aquæ.
Texite vos illi virides umbracula quercus,
Tu ſacer arguto labere fons ſtrepitu.
Sic iterum Hyblæi vobis è cortice rores:
Sic tibi nativo lac fluat è lapide.

Ad Michaëlem Turrium.

Mille tibi Doris ſervat conchylia ponto,
Mille tibi in ſilva paſcit Jantis oves.
Ut cum olim proceresque inter, gentemque togatam
Te gremio accipiet Martia Roma ſuo,

Al-

Altera Nympharum tibi vellera tondeat uni,
  Altera Sidonio murice tingat oves.

Epithaphium Philomelæ.

Lenierat Ditis querulis concentibus aures.
  Garrula trans Lethen dum veheretur avis.
Annueratque illi, captus dulcedine vocis
  Æacus, illicitam poſſe redire viam.
Et jam vitales iterum rediiſſet in oras.
  Remigium alarum, ni lapis oppримeret.

Valerio Superchio medico.

Illa adeo formoſa Salus, quâ nulla Dearum eſt
  Gratior Eois, gratior Heſperiis;
Mille tibi, Valeri, collegit Pœonis herbas,
  Quas tepidus primo vere tulit Zephyrus:
E quibus, ut rores poſſis haurire ſalubres,
  Gutta ſub impoſito ſtillat odora foco:
Et jubet, ut diſcedat edax è corpore languor.
  Te pereunte uno ne medica ars pereat.

Ad Junonem.

Magna Jovis conjux, ripis ſi forte ſub altis
  Seu Naucele tuis, ſive Timave tuis,
Videris errantem niveo candore juvencam,
  Parce: ſub hac tegitur nulla puella bove.

De Acone & Leonillâ.

Ut fugeret fervorem æſtus ſub ſidere Cancri,
  Nudus in algenti flumine nabat Acon.
Qui ſimul ac alto Leonillam in littore vidit,
  Ah miſer, in gelidis ferbuit uſtus aquis.

De iisdem.

Lumine Acon dextro, capta eſt Leonilla ſiniſtro,
  Et potis eſt formâ vincere uterque Deos.
Blande puer lumen, quod habes, concede ſorori:
  Sic tu cæcus Amor, ſic erit illa Venus.

De

De Leonillâ, & Lydiâ.

Me lætis Leonilla oculis, me Lydia torvis
  Aſpicit: hæc noctem nuntiat, illa diem.
Has Cytherea meo ſtellas præfecit amori:
  Hæc meus eſt Veſper, Lucifer illa meus.

De Hyellâ.

In me oculos quoties vertit meus ignis Hyella,
  Suſpirat toties ignis Hyella meus.
Hinc flammæ, quas illa ſuis jaculatur ocellis,
  Me redigunt, auctæ flatibus in cinerem.

Ad eandem.

Anxia quid nitidos fletu corumpis ocellos?
  Et Pandioniam perdita quæris avem?
Non dominam effugit, nemorum colit illa receſſus
  Dum volucres doceat nomen Hyella tuum.

De Horologio pulvereo.

Perſpicuus vitro pulvis qui dividit horas,
  Dum vagus anguſtum ſæpe recurrit iter,
Olim erat Alcippus, qui Gallæ ut vidit ocellos
  Arſit, & eſt ſubito factus ab igne cinis.
Irrequiete cinis, miſeros teſtabere amantes,
  More tuo, nulla poſſe quiete frui.

Ad Dominicum Venerium.

Plene Deo vates, atavis heroibus orte,
Elargita ſuum quibus eſt Venus aurea nomen,
Dum Tuſcæ clangore tubæ, dum fulmine linguæ
Irruis in pavidos, veluti facto agmine Thracas,
Et nova pugnantes armas in prœlia Muſas,
Trans Solymos fines, ultra cunabula Nili,
Effugit extremos Aſiæ regnator ad Indos.
Et pernicis equis fodiens calcaribus armos
Fertur in occultas per inhoſpita luſtra tenebras.

Nam-

Namque audita tuæ magis ille tonitrua vocis
Perditus horreſcit, quam cum victricibus armis
Tergemini heroës, tria lucida fulgura Martis,
Aſſyriam vaſto ſtravere in gurgite claſſem,
Naupacto mirante ſui fracta agmina Regis,
Et per ſanguineos enare cadavera fluctus,
Tercentumque trahi captas ad littora puppes.
Diis inviſe Selim, Stygii ſate ſanguine Ditis,
Te nimis audentem ſi terruit horrida clades,
Cui ſimilem longæva ætas non vidit avorum,
Poſtera nec forſan ſpectabunt ſæcla nepotum;
Nunc te alius terror, nunc te cura acrior angat.
Adriaci tecum certabit Muſa poëtæ,
Donec onus cœli dorſo toleraverit Atlas.

Ad Joannem Plazzonum.

Albo candidior, poëta, cycno,
Intactâ nive, purior poëta;
Cui Cynthi Deus, & novem ſorores
Tingunt Cæcropio labella melle;
Ah ne me immemorem tui putato,
Donec Parca meos revolvet annos.
Nam te plus amo quam meos ocellos
Albo candidior, poëta, cycno,
Intactâ nive, purior poëta.

Ad eundem.

Eroſit caries, voravit ætas
Verſus, quos mea condidit Thalia;
Quos in ſcriniolo latere credis.
Namque carmina vatis imperiti
Vident interitum ſuum repente:
Sicut carmina vatis eruditi,
Qualem ſæcula noſtra te tulerunt,
Suum nunquam videre poſſunt.

GENETHLIACON

Franciſci Aproini Medici.

Naſcere par magno puer evaſure Galeno,
  Et querulo matrem ſolve puerperio,
Naſcere: te molli gremio, te mollibus ulnis
  Excipiam, & dulci nectare labra linam.
Nuſquam abero, ſeu blanda tibi dabit ubera nutrix,
  Seu tibi ſit cantu concilianda quies.
At cum pubeſcens agili pede venerit ætas,
  Teque Erato Aoniis fontibus abluerit;
Ibis ad antiquam generoſi Antenoris urbem
  Bellerophontæi tergore vectus equi.
Illic in nitida Sophiæ ſpaciaberis aula
  Divini herois grande ſequutus iter,
Quem Stagira tulit dias in luminis auras,
  Stagira illuſtris nomine Ariſtotelis.
Hic tibi naturæ penetralia cæca recludet,
  Vix fortunatis cognita cœlitibus.
Scilicet immoto cur alti principe cœli
  In gyrum æternis motibus orbis eat.
Cur vaga materies vultu ſe ſe induat omni:
  Et ſe ſe inductis privet imaginibus
Cur ſiccis Boreas, madidis Notus evolet alis,
  Ætna vomat flammas, vaſta Charybdis aquas.
Innatus fluat unde calor, quo vivimus, & quo
  Cogimur extincto trans Styga carpere iter.
O te felicem, tali qui principe fretus
  Olim ſuſpenſis auribus iſta bibes.
Mox virides hortos magni ingrediere Galeni,
  Prataque divino nota Dioſcoridi.
Mille ubi quid valeant flores, quid poſſit Amomum,
  Quam det opem Panaces, quam det acanthus opem,
Inventor medicæ tibi deteget artis Apollo:
  Et te Pæoniis artibus erudiet.
Tunc Silis exultans, tantoque ſuperbus alumno
  Ardua muſcoſum tollet ad aſtra caput.

Teque parem Hippocrati patriam revocabit ad urbem:
Sed rediens nullo rurſus egebis equo.
Nam nive candidior volitans pernicibus alis
Te revehet dorſo Fama canora ſuo.
Et, cum Neſtoreos Lacheſis tibi neverit annos;
Illa tibi æternas nebit Olympiadas.
Sic olim Euphroſine Charitum pulcherrima dixit,
Cum tua te peperit docte Aproine parens.

In poculum aurrum Benedicto Varchio a Cardin. Mendotio dono datum.

Quam ſacer è puro dederat Mendotius auro,
Vidit, & admovit Cynthius os pateræ.
Mox ita: Caſtalios hoc uno munere rores
Hauriat, hoc uno Varchius ambroſiam.

In eundem.

Pocula Tyrrheno Mendotius aurea vati
Cum daret, implevit rore Thalia ſuo.
Vos alii (dicens) haurite Helicona, poëtæ,
Fictilibus: diti Varchius ære bibat.

Franciſco Melchiori.

Per juga per rupes, per celſa cacumina Pindi
Veloci nimium dum pede curris iter,
Me tua ſervantem lento veſtigia greſſu
Melchior expecta, Melchior affer opem.
Neve cadam in præceps, tremulo mihi porrige dextram
En titubant feſſi languida crura ſenis.
Quòd ſi forte meæ ſupereſt ſpes nulla ſalutis,
Et ſum Lethæas ebibiturus aquas;
Ah querulo ſaltem defle mea funera cantu,
Et mea lugubri carmine fata geme
Nam ſi me exanimem cithara cantabis eburna,
Poſt obitum invita morte ſuperſtes ero.

De Gabriele Altilio.

Protulit Altilium, quæ protulit ora Maronem:
Protulit una duos, abſtulit una duos.
Felicem eventum ſortita eſt utraque tellus,
Altera per cunas, altera per tumulos.

JO: BAPTISTÆ AMALTHEI

OPITERGIENSIS.

LYCIDAS I.

HIs deploratam in ſilvis, nemorumque latebris
Dicemus Lycidæ Muſam; quem flumina circum,
Quem flevere ſuo ſpoliati gramine colles.
Tu modo, cui patriæ aſſurgunt jam libera regna,
Aureaque æterno revocantur ſæcula mundo:
Coſme, ades, & noſtris nunc primum allabere cœptis.
Ipſe tibi Pario ponens de marmore templum
Gramineâ in ripâ, qua Tuſcus labitur Arnus.
Velocis quondam inſtituam certamina curſus:
Illic victor ovans, & præmia debita laudi
Accipiet, populiſque ſuos teſtatus honores,
Victrices referat Tyrrhena per oppida lauros:
Interea agreſtes ne dedignare Camœnas.
Pallida cedebant venienti ſidera Soli,
Cum Lycidas juſſus terras luſtrare repoſtas,
Effudit miſeros extremo hoc carmine queſtus:
Formoſi colles, & Nymphis cognita rura,
Et liquidi fontes, atque addita fontibus antra,
Silvarumque valete umbræ; quæ dulcia nobis
Otia, quæ caros olim peperiſtis amores.
Jam me complexu eripiunt fata impia veſtro,
Ut videam iratas errantia monſtra per undas,
Deſertoque iterem mœſtos in littore queſtus.

Quòd

Quòd ſi quando imâ audiſtis ſub valle canentem
Paſtorem Lycidam, teneros dum paſceret agnos;
Idem ſi tenui vobis alluſit avenâ:
Hoc ſaltem viridi ſignatum in cortice carmen,
Suſpenſamque ſacrâ lauro defendite avenam;
Quam non ulla dies ſuperet, non ulla vetuſtas.
Hinc ego ad ignotos ſaltus, & vaſta Pyrenes
Rura vocor (quis enim tanto caruiſſe receſſu,
Et ſe ſe dubiis committere fluctibus ultro
Crederet ah miſerum Lycidam) feliciaque arva
Deſerere, & notis cogor decedere ſilvis.
Ipſe igitur pecudes alio ſub ſole requiram:
Externaſque petam diverſa per æquora terras.
Nec mihi jam blando decurrens murmure rivus
Herbarum in gremio ſuadebit carpere ſomnos:
Nec teneris poſthac incidam Amaryllidis ignes
Arboribus, quam mille greges comitantur euntem
Quæ mecum inter oves, atque inter opaca ſalicta
Suerat odoratis intexere lilia ſertis,
Aut defeſſa levi componere membra ſopore.
Ah dolor, & patriæ fines, & commoda curis
Parta meis, ſemperque virentia prata relinquam:
Scilicet ut ſurdis jactem lamenta procellis,
Et patrias medio ſuſpirem in gurgite ſedes.
Me non excipient herboſo margine ripæ:
Non ſalientis aquæ gelidâ ſub rupe ſuſurrus,
Non dorſo nemoris ſolabitur aura jacentem.
Spirabant dulces Zephyri, ſpirantibus illis
Cantabam, quo ſole pyrum, quo ſidere vitem
Insererem, & certis mandarem ſemina ſulcis.
Vos veris comites auræ, Divumque miniſtræ:
Quandoquidem cœlo infertis mortalia vota:
Vos placidæ ſalvete auræ; mecumque per æquos,
Atque per inſuetos mecum decurrite campos.
Huc gemitum, & noſtras referetis ſæpe querelas;
Quas fors accipiat madidis Amaryllis ocellis,
E noſtri deſiderio crudelius ardens.
O mihi ſi veteres recolens Amaryllis amores

Illacrimet, ſi ſollicito ſuſpiria corde
Ducat, & inſanis revocet me triſtis ab undis!
Forſitan indignos terræque mariſque labores,
Hinc tandem querar: & vacuo reſupinus in antro
Te fugiente die, te decedentibus aſtris
Tunc Amarylli canam: ſed jam his divellor ab agris:
Rura valete iterum: ſic vobis mella geniſtæ,
Sic inarata graves tellus effundat ariſtas;
Pabulaque ut longo tondent ſub ſole juvenci,
Exiguâ ſic nocte novis ros veſtiat herbis.
Aurea mala prius ſterili naſcentur in alno,
Atque inculta ferent mites dumeta racemos,
Quam veſtri curam abjiciam; tamen altera rura
Ipſe colam, audaci permenſus cærula pinu.
Ergo & oves cuſtode alio per pinguia prata
Errabunt, paſtæque ſimul cava in antra redibunt.
Tu vero ſpes fida gregis, quæ nam arva peretres
Infelix aries? quis te in convalle reductâ
Nunc molli violâ, croceis nunc floribus ornet?
Gramineoſque toros viridi de ceſpite ponat?
At vos ô lauri, quarum fragrante ſub umbrâ
Et noſtra inſolitis caluerunt pectora flammis,
Noſtraque Mœnalios meditata eſt fiſtula cantus;
Sic ver aſſiduum foveat, neu frigora lædant,
Neve unquam læto rami ſpolientur honore.
Ipſi etiam auratis aſſurgant cornibus amnes
Supra Indum, & Gangem: lacrimis quos ſæpe profuſis
Auximus, & noſtro late ſuccendimus igne,
Cum me ad delicias formoſa Amarylli vocares:
Nunc vero, quoniam ſuperi tot gaudia nobis
Invidere, trucis tentare pericula ponti;
Et Pyrenæo conſidere vertice certum eſt.

ACON. II.

O qui Dictæi ſtatuat me in vertice montis,
Aut fortunatos Erymanthi ſiſtat ad amnes
Ut ſaturis panacem calathis, ut molle cyperum,
Di-

Dictamumque legam, & fragrantia germina myrrhæ,
Et relevem infirmos artus languentis Hyellæ.
Illa quidem vix ægram animam ſuſtentat anhelo
Pectore, & indignis ſingultibus interrumpit;
Nec vis ulla poteſt ſævum lenire dolorem.
Illam etiam lacrimantem etiam ſua fata querentem
Stellarum vigiles ignes, & primus Eous,
Et Sol Heſperias vidit devexus ad undas.
Sol pater, æterno cœlum qui lumine luſtras,
Et quæcumque parit tellus vegetaſque fove quæ,
Adfer opem, & mœſtam auxilio ſolare puellam.
Jam tibi Acon teneras vicina ad flumina lauros
Inſeret; atque ut nil unquam ſurgentibus obſtet
Frondibus, avertet glaciem, & defendet ab æſtu.
Has tibi Acon at ſi macies, ſi pallor Hyellam
Liquerit, & niveos decorarit purpura vultus,
Ipſa feret, cum ver nitidis ſe floribus ornat,
Ipſa feret mites cûm ſtringit vinitor uvas.
Scilicet, & viridi in ripa, qua ſe hoſpita denſis
Extendit ramis arbos, altaria ponet.
Semper flore novo, ſemper quæ veſtiat herbis.
Illic agreſtum chorus & vicinia ruris
Sacra feret, ſupplexque tuos cantabit honores,
Straveris ut quondam iratis Pythona ſagittis,
Tinxeris & fœdo victricia tela cruore.
Mille tibi aëria pendebunt ſpicula quercu,
Mille arcus, atque apta ſuo venabula ferro.
At vos, quæ nemora, & rorantia fontibus antra
Incolitis Nymphæ, veſtras ſi ſæpius aras
Verbena, primiſque roſis donavit Hyella,
Et dedit aureolis inſignia ſerta corymbis,
Vos ferte Eoos ditantia cinnama lucos,
Felicemque Arabum meſſem, Aſſyrioſque liquores.
Vos ægram refovete, & triſtes pellite morbos.
En virgo, exanimis virgo tabeſcit; & ille,
Ille decor roſeo jamjam defloruit ore.
Qualis purpureus ſecretâ in valle hyacinthus,
Quem mater tellus aluit, gremioque receptum

Eduxit largo rore, & felicibus auris.
Si cœli invaſit vitium, aut immanior Auſter,
Paulatim læto formæ ſpoliatus honore
Deficit; & moriens arentibus incubat herbis.
Nunc etiam inſuetos teſtantur rura dolores,
Et deſolatis ſquallescunt pabula campis:
Pro violâ mediis horret paliurus in agris;
Candidaque inflexo ceciderunt lilia thyrſo;
Et nulla irriguas pingunt vaccinia ripas;
Et deſunt nemori frondes, & gramina pratis
Fons quoque deſiliens prærupti tramite clivi
Contraxit liquidas nunc terræ in viſcera venas:
Et deſiderio formoſæ accenſus Hyellæ,
Vix fertur tenui per levia ſaxa ſuſurro.
Abde caput miſerande, & fractâ turbidus urnâ
Muſcoſo occultare ſitu, cæciſque latebris:
Non eſt quæ vitreis tecum colludat in undis,
Abde caput miſerande, cavoque incluſus in antro
Et lucem indignare, & aperti lumina cœli:
Non eſt quæ blando currentem carmine ſiſtat:
Non eſt quæ dulces latices dulci hauriat ore.
Crudeles morbi, veſtro de ſemine labes
Inſedit, roſeiſque genis, roſeiſque labellis,
Dejecitque decorem oculis; & ſævior eheu
Ingruit & miſeram ſilvis avertit Hyellam.
Ah ne dira lues contagia proferat ultra:
Ah ne artus ultra, pallentiaque occupet ora.
Parcite jam teneriſque genis, teneriſque labellis:
Et color, & pulchræ redeat ſua gratia formæ.
Tu vero, mea Hyella, meæ pars altera vitæ;
Pone metum, en tibi Pæonios fert munera ſuccos
Ipſa Pales, alacreſque ferunt ſua dona Napææ,
Coſtumque, Illyricamque irim, veſcumque papaver;
Quorum ope & effœto fugiant è corpore morbi,
Et placidus feſſis obrepat ſomnus ocellis.
Jamque pedem in ſilvas referes, notoſque receſſus:
Adventuque tuo fonti curſum uberis undæ,
Et nemori frondes, & pratis gramina reddes;

Et

Et fecunda novis ridebunt frugibus arva,
Et tibi odoratos ſubmittet terra colores,

CORIDON III.

En iterum me rura vocant, dulceſque receſſus,
Et juvit agreſti meditari carmen avenâ
Propter quam, umbroſo quà lenior arva ſalicto
Murmurat, & liquidis Atheſis circumfluit undis.
Tu quoque, dum magnus tibi ſuggeret otia, Cæſar,
Madruti heroum genus, & Diis æmula proles,
Paſtorum aſſueſce hoſpitiis, atque arboris umbræ.
Hîc paſſim in molli ponent altaria ripâ
Agricolæ, & plenis ſtatuent convivia menſis;
Ut tibi lacte novo libent, & pinguibus agnis;
Solenneſque ferent pompas, ne ſidera Divis
Invideas: ſed & ipſe hominum jam vota ſecundes.
Ergo ades, & tenuis luſus ne deſpice Muſæ.
Nam fortunati moles ubi celſa Tridenti
Tollitur, hæc vacuas Corydon jactabat ad auras.
Felices auræ, quæ circum roſcida culta,
Mollibus incinctæ Zephyris, & vere perenni,
Æternos alitis flores, & amœna vireta:
Vobis Idaliâ e myrto, ac Peneide fronde
Conſtituit lucum, viridique e ceſpite ponit
Septem aras Corydon muſcoſi fontis ad undam:
Vos lenite æſtus, atque alludente ſuſurro
Mulcete ardentis radiantia lumina ſolis.
Sic nunquam veſtros obſcurent nubila curſus;
Sic tellus vobis, ſic vobis rideat æquor.
Jam ſilvas mea Niſa colit, jam cincta pharetram
Audet obire nemus, celereſque avertere damas;
Nec timet ingentem clamore impellere cervum.
Invideo vobis auræ: adſpiratis eunti.
Illa petit montes, & inhoſpita luſtra peragrat
Venatrix arcu inſignis, levibuſque ſagittis.
Et ſive aëriæ luſtrat latera ardua rupis,
Seu vaſtos nemorum ſaltus indagine cingit,

Vos fidæ comites eſtis, ſociæque laborum.
Audax heu nimium! ſolos errare per agros,
Et ſumma intonſi ſuperare cacumina montis
Haud tutum eſt hic torvus aper conſurgit in armos;
Multa hic monſtra acuit rabies, & dira cupido.
Multæ hic inſidiæ; non eſt Dea neſcia fraudis,
Quæ violas, Siculaque legens nova ſerta ſub Ætnâ,
Infelix rapta eſt horrentes Ditis in umbras;
Infelix timuit manes, & triſtia regna;
Infelix latè ardentes exhorruit amnes.
Tu quoque ſæve Aquilo, per devia rura vagantem
Arripuiſti avidis complexibus Orithyiam.
Sæve Aquilo, hinc averte dolos & flamina pone.
Vos vero tenues animæ, rorantibus alis
Et cœlo regnate & iniquum arcete calorem.
Invideo vobis auræ: vos carmine blando
Detinet, & roſeis exceptat Niſa papillis,
Aut gremio herbarum, aut vacuo projecta ſub antro.
Illic & noſtros ſecum meditatur amores.
Adſurgunt ſilvæ, & tacito ſtant gutture circum
Intentæ volucres & curſus flumina ſiſtunt,
Dum canit, arridet pleno tum lumine cœlum,
Nunc intertexto vaccinia pingit acantho
Nunc gaudet niveis cultum variare liguſtris,
Nunc etiam gracili calathos detexere hibiſco.
Quod ſi languentes ſomno declinat ocellos,
Paulatim rapido feſſam refovetis ab æſtu:
Et læto ambroſios motu ſpiratis odores.
Invideo vobis auræ: luſtratis opaca
Silvarum hoſpitia, incuſtoditoſque receſſus:
Et noſtris, quo Niſa jugo, qua valle reſidat.
Illa quidem duris ſeſe venatibus aptat,
Cum matutino perfundit gramina rore
Lucifer, atque avium reſonant concentibus agri.
Sed prius, inflexo quàm lucos terreat arcu,
Arbuteis aries evinctus cornua ſertis
Florentem ad cythiſum, atque ad pabula nota vocatur.
Fortunate aries, te non felicior alter;
Non

Non qui per tumidas aurato tergore Phryxum
Vexit aquas, & nunc formoſa intermicat aſtra.
Te virides hederæ, te mollis amaracus ornat.
Et modo laſcivo detondes paſcua morſu
Aſſuetus campis; placidi modò ſibila venti
Excipis, & pulsæ miraris murmura ſylvæ.
O, ego ſi poſſem niveo tua vellera dorſo
Induere, & patulæ prætendere cornua fronti:
Cum ſe nocte domum prædis oner ta cruentis
Niſa refert, & te conſueta ad ſepta reducit!
Tunc mihi porrigeret ferrugineos hyacinthos,
Ridenteſque crocos: tunc oſcula dulcia furtim
Virgineis ferrem manibus, lætuſque petulco
Proſequerer curſu properantem ad tecta puellam.
At vos o magno natæ Jove, vos ego multa
Sæpe prece, & vario venerabor munere florum,
Felices auræ, quæ circum roſcida culta
Mellibus incinctæ Zephyris, & vere perenni
Æternos alitis flores, & amœna vireta.

SARNUS. IV.

Has inter ſalices vacua projectus in umbra,
Dum placidæ ſpirant auræ, proniſque ſuſurrat
Flumen aquis, miſeros Sarni meditabor amores:
Utque ſuo lacrymans de nomine fecerit amnem,
Has inter ſalices referam projectus in umbra.
Tu mihi, ſeu veteres miraris Tibridis arces,
Seu jam Pauſilipi lætis in collibus erras,
Annue, Mœnaliam non aſpernatus avenam.
Ipſe tibi (niſi fata vetent) incognita menſus
Æquora, & optata quondam tellure potitus
Tercentum Hadriaco deducam è littore puppes,
Certantes curſu puppes, oſtroque decorus
Victori pretium ſtatuam, & nova munera ponam
Stans celso in ſcopulo, ac notas procul ære ciebo.
Nunc verò, Cervine, humilem ne deſpice muſam.
Namque olim gelido feſſus ſucceſſerat antro

Sar-

Sarnus, & argutis complebat ſaxa querelis,
Lyriopen fruſtra per devia rura ſequutus,
Lyriopen, qua nec melior quæ flecteret arcus,
Nec fuit intacta præſtantior altera forma.
Viderat hanc maleſanus amans ſub valle jacentem,
Ut fortè acclivis gremio conſederat herbæ,
Viderat, & ſubitum defecta per oſſa furorem
Corripiens, tacitoque dolos in pectore verſans
Explorabat iter, facileſque ad furta latebras.
Illa ubi ſe viſam agnovit, jam conſcia fraudis
Erubuit, totoſque repente expalluit artus.
Atque exoſa virum, & volucri pernicior Euro
Præruptos ſuperat montes, & inhoſpita luſtra.
At Sarnus, quamquam & ſenio genua ægra labant, &
Diffugiens virgo ſaltus evaſerat altos,
Lyriopen tamen inſequitur, ſpe captus inani.
Quem poſtquam invalido ſenſit confidere curſu,
Aëriis aſſueta jugis, & credita certæ
Nympha fugæ, ſummâ e ſpeculâ ſe oſtentat amanti:
Brachiaque enudat puro candore recentes
Exceſſura nives, quas nec violaverit æſtus.
Interea impatiens exuritur acrius heros:
Ac veluti arentes ſi quando decidit ignis
In ſtipulas, rapidæ creſcunt per pabula flammæ,
Non aliter majora ſenex incendia paſcit.
Quid faciat? ſentit gravius caluiſſe medullas,
Et defeſſa novo ſuccumbere membra labori.
Quid faciat? duræ ſuperanda cacumina rupis
Proſpicit; accenſoque trahens ſuſpiria corde,
Incuſat deſerta loci; quo candida virgo,
Et ſperata vocant ſolatia: tum furit amens,
Affectatque viam, & curſu nemora avia tranſit.
Jamque alacri propior Nymphæ ſuſpirat, & eheu
Gaudia nequicquam viſus ſperare, quid, inquit,
Ocyor effugias: neque enim indulſiſſe precanti
Te modo pœniteat, cui ſit mea forma pudori.
Me quoque (ſi quid id eſt) Nerei pulcherrima proles
Deperit Eurynome, quæ largo nectaris hauſtu,
Et

Et latis pelagi campis donaret amantem.
Illa tamen fugitura, ſenem ridebat anhelum:
Dum ſe proripiens, ſtudioque intenta ferarum
Quæſivit ſocias obſcuro tramite Nymphas.
Verum ubi deceptos cognovit Sarnus amores,
Infelix (quid enim tanto ſupereſſe dolori?)
Ingentemque dedit gemitum, & divertit ad antrum,
Vaſtum immane antrum, clauſumque horrentibus umbris,
Illic ſollicito cautes plangore replebat,
Lyriopen cum ſe e magno Sol gurgite tollit,
Lyriopen ſub nocte querens atque irrita vota.
Ah quoties lamenta leves jactavit ad auras,
Quid lucem moror inviſam? quin vita querentem
Deſeris? & tantos mavis abrumpere luctus?
Ah quoties læto ſpoliati gramine colles,
Convalleſque cavæ, circumque ſonantia ſaxa,
Et volucres vario geminarunt gutture queſtus!
Illum Najades raucis flevere ſub undis:
Illum etiam mœſtos deploravere per agros
Exanimes Nymphæ, deſolatumque ululatu
Implevere nemus: viduataque frondibus arbos
Aruit, & nullæ ſilvas coluere Napææ,
Mox exhauſta ſenis conſumptaque lumina fletu
In fontes lacrimarum abeunt: tum corpore toto
Liquitur, & vaſto tandem diffunditur antro:
Et vada jam placido percurrit flumine Sarnus.

SILIS. V.

Prævius Eoo fulgebat Lucifer ortu:
Et matutinâ reſonabant alite ſilvæ,
Cum nondum orta dies incerta crepuſcula cœli
Paulatim ſolvit, magnoque e gurgite tollens
Phœbus equos jamjam pallentia ſidera condit.
Tum primum ecce Silis liquidis ſe ſe extulit undis
Ingentes humeros glauco velatus amictu,
Centum cui vitreis famulantur Najades urnis:
Pars violam, & vario texunt vaccinia cultu,

Can-

Candidaque ambroſio perfundunt membra liquore:
Pars etiam aurato deducunt ſtamine fila,
Aut ſaturant Tyrio Mileſia vellera ſucco,
Cymodoce, Xanthoque Thoeque, & cærula Drymo,
Atque Ephyre, atque Hyale, flaviſque Arethuſa capillis.
Inter quas experta novos Galatea hymenæos
Enitet, & molli componit lilia muſco,
Aut pingit nitidis baccata monilia gemmis.
In medio Silis undanti late imperat amni:
Cui torvam aſtringunt argentea cornua frontem,
Centenique fluunt herboſo e pectore rivi.
Ille altâ ſub rupe jubet conſiſtere circum
Flumina; quo juſſu curſus frenantur aquarum,
Et ponunt taciti crepitantia flamina venti.
Ipſe autem canit, ut naſcentis ſemina mundi
Acciperent diverſa ſuis exordia cauſis:
Utque olim induerent primas animalia formas
Tum quæ vis montes, & cinctas mœnibus urbes
Concutiat, vaſtique agitet tumida æquora ponti.
Tum miſerum Alcyonen, & cari conjugis umbras,
Demerſamque refert mediis in fluctibus Hellen.
His infelices adjungit Adonidis auſus.
Sæpe Venus puerum, triſti deterrita fato,
Ad tenerum amplexum, atque ad dulcia furta vocabat.
Parce puer ſilvis; ſunt multa pericula ſilvis:
Huc ades, & mecum placido junge oſcula luſu.
Ah tibi ne rapidis urantur ſolibus ora:
Neu ſævo occurras denſis in ſaltibus apro.
Ille tamen plenâ geſtans venabula dextrâ.
Nunc juga montis obit, nunc horrida luſtra peragrat.
Sectaturque feras; nec ſerâ nocte reverſus,
Occidit heu rabido demum confoſſus ab apro.
Fleverunt nemora, & ſpoliati gramine colles:
Et Nymphæ inſolitis implerunt arva querelis.
At Dea fracta metu, & ſubito exanimata dolore
Devolat, indignaque videns jam cæde tepentem
Ingemit, & formæ divinum exuta decorem,
Corpus inane fovet, terraſque, & ſidera damnat.
Tum

Tum canit, ut blandus vexiſſet Ariona Delphin,
Et Methymnæos audiſſet ab æquore cantus.
Tum fugientem acri compellat Theſea queſtu:
Perfide quid ſolam diſerto in littore amantem
Liquiſti? nec te morituræ fata puellæ,
Nec te conſcia mens, nec te perjuria terrent?
Flecte ratem male, grate hoſpes; da lintea retro.
Nonne vides puppim invito contendere ponto,
Nec tantum perferre nefas? & conjugis eheu,
Ad mœſtaſque preces, atque ad pia vota reflecti?
Illa quidem malegrate hoſpes te a morte redemit:
Illa tibi primos etiam donavit amores.
Flecte ratem, cupit inſuetis objecta periclis
Per freta cæca ſequi fugientem, & brachia tendit
Credita jam jam undis, vaſtumque ingreſſa profundum.
Tum quercus Dodona tuas, Phœboque ſacratam
Ortygiam, Nilique refert ſeptemplicis ortus.
Te quoque, cui Venetum imperium debetur, aperto
Deducit pelago: tibi ſubjicit ultima Thules
Littora, & Oceani magnas promittit habenas.
Macte animo, Federice, tibi Neptunia regna,
Et quæcumque oriens luſtrat quæcumque cadens Sol,
Parebunt, orbiſque æterna pace quieſcet.
Te duce, caſta fides cum fecerit otia terris,
Aurea reſtituent concordes ſæcula Parcæ:
Et præceps toto fugiet diſcordia mundo.
Sponte ſuâ tum perpetua flaveſcet ariſtâ
Campus, & Hyblæo ſudabunt melle geniſtæ:
Atque impune lupis audax miſcebitur agna.
Ipſæ nectareo diſtendent lacte capellæ
Ubera: & in mediis florebunt lilia dumis.
Ipſe rubus paſſim miti ſe veſtiet uva;
Aſſyriæque ſalix pingueſcet germine myrrhæ.
Tum vero placido ſternentur cærula fluctu.
Nec pelago abruptas horrebit nauta procellas,
Cyaneas etiam cautes, Scyllæaque ſaxa
Percurrent tuto volitantes remige puppes.
Felices tali rerum ſub principe gentes;

Feli-

Tuque adeo felix tanto pro munere princeps.
Quid caſum Phaëtontis, & horrida vincula narrem
Andromedes? Thamyrimve, ſuo qui orbatus honore
Muſarum quondam ultrices cognoverit iras?
Omnia, quæ Adriacis Proteus cantarat in antris,
Forte ut Carpathio ceſſiſſet ab æquore vates.
Ille canit: plauſum ingeminant lætæ undique ripæ,
Vicinumque nemus; donec ſe fluminis alveo
Condidit, & pronos curſus emiſit aquarum.

JOLAS.

Sic te perenni picta flore gramina,
Et umbra denſis explicata frondibus
Levent, beate paſtor; ut nec horrida
Hyems virentium arborum lædat comas.
Nec prata lætis exuat coloribus:
Prata illa regnis præferenda, quæ tibi
Tantum quietis, otiique ſuggerunt.
Felix Jola grata ruris commoda
Semper tueris, ſeu colis ſcatentia
Vireta rivis, ſive ſub cavo ſpecu
Projectus, & curis ſolutus omnibus
Canis, quod ipſa circum imago conſonet,
Et alta reddant montium cacumina.
Felix ſola, nunc tibi fons languidum
Affert ſoporem blandiente murmure:
Nunc dulci amore ſaucius, tuos novis
Incidis ignes populis: & ſtipite
Creſcente dulcior ſimul creſcit calor,
Tecum in reductâ valle grex depaſcitur:
Quantumque longis ſolibus carpunt oves
Brevi reſurgit nocte; tecum Veſpere
Surgente, notis clauditur præſepibus:
Aſtriſque jam cadentibus, cum paſcua
Lento madeſcunt rore, proſilit pecus
Molles ad herbas; hic tibi tunc alitum
Congratulantur cantus; hic felicibus

Ad-

[illegible]ſpirat auris obſtrepen[illegible] av[illegible]us.
At tu, beate paſtor, iſto munere
Diu fruare, nec nemus, nec florida
Offendat arva frigus acre: ſed tibi
Æterno aperti vere floreant agri.

Ad Julium.

Dum mihi felices, Juli, nemus explicet umbras,
  Non alias malim quærere divitias.
Et modo odoratas intexam floribus herbas,
  Eoas videar cogere ſolus opes.
Seu lætas viridi paſcam sub valle capellas,
  Mœnalios recolet fiſtula noſtra modos:
Seu defeſſa levi declinem membra ſopore,
  Servabit tenerum pulchra Neæra gregem,
Et mihi perſpicuæ ſitientia diluet ora
  Rivus aquæ, & victum mitia poma dabunt.
Quid dubio iratos percurram remige fluctus,
  Expleat ut miſeram lucida gemma ſitim?
Ah pereat quicumque truci ſe credere ponto
  Audet, & ignotas æquoris ire vias.
Hinc pelagi rabiem, vaſtas hinc nauta procellas
  Senſit, & abruptis excita monſtra fretis.
Cum nullæ invitum domuiſſent Nerea puppes.
  Æquoreas licuit ſæpe videre Deas.
O quoties niveas Tethys exerta papillas,
  Natarum explicuit per freta ſumma choros:
Atque ubi mortales in ſe convertit ocellos,
  Gaviſa eſt fidi littoris hoſpitio.
At poſtquam audaci ſuperavimus æquora pinu,
  Cæruleis Nymphæ delituere vadis.
Tum pecus indomitum ſpumoſo e gurgite Proteus
  Extulit, & tumidum juſſit obire ſalum.
Tum crudelis hyems pavidas ſurrexit in alnos,
  Succeſſitque polo mœſta cohors Hyadum.
Me juvat umbroſos indagine claudere ſaltus:
  Nec pudet exiguâ delituiſſe caſâ.

Quid mea Mygdoniis conſurgant tecta columnis?
  Aut rubeant oſtro vellera Sydonio?
Felices olim coluerunt Numina terras:
  Aureaque æternum ſæcula ver aluit.
Ludebant paſſim Dryades per opaca vireta:
  Ludebat cupido juncta puella viro:
Et pariter dulces aſſuerant carpere ſomnos,
  Alternoque ſimul nectere flore caput.
Tum numquam obſcuræ cinxerunt æthera nubes.
  Nec Notus Æolio carcere proſiluit.
Nec ſæva ardenti ſonuere tonitrua cœlo;
  Nec placidum armarunt ignea tela Jovem.
Scilicet optatos præbebat ſilva receſſus:
  Grataque ſepoſitas antra dabant latebras.
Aëreæ neque adhuc pulſabant ſidera turres:
  Nec ſtabat Pario marmore fulta domus.
Ilicet auditi tonitrus, cum Juppiter arces
  Vidiſſet celſum tollere in aſtra caput.
Tum primum attonitæ nimbos, & fulmina gentes;
  Ventorumque novas extimuere minas.
Quin etiam ſuperum foribus præfulſit Orion,
  Et lævum inſolito muniit enſe latus,
Me vero gelidâ lucus ſi protegat umbrâ,
  Rura colam, votis rura petita meis.
Illic formoſæ vaccinia prima Neæræ,
  Et violas pictis ipſe feram calathis.
Illic ſectatus volucres ad retia cervos,
  Arenti liquidos ore bibam latices.
Aut dulces plenâ decerpam ex arbore fœtus:
  Aut paſcam niveum læta per arva gregem.
Dii facite extremo decorent me rura ſepulchro.
  Spargat ubi rutilas mœſta Neæra roſas:
Et triſtes demiſſa genas, demiſſa capillum,
  Inſcribat tumulo jam moritura meo:
Huic ſemper nemora huic placuerunt mollia ſemper
  Gramina: qui viridi nunc quoque gaudet humo.

Cela-

Celadonis anathema.

Jam remos, fragilemque tibi, Neptune, carinam
Dat Celadon toto cognitus Oceano:
Ut ſaltem, incertis qui vitam abſumpſit in undis,
Excipiat patrio terra ſenem gremio.

Typhoni.

Sic, venerande Typhon, tua quæ complectitur oſſa,
Floreat æternis terra papaveribus:
Sic Venus Aſſyrio tumulos irroret amomo,
Atque Hyblæa tibi munera libet apis.
Ne ſacro deſit cineri poſt fata voluptas,
Neve pios manes atra favilla premat:
Et felicem animam crepitanti rivulus unda,
Et teneat lætis myrtus opaca comis.
Quæque ſuis olim potuit mulcere querelis,
Nunc etiam extinctum te philomela juvet.

In Philomelam.

Picta ſinus, auroque leves interlita pennas,
Fingebat vario gutture carmen avis;
Et dulci clamore diem, roſeamque vocabat
Auroram invito conjugis è gremio:
Quam nunc extremo tumuli donavit honore,
Et ſparſit violâ, ſparſit Acon lacrimâ.
Forſan adhuc humili cantus meditaris ab urnâ,
Sed reprimit cantus invida terra tuos.

Ad Lesbiam.

Puberibus caulem foliis nova purpura tinxit
Dum mordent gelidæ culta roſeta nives
Adventu ille tuo ſe ſe extulit: & tibi vernant
Frigora, dulce mei Lesbia ver animi.

Palladi & Soli.

Hanc oleam formoſus Acon tibi, caſta Minerva,
Ille idem hanc oleam, Phœbe, tibi inſeruit.
Tu, dea, crudeles paſtorum averte bipennes:
Tu teneram miti, Sol, ale temperie.
Quod ſi unquam domino fecunda adoleverit arbos,
Si cum creſcenti ſtipite creſcet Acon:
Humida non deerunt flammæ fomenta bibaci,
Quæ procul invitâ nocte fuget tenebras.
Et ſi veſtra aderunt, Dii, numina, diſcet Apollo
Ille tuas artes, ille Minerva tuas.

In Prillam.

O ego dum nitidos errat mea Prilla per hortos,
Quam vellem rutilæ flos novus eſſe roſæ!
Qui ſeu virgineo decerptus molliter ungue,
Ornarem ambroſiæ florida ſerta comæ:
Sive ſinum, & roſeas perfunderem odore papillas,
Afferrem tacitas undique blanditias.
Gnoſiaque ut quondam ſtellis illata corona eſt,
Et Beronicæi verticis exuviæ:
Sic jam aliquis forſan felici lumine, cum me
Linqueret aridulis forma cadens foliis,
Obſervans cœlo fulgentem, aſtriſque micantem,
Diceret ipſa ſuam ſidera habere roſam.

Ad Sebaſtianum Venerium, Ducem claſſis Venetæ.

Auſa Dei claſſem, ſociaſque laceſſere puppes
Impia gens, Euris ſinuoſa in vela vocatis,
Horruit adverſas acies, fractaſque ſuperbæ
Vidit opes Aſiæ raptis ſpoliata trophæis.
Illa per Jonios centeno remige fluctus
Ibat ovans, triſteſque minas, & bella ferebat,

Im-

Impuleratque Duces Cretæâ a ſtrage recentes
Rurſus in arma vehi, & duro diſcrimine rurſus
Hoſtiles petere exuvias, & Martia ſigna:
Obvia cum triplici ſe ſe tulit ordine claſſis,
Auſpicio jam freta Dei, cœloque ſecundo,
Evertitque trucem validis incurſibus hoſtem.
Tum Superum delapſa cohors plaudentibus alis
Irruere, & vacuas viſa eſt rutilare per auras,
Et nunc barbaricas pelago ſubmergere puppes,
Nunc inviſam aciem rapidis inceſſere flammis,
Aut pugnare manu, mediiſque inſidere tranſtris
Æneadum, & Venetæ defendere robora pubis.
Pars autem clypeis venientes excipit ictus,
Aut ſtipata levi circumvolat agmina gyro:
Non ſecus, ac rigui ſi quando ad ſtagna Cayſtri
Candentes liquido glomerantur in æthere cycni,
Imbelleſque agitant volucres, & inertia cædunt
Agmina; ſanguineas zephyrus rotat aëre plumas.
Cinge triumphali victricia tempora lauro,
Dux Venetum, cui clara ſuæ cognomina gentis
Dat Venus, & ſpolia ampla tuo cape debita Marti,
Servatæ columen patriæ, tu maximus ille es,
Æquoreæ qui primus inis certamina pugnæ
Cladem Aſiæ intentans: Divi comitantur euntem,
Et curæ vigiles, & ovanti gloria plauſu.
Ultriceſque rates, & ahenea mittis in hoſtem
Fulmina. ſuſcepto igne cavis impulſa metallis;
Quo ſonitu tremuere undæ, percuſſaque longè
Ambracia, & pavidæ latuere ſub æquore Nymphæ,
Et refluo trepidans Achelous inhorruit amne.
Nec te ullæ belli facies, amiſſaque terrent
Regna, nec avectæ diverſo ab littore prædæ.
Nec te animi vigor, & ſeris grave robur in annis
Deſerit, & fracto exuvias ex hoſte reportas,
Eque tua prior emicuit Victoria puppi.
Tum juvenem Imperio inſignem, quem Cæſare magno
Progenitum virtus per grandia facta parentis
Evehit, & cœlum, promiſſaque ſidera monſtrant,

Attonitæ videre acies in prœlia verſum,
Quo pietas, quo laudis amor quo gloria traxit,
Et belli molem regere, & virtute tueri;
Qualis Atlas humero ſtellantem ſuſtinet axem.
His quoque ab auſpiciis, tantæ pars maxima pugnæ,
Curarumque comes ſacris Antonius armis
Turbabat cuneos, inimicaque ſigna premebat
Ut ſuperans, quamvis crebris maria alta procellis
Secum hyemes, Euroſque trahens, & nubila perflans,
Verberat Orion, fluctuſque illidit arenis.
Quem duo ſectati varia in certamina fratres
Juncti animis ambo, cognato ſanguine juncti,
Romulidæ proceres per barbara tela, per ignes
Irrumpunt, Martemque acuunt, ſpoliiſque ſuperbis
Sæpe ſuam decorant ingenti mole Columnam:
Ceu quondam Oebalias ſoliti ductare cohortes
Tyndaridæ adverſo ſpoliabant milite caſtra,
Inſignes paribus clypeis, quibus aureus enſis,
Et jam tum gemino radiabat ſidere caſſis
Aurea; puniceæ volitabant vertice criſtæ.
Nunc pharetras, Lycioſque arcus, perfractaque tela
Fluctus agit, laceræque natant in gurgite pinus:
Et jam trunca virûm, diſcerptaque corpora paſſim
Littoreæ ſectantur aves, projectaque paſcunt
Viſcera. & effuſo late rubet unda cruore.
Atque aliquis, Naupacte, tuas dum tendit ad oras,
Et pugnata refert ſacris nova bella ſub armis,
Dumque peregrinâ legit Actia littora pinu,
Ecce, ait, hinc pugnas iterum proſpexit Apollo,
Biſque triumphatis Ægyptia ſigna carinis.
Sic ait; & celeri percurrit Echinadas aurâ.
Defer ad extremas victricia nomina gentes,
Fama, novas memorans pugnas, partoſque triumphos,
Quæ vetera heroum ob curis monumenta ſepulchris
Subtrahis, æterniſque Duces interſeris aſtris,
Dic actos in bella viros ſocia arma ferentes
Hiſpanos, Venetoſque intermixtoſque Quirites,
Nunc primum Jonio in magno junxiſſe carinas:

At contra Euboicas ſumma in certamina claſſes,
Mentiro que Deos, vireſque Orientis agentem
Regem Aſiæ, domitum, tremefactaque ſaxa Caphare;
Scilicet hoc dudum precibus votiſque petiſti,
Sancte heros, qui ſceptra Dei, ſedemque tueris,
Idem aperis, idem cœli penetralia claudis,
Dum tu neglectâ pro relligione laboras,
Et Vaticanas toties proſtratus ad aras
Sacra facis, ſanctaſque vocas in fœdera gentes;
Jordanemque jubes, Solymaſque repoſcere ſedes,
Atque implacatæ ſuperare Propontidis oras.
Salve operum tantorum auctor, qui numina nobis
Concilias, & dia tuis paris otia terris.
At tibi, Dux Venetum, nunc alter ab Hercule magno,
Qui gravidam colubris Hydram, qui Thracia monſtra,
Exſuperas, iterumque Acheloia cornua frangis,
Quando etiam majora manent, ſuperanda Propontis,
Rhœtæique ſinus, proavitaque regna petenda:
Jamque tuis Rhodos, & Salamis, Naxoſque receptæ
Accedent titulis: & jam concuſſa tumultu
Mygdonia, & triſtes expavit Achaia pugnas.
Te celſi juga Taygeti, te frigida Tempe,
Aoniumque vocat nemus, & Permeſſides undæ,
Et tua Pieriæ reſponſant nomina ſilvæ.
Tempus erit, cum rapta ſacris ſolatia Muſis
Reſtitues, fonteſque ſuos, ſuaque antra recludes,
Nunc dira illuvie, & ſilveſtribus obſita dumis;
Et ſua jam profugi recinent ad flumina cycni.
Hinc & ad æquoream victor provectus Joppem
Antiquas Solymorum arces, & ſceprta repoſces
Auſoniæ Imperio, ac Romanis debita regnis;
Et tibi Carmeli rupes, tibi plaudet Idume,
Et tibi creſcentes ſurgent ad ſidera palmæ.
O ſacræ Libani valles, ô palmifer Hermon
En erit, ut veſtros liceat penetrare receſſus?
En erit, ut Syrias luſtrans pius hoſpes arenas
Cœlicolum ſignata legam veſtigia plantis?
Bethlemiæque domus ſupplex ſacraria viſam?

Et propiora Dei cunabula pronus adorem?
Felices properate citis decurſibus anni,
Concordeſque iterum fatalibus aurea penſis
Sæcla neant Parcæ, neque hæc ad vota reſervent.
Adſpice, dum properant alios tibi fata triumphos,
Ut maria, ut tellus nobis, ut largior æther
Rideat, & nitido oſtentet nova ſidera cœlo;
Illuſtres animas, quæ prodiga pectora vitæ
Auſæ omnes dum, fata dabant, hoſtilibus armis
Objicere, & lethum pro relligione paciſci,
Has ſedes peperere ſibi, qua lactea fulget
Orbita, & æterni candent faſtigia mundi,
Et modo pacatis diffundunt gaudia terris

Ad Torquatum.

Alternos ſtellarum obitus, Soliſque labores,
Et liquidos pelagi campos, & munera terræ
Diverſa ratione regi, Torquate, videmus.
Nam neque perpetuo tellus ſe gramine veſtit,
Nec cœlo ſemper dominatur Libra, nec idem
Eſt Soli curſus, rabidum cum Sirius aſtrum
Exerit, & gelidis caneſcunt arva pruinis.
Quid memorem Oceanum, fundo ſive actus ab imo
Altius inſurgat, ſive in ſeſe ipſa reſidat?
Scilicet & vario rerum mortalia caſu
Labuntur, certoque nihil ſe fine tuetur.
Una tamen nunquam eſt fortunæ obnoxia virtus;
Hæc pia jura dedit populis, ſolerſque futuri
Evitare monet jucundæ commoda vitæ.
Hæc duras perferre vices, & vivere parvo
Inſtituit: quid enim refert, mihi jugera mille
Sufficiant victum, aut exili paſcar agello?
Eſt, qui divitiis ſemper, Torquate, parandis
Invigilet, nunc Heſperios, nunc exul ad Indos,
Atque hunc nec vaſtas obvolvens Africus undas
Exterret, tumidumve natantia monſtra per æquor.
Quin etiam quo plus fulgentibus addit acervis,
Af-

Affectat jam plura, magiſque amor urget habendi.
Felix, quem nulli vicere Cupidinis æſtus,
Quem non ambitio, non torret avara cupido.
Ille quidem exigui contentus ceſpitis umbra,
Agreſtes laudat ſecura per ocia ſomnos.
Quis pingues Arabum ſaltus, aut arva feracis
Armeniæ propria malit ditione tenere?
Illum non litui terrent, nec triſtia bella,
Dum virides ſilvas, miſeriſque incognita curis
Rura colit: neque enim laudis dulcedine captus
Regna petet, vel opes inhians moderabitur urbes
Juſtitiæ cuſtos; at ſi crudele tyranni
Imperium timeat, legeſque impune labantes,
Tunc illi fuerint privata negocia curæ,
Oblituſque ſui, patriæ diſcrimina forti
Corde feret, populumque gravi terrore levabit.
Ac, ne quid rerum labefactet jura, fidemque,
Proſpiciet, longe metuenda pericula cernens.
Me quoque, ut incertam ſcirem contemnere ſortem,
Atque auri pretium infelix, finxere Camœnæ
Gaudentem cenſu, puro qui ſplendeat uſu.
Percurrant alii ſinuoſis æquora velis,
Eooque legant ardentes littore gemmas;
Ipſe, niſi attonitæ mihi ſit mens conſcia culpæ,
Intra naturæ fines regnare beatus
Dicar, & inſanis animum ſubducere curis.

In obitum Horatii Farneſii Parmæ Ducis.
AD JO: CASAM.

Cœlo propinquas muniat urbium
Regnator arces, altaque marmora
Colluſtret auro, dives agris,
Imperii ditione dives.
Non ille magni conſilium Jovis,
Non ille fatis debita funera
Supplex reflectet, nec fugaces
Sollcita prece ſiſtes annos.

Heu

Heu quid deorum quærimus in ſinu
  Sacro latentes temporis exitus?
  Quid ſortis expertes futuræ
  Spes avidis jaculamur auſis?
Extrema vitæ nox datur omnibus:
  Nec ducta nigro ſtamina pollice
  Parcæ retexunt, nec refigunt
  Impoſitas adamante leges.
En nunc labantes conſilio duces
  Videre magni funera Principis,
  Farneſiumque heroa ademptum
  Flet patriis Tiberinus oris.
Qui, cum minaci fervidus agmine
  Adverſa nuper caſtra laceſſeret,
  Inſignis haſta, inſignis enſe
  Ibat ovans medios per hoſtes.
Ut pura fertur per ſpatia ætheris
  Late coruſcam ſtella trahens facem,
  Sectas ut excurrit per auras
  Ignem agitans voluereſque flammas.
Ille emicans in turbine Martio,
  Acrique turmas robore proterens
  Pubentis ævi veſtiebat
  Flore genas, teneraſque malas.
Quem nec doloſæ ferreus obruit
  Imber cohortis, nec violentior
  Extinxit ictus, dum frementi
  Victor equo ſuperaret hoſtem.
Et nunc decoro pulvere ſordidus,
  Nunc ære fulgens pectora Norico
  Noctes fatigaret, dieſque
  Exuviis inhians Iberis.
Dejecit altis heu tamen arcibus
  Muros tuentem fulmen aheneum,
  Fulmen, repercuſſus quod hoſtis
  Impulerat rapiente flamma.
Sic pura cœlo ſtella refigitur,
  Sic alba cycnum guttura ſaucium

Gor-

Gortynia exturbat ſagitta
Paſtor ab ætherio receſſu.
Heu dux acerbo vulnere concidit,
Artuque pulchro ſanguine proluit:
Heu illa Clotho ducta fuſis
Aurea purpureis reſolvit,
At tu Beato carmine Principem
Cœlo reponens, tu juvenis memor
Obliviofis exime umbris,
Magne Caſa, egregios triumphos.
Quos tollat alto gloria vertice,
Divûmque ad arces evehat igneas,
Et ducat ales Fama ad Indos
Laudum apices reſonante penna.
Dic arma ſacris ſparſa cruoribus,
Et luctuoſæ funera Galliæ:
Dic Marte victum fraudulento
Militiæ cecidiſſe robur.
Ut ſalſa quondam per vada Nerei
Injurioſæ vim ratis arguens
Vates recurvo piſce vectus
Dulcibus increpuit querelis.
Non ille ponti pertimuit minas,
Nec monſtra torvis horrida vultibus,
Cum pulcher oſtro, pulcher auro
Fluctibus in mediis niteret.
Qualis profundo Plejas ab æquore
Emerſa fulget, cum pede lucido
Repellit undam, & crine rores
Decutit exiliens ſub aſtra.
Aptarat acri remige territus
Flavis coronam crinibus auream,
Stringebat imos palla fluctus
Sidonio ſaturata fuco.
Ut blanda Siren carminibus truces
Mulcet procellas, ſic fide Lesbia
Lenibat, argutoque cantu
Præcipites pelagi furores.

Suſpen-

Suſpenſa cano gurgite Nereis
  Vatem citato proſequitur gradu,
  Phorcique proles appetenti
  Pierios bibit aure cantus.
Quin & relictis littoribus ſtupet
  Intenta blandis Alcyone modis
  Lætæque delphinûm cohortes
  In celeres glomerantur orbes.
Hic pone ludens, aut comitum ſubit
  Alterna lapſu pectora lubrico,
  Aut inſtar undæ geſtientes
  Saltibus exſuperat catervas.
Ille æſtuoſo creber anhelitu
  Urget morantes, & volucri ſalum
  Verrit natatu, vel fugaces
  Torquet aquas leviore gyro.
Sed nota poſtquam vectus ad æquora
  Proſpexit altos Oebaliæ ſinus,
  Oblitus ingentem querelam,
  Atque avidæ inſidias carinæ.
O quæ ſecundis per freta curſibus,
  Seu me ſequutæ, ſive loquax ebur,
  Has, inquit oras, attigiſtis
  Æquoreæ Thetidis ſorores,
Vos Sole primo, vos pelagi Deæ
  Dicam ſupremo: ſoſpes ab æquore
  Vox ture Methymnes alumnus,
  Et poſitis venerabor aris.
Tum fide vector te quoque concinam
  Mixtis eburnæ carminibus lyræ,
  O digne cœlo, quique cœli
  Aſtra novo cumules honore.

In

In obitum Hieronymi Fracaſtorii.

Nec Sol ab ortu pulchrior aureum
Oſtendit axem, nec Magis Heſperus,
Cum pura nox invexit aſtra,
Sidereos micat inter ignes,
Quam vera virtus munere cœlitum
Terris refulſit; quam neque fulminis
Exterret ictus, nec minaces
Martis equi, nec iniqua bella.
Sed Ditis atri, quem ſemel horridis
Adjecit umbris dura neceſſitas,
Non dia virtus, non Camœnæ
Ætherias revocant ad auras.
Nec Muſa quondam reſtituit parens
Fatis ademptum Threjicium Orphea,
Quamquam ille dudum corda molli
Flexerat Eumenidum querela,
Auſus profundos flebilibus modis
Excire Manes, nigraque Tartara,
Noctemque damnatam ſubire,
Dum miſeram Euridicen repoſcit.
Nec morte functum candida Pieris
Ad lucis oras, ad nitidum diem
Fraſtorium vatem reducit
Sæpe deos precibus fatigans;
Seu flexuoſo Tethyos e ſinu
Phœbus recurrens explicat aureas
Equis habenas, & rubente
Exhilarat ſua regna curru,
Seu noctis udæ prævius Heſperus
Sacros reliquit Nereidum choros,
Et luna rorantes aperto
Extulit Oceano jugales.
Illum gementes Aonio in ſpecu
Flevere Muſæ; nec mel apes, neque
Dulcem dederunt aſtra rorem, &

Flu-

Flumina deſtituere cycni.
Nunc plena luctus omnia: nunc humi
Phœbea laurus, nunc hederæ jacent.
Nunc cæca nubes ſidus urget
Pierium Stygia ſub unda.
Sic puppis atro mergitur æquore,
Quæ bella nullis gentibus inferens
Fulgebat inſignis Sabæis
Muneribus, Phariaque merce.
Declivis alto Sol ruit æthere
Feſſas reclinans Oceano rotas,
Sed luce terras veſtit idem
Purpureo rediens Eoo.
Nos ut ſevera turbidus alluit
Cocytus unda, fataque Gnoſſius
Judex ahena movit urna,
Ad ſuperos via nulla ducit
Quis victa morbis, victa doloribus
Firmabit herbis membra potentibus?
Quis verba devolvet rotata
Ambroſio nivis inſtar ore?
Tardaſque nectet fluminibus moras
Carmen decoro pectine temperans?
Carmen, quod argutis ab antris
Sæpe loquax iterabat Echo?
Tu Phœbe teſtis, cum tibi fervida
Sacrabat alto pectora numine
Oracula edoctus Pelaſgûm.
Sanctaque templa animi recludens.
Sive ille fati præpetis obvias
Tardarent alas Pœonis Artibus,
Seu voce mallet, ſeu canoris
Pronum Atheſim fidibus morari,
Qua pulchra labens per vada libero
Amnis natatu Naïadum ſacros
Pertentat amplexus, & udam
Mordet aqua fugiente ripam.
Sed pone luctus anxia Pieri.

Non

Non ille, magni cultor Apollinis,
Urgetur obductus perenni
Nocte oculos, gelidoque ſomno:
Qui ſempiternæ menſus iter plagæ,
Et ſe beatis ſedibus inferens
Acceſſit aſtris, & niteſcit
Altior invidiæ tenebris.

Tumulus Tryphonis.

Stant aræ, ſtant coniferæ ad tua buſta cupreſſi;
Tu mea ab inferiis accipe dona Tryphon.
Sic venerande ſenex, tua quæ complectitur oſſa,
Floreat æternis terra papaveribus.
Sic Venus Aſſyrio tumulos irroret amomo,
Atque Hyblæa tibi munera libet apis.
Neve ſacro deſit vati poſt fata voluptas,
Proxima ab umbroſo cantet avis nemore.
Et qui te blando mulcebat murmure rivus,
Nunc etiam argutis ſomnia portet aquis.

PATERA.

Non mihi Pleiadas, non lucida plauſtra Bootæ,
Stellarumve choros, pictiſve in nubibus Irim,
Nec Solem rutilum patera cœlavit in aurea
Docta manus, Myos artifices imitata figuras;
Sed nemora, & teneris diſtinctas floribus herbas,
Et graciles hederas, miteſque in vitibus uvas,
Et circumflexos argento effinxit acanthos.
Addidit & rupis prognatum vertice fontem,
Et perlucentes liquido ſub fonte lapillos,
Artis opus miræ, medioque ex aggere nymphas
Candida virgineo nectentes brachia ludo.
Parte alia ſub vite ſacer procumbit Jacchus,
Ebria cui lentus natat intra lumina ſomnus.
Ante pedes thyrſi, redimitaque tela corymbis,
Delapſæque jacent neglecto e crine corollæ.

In-

Inter ſe vigiles Mareotica vina miniſtrant
Ludentes Satyri paſſim, projectaque rident
Serta Dei; credas diffuſo ex ore cachinnos
Excipere, & dulces nympharum audire ſuſurros.
Hinc infuſa novo ſemper mihi nectare vina
Mutat inaurata crater argenteus anſa,
Longaque ſollicitis affert oblivia curis.

Gallæ querela de marito venatore.

Si potes invita toties ſecedere Galla,
  Denſaque nexilibus claudere luſtra plagis,
Et longæ perferre nives, & frigora noctis,
  Aſperaque hiberni flabra ſubire Noti,
Ah pereant acreſque canes, & retia, & arcus,
  Et quæ Mygdonia tela geris pharetra.
Nec tibi ſit tanti vaſtos indagine ſaltus
  Cingere & obſeſſas exſuperare feras,
Ut ſine te viduo conjux cubet anxia lecto,
  Et metuat fati mille pericla tui:
Et ne crura tibi lædant, & brachia ſentes,
  Neve tuo madeat ſanguine torvus aper,
Neve tuos rapiant ſilveſtria numina ſenſus
  Blandus Hamadryadum, Naiadumve chorus.
Neve Aurora, novo cum ſe ſe oſtentat ab ortu,
  Raraque purpurea diſcutit aſtra manu,
Te modo venantem, modo curva in valle jacentem
  Complexu impediens malit Jule ſuum.
Sic juvenem Æolidem ſilvis excepit in altis
  Vix egreſſa rubro conjugis e thalamo.
Ille genas primo ſignarat flore juventæ,
  Et poteras tenero Procri timere viro;
Seu matutinos agitans ad retia cervos
  Curreret arguto ſola per arva pede.
Sive canum hortator viridem luſtraret Hymettum
  Inſignis Geticæ tigridis exuviis.
Atque, ut forte canes tumulo revocabat ab alto,
  Succinctum Gnidia vidit amans pharetra.

Pen-

Pendebant humeris arcus, Lyciæque ſagittæ,
Stabat & in roſeo plurimus ore vigor,
Ut viget umbroſis in vallibus avia myrtus,
Pronaque vix flores ſuſtinet una ſuos.
Quem dea nube latens cœleſtibus extulit ulnis,
Membraque nectareis languida fovit aquis.
Nunc tu ſollicitos Gallæ depelle timores
Aſſidua victus pectora dura prece
Quaſque invexit hyems, & frigida ſidera noctes
Conjugis in tepido contere, Jule, ſinu.
Deinde ubi ver nitidum Zephyruſque & lenior aura
Duxerit, & viridi gramine pinget humum,
Vicina lepores melius venabere ſilva,
Hæreat ut lateri candida Galla tuo.
Illa leves agitare hinulos, & tendere caſſes
Diſcet, & inſtanti ſolvere vincla cani;
Qualis Menalios errans Atalanta per agros
Terruit adjuncto Mimalione feras.
Sic & nulla tuos injuria lædet amores,
Et ſtrepet arguto nulla querela toro.

DE CAROLO QUINTO

In Germania pugnante.

Pro magno imperio algentem dum pugnat ad Albim,
Et ſpolia inſenſo Cæſar ab hoſte petit;
Nunc enſem, Vulcane, tua molire ſub Ætna,
Et galeam, ardentes quæ vomat ære faces,
Et ſacrum thoraca, & ahenea tegmina crurum,
Cælatamque novis ægida imaginibus.
Illic finge acies, expectatoſque triumphos,
Captivoſque duces, captaque ſigna ducum.
Lætaque purpureis plaudat Victoria pennis,
Victriceſque ferant Rhenus, & Iſter aquas.
Nam roſea ſub nube Venus complexa nepotem,
Aurea formoſa deferet arma manu.

CORNELII AMALTHEI

OPITERGIENSIS.

Ad D. Pium V. P. M.

QUid curæ iniquæ, ac ſollicitudines
Arcetis undis me Aonidum procul?
Et corde abite, & mente abite;
Ut vacuus citharam reſumam.
Me Vaticani verticibus juvat
Magnum Quiritum dicere Principem:
Tu labra nobis, docta Clio,
Proluc Caſtalio liquore.
Quis ô, quis unquam te ſine concinat,
Quæ non Arion pectine Lesbio,
Non ipſe digne poſſet Orpheus
Threicio celebrare plectro?
Ut virgo, in hortis dum calathos parat
Implere pictis floribus, ambigit
Roſas ne molles, an liguſtra,
An violas prius ungue carpat:
Sic quiſquis ardet Pieriis modis
Te ferre cœlo, Rex hominum, & Pater,
Quid ante dicat, poſtve neſcit:
Tantus honos viget, atque virtus.
Tu clari Olympi nutu aperis fores;
Et regna Ditis, triſtia Tartara,
Occludis, ac manes profundos
Eripis Eumenidum flagellis.
Tu ſæva Martis bella minantia
Cædemque, peſtemque, & miſeram famem
Tellure propulſas ab omni:
Ac populis tribuis quietem.

Hinc

Hinc alma Pax, hinc Relligio, & Fides,
Inſtar nitentis Luciferi, emicant:
Hinc aurea e penſis reducunt
Sæcla tibi triplices ſorores.
Jam dulce nectar defluit amnibus,
Et mella ſtillant e Jovis arbore:
Jam fruge ſe ſe, floribuſque
Perpetuis humus ipſa veſtit.
Huc ergo tandem, progenies Deûm
Aſtrea, cœli labere ſedibus.
Non hîc Lycaon, qui nefandis
Decipiat dapibus Tonantem;
Non execratâ quæ jugulet manu
Medea partus, aut Pelopis genus;
Non arce ab altâ qui laboret
Trudere cœlicolas Typhoëus.

JOANNI AUSTRIO
Chriſtianæ Claſſis Imperatori

PROTEUS.

Aurea Tithoni conjux ſubtraxerat umbras,
Pronaque puniceo velarat ſidera vultu,
Cum Sol Eoo tollens e gurgite currus,
Illuſtri magnum detexit lampade mundum.
Tum ſubito Adriacis Proteus ſe ſe extulit undis,
Quem comitabatur flavos reſoluta capillos
Cymotohe, atque Hyale, niveiſque Arethuſa lacertis
Atque aliæ vatem Nereides admirantes.
Ut ventum ad litus, paſſim hîc vaccinia nigra,
Pallenteſque legunt violas, molleſque hyacinthos:
Mox omnes circunſiſtunt, & carmina poſcunt.
In medio Proteus altum jubet æquora murmur
Ponere, & Æolios ſtridentia flamina ventos:
Quo juſſu placantur aquæ, placantur & Auſtri.
Ipſe autem canit. ut nutu ſuſpenderit orbem
Rex Superum, qualiſque hominum concreverit origo.

Informi ex limo; nec non elementa per omne
Fuſa genus, cœloque etiam labentia ſigna.
Tum memorat Phœbi curſus, Lunæque meatus;
Quid ferat Arcturus, quid verno Plejades ortu,
Quid triſtes Hyades, quid deſolatus Orion.
His addit Lapithûm media inter pocula rixas,
Et dirum exitium Cadmi, vultuſque Meduſæ.
Tum miſeræ Inachidos deplorat triſtia fata.
Infelix virgo, quondam tu nectare digna,
Et dulci ambroſiâ, thalamoque, toroque Deorum:
Nunc autem foliis, & amaro gramine tantum
Paſceris, atque ſitim limoſo flumine pellis,
Gramineoque jaces ſeptis incluſa cubili.
Infelix virgo, quoties tu verba referre
Conaris, toties auras mugitibus imples.
Ah pater, ah rector Superum, miſerere puellæ,
Jam miſerere tuæ, finemque impone labori.
Hinc Prognen Tereo convivia fœda parantem,
Candenteſque humeros Pelopis, Niſique capillos
Commemorat, poſt hæc miſeros decantat amores
Biſtonii vatis, qui quondam conjuge raptâ;
Auſus inacceſſas Erebi luſtrare tenebras,
Tartareum potuit cuſtodem flectere cantu,
Et reditum ad ſuperos optatæ aperire puellæ:
Sed tamen incautum metus, & dementia vatem
Invaſit, ſociamque viæ jam luce ſub ipsâ,
Jamjam Tenarii egrediens e liminis oris,
Reſpexit; tunc illa iterum ſe Ditis ad umbras
Corripiens, Erebi leges, atque impia fata
Viſa queri, miſerumque viri incuſare timorem.
Tum canit inſignem ſacri Helicona Camœnis,
Parnaſumque orbis medium, lætoſque per agros
Aonidum blando labentes murmure fontes.
Te quoque Pyrenes decus, & Mavortis alumne,
Cujus ob imperium cœlo caput Auſtria tollit,
Hoc tandem celebrat divinus carmine vates.
Macte animo, Princeps, genus alto e ſanguine Divûm.
Qui modo conjunctas æterno fœdere claſſes,
Ma-

Magnorum Regum claſſes, Venetique Senatus,
Sublimi e ſpeculâ totum prætexere pontum
Deſpicis, & validas Neptuno oſtendere vices,
Eja age terribili Thracum pete fulmine puppes,
Fulmine, quo mundi moles operoſa paveſcat;
Et gentem ſceleratam imo demerge ſub Orco.
Tunc Aſiæ ingenti perculſus clade tyrannus,
Abſcindet manibus crines, atque unguibus ora.
Mox iræ impatiens prærupto e vertice ſaxi
Se ſe præcipitem demittet in æquoris undas.
Hinc juga ſervitio ſolvent & Maurus, & Indus,
Fallaciſque Dei ritus, legeſque profanas
Contemnent, genitumque colent e Virgine numen
Et Romana ferent patrias vexilla per urbes.
Tum Parcæ unanimes Saturnia ſæcula reddent,
Et rurſus terrarum orbem Pax alma reviſet:
Sponte ſuâ fœcundus ager flaveſcet ariſtis,
Sponte ſua molli ſe ſe rubus induet uvâ,
Aureaque æternum pendebunt arbore poma,
Ac paſſim vario pingetur terra colore.
Ilice præterea ſtillabunt dulcia mella.
Et pecudes multo diſtendent ubera lacte,
Colludentque lupis mediis in vallibus agnæ.
Quin etiam placidis ſternetur fluctibus æquor,
Nec Scyllam pinus metuet, nec nauta Charybdim.
Spirabunt Zephyri tantum quorum omnia flatu
Ridebunt, totuſque adeò lætabitur orbis.
Quare age ne prorſus deſint hæc otia terris,
Magnanima Heroum ſoboles, jam ſume potenti
Arma manu; teque his quamprimum accinge trophæis;
Te Bellona ferox, & te Fortuna ſequetur.
Quid loquar Heliadum lacrimas, mutataque membra,
Quidve piæ Clymenes fuſas e corde querelas,
Cum Phaetonta polo dejectum fulmine vidit?
Omnia, quæ Muſis Helicon, quæque Iſmarus Orpheo,
Audiit: ille canit, reſonos dant littora plauſus,
Donec ad occultas redierunt Numina ſedes.

De eadem Victoriâ.

Pectora Threicio dum ſcinderet ungue tyranno,
  Impiaque eriperet dentibus exta Leo,
Cornua depreſſit Phœbe, curruſque retraxit;
  Ac mœſto tales edidit ore modos:
Ecquis io pœnas perſolvit acerbius unquam?
  Non avidâ Tityus ſic laceratur ave.
Cur ita? flagitiis hoc tam crudelior ille eſt,
  Vulture quam morſu durior ipſe Leo.

In collem Cenetenſem.

Æmule Parnaſſo collis, Diis cognita ſedes,
  Cui cedunt Tempe Theſſala deliciis,
Te fons illimis, te puri nectaris hauſtus
  Irrigat, & gramen proximus humor alit.
Nec deſunt violæ, nec deſunt alba liguſtra,
  Nec quidquid verno tempore pingit humum.
Hic myrtus Veneri, hic Phœbe Peneia laurus,
  Hic fœcunda ſuæ frondet oliva Deæ.
Illic pampineæ texunt longo ordine vites
  Multiplices arcus alme Lyæe tibi.
Quos ubi tam pulchros mirata eſt Iris ab alto,
  Protinus elatum condidit ægra caput.
Invida cur mœres? nimirum hic collis habetur
  Dignus amore hominum, dignus amore Deûm.
Quid loquar Attalicis ſplendentem ornatibus aulam,
  Quæ poſita eſt ſummi verticis in ſpecula?
Ex hac longinquas proſpectat Turrius urbes,
  Oppidaque & læto rura beata ſolo.
Miraturque vagos fluvios, præruptaque ſaxa,
  Et nemorum frondes, antraque Hamadriadum.
At propè vicinas ædes, patrioſque penates,
  Qua fluit arguto Meſulus amne videt.
Hoc viſu didicere nefas avertere gentes,
  Et ſacros ritus, & pia jura ſequi.

Sal-

Salve auctor præclari operis, ſalve inclyte Turri,
Te noſtrum ſemper carmen ad aſtra feret.
Sed quid vaſtum æquor fragili conſcendere puppi
Nitar? & Æoliis tendere vela notis?
O mecum umbroſa divinus Flamma ſub ulmo
Afforet, & laudes diceret ipſe tuas.
Te non tam dulci plectro celebraret Arion,
Nec vatum celebri quilibet ex numero.
Nam cum ſidereos doctus ſit noſcere curſus,
Abditaque in gremio fata videre Deûm,
Concineret, quo celſa petes Capitolia plauſu
Præcinctus caſtam murice cæſariem.
Concineret, qua ſpe ardebit tibi Martia proles
Tergemini imperii ſceptra ſuperba dari.
Attoniti ſtarent Fauni, Dryadeſque puellæ,
Et pictæ volucres, quadrupedumque genus.
Non aquilam turtur fugeret, non agna leonem,
Sævitiam cantu vinceret ipſe ſuo.
Sic olim cithara, & numeris miſerabilis Orpheus
Flexit Perſephonem, flexit & Eumenidas.
Jamque alacrem Eurydicem ſuperas ducebat ad auras,
Pæneque Tartareis finibus exierat:
Cum tamen incautos retro detorſit ocellos.
Et ſubito ah miſeram perdidit Eurydicem.
At poſtquam manes iterum lenire nequivit,
Conſcendit Rhodopen triſtia fata querens.
Hic, dum rore madet tellus, dum Sole tepeſcit,
Deplorat mœſtis vocibus Eurydicen.
Vicinæ Euridicen reſpondent undique valles,
Atque Echo Euridicen vocis alumna refert.
Quin caput avulſum ex humeris, merſumque ſub Hebro
Euridicen anima jam fugiente vocat.
Tu vero Flamma Illuſtris, Flamma edite cœlo,
Cui nitidam frontem nubila nulla tegunt,
Seu nunc virginea redimitus tempora lauro
Permeſſum inviſis, Pieridumque choros,
Seu mage veſtigans animo primordia rerum,
Ut de more ſoles, paſceris ambroſia;

Huc ades, & ſacræ ne deſint gaudia rupis,
Quæ magno h roi præmia danda canas.
Hæc tantum ipſa tuo gaudebit carmine rupes,
Quantum Helicon cantu gaudet Apollineo.

De Bernardino Thomitano.

Juppiter ut vidit Thomitanum Pæonis arte
Extinctis animas reddere corporibus,
Utque illum rapidos perſenſit carmine ventos
Siſtere, & e ſummis ſaxa movere jugis,
Nunc tantum æthereas, inquit, rege, Phæbe, quadrigas,
Et tibi ſit curæ gloria ſola poli.
En geminâ nil te inferior clareſcit in arte,
Terrarumque alter Phæbus in orbe micat.

Ad Vincentium Gilianum.

Vincenti Latiæ, Atticæque linguæ
Æternum decus, ac perenne lumen;
Cui crines Erato virenti oliva
Ad colles Heliconios revinxit,
Quas grates tibi pro tuis camænis
Perſolvam? teneræ monile nunquam
Tam gratum fuit, aut erit puellæ,
Quam mî ſunt numeri, tuique cantus.
Dum ver purpureas roſas fovebit,
Et duras glacies hyems amabit,
Hos ſparſos tenui liquore cedri
Servabo nitidiſſima in cupreſſo.

PAULI AMANII

CREMENSIS.

In Effigiem ASCANII MARIÆ Cardinalis Sfortiæ.

HÆc eſt, quam mire depictam conſpicis arte
Auguſta Aſcanii effigies, magni illius, inquam
Sfortiadæ, cui non vultu fortuna minaci
Unquam animi effregit vires; eſt Gallia teſtis,
Adriacique Maris domini, qua mente ſuperbum,
Quam forti tulit imperium, captivus, & hoſtem
Quam ſe prudenti ſæva a ditione redemit
Conſilio, ac tandem Italiam, vacuaſque reviſit
Summi Pontificis Sedes, & Tibridis oram,
Ipſe ubi erat ſacri decus & pars magna Senatus.
Quod ſi non atris peperiſſent pocula ſuccis
Dirum illi exitium, extremos tetigiſſet honores;
Aſt illum huc Virtus; illuc ſua fata trahebant.

PUBL. FAUSTI ANDRELINI

FOROLIVENSIS.

FINIS.

PRincipium ex alto naſcens ardore probatur:
Juſta ſed in ſolo fine corona datur.

Pecunia.

Unica cunctarum regina pecunia rerum,
Præcipuum magno pro Jove numen habet.

Aurum.

Clara quidem profert Phœbæus lumina fulgor;
Purius aſt aurum, ſplendidiuſque micat.

Diviti omnia.

Quilibet æquoreas ſemper fluit amnis in undas.
Pauperiora culex tecta rotundus adit.

Amor.

Non amor antiquo fuerat, ſed amaror ab ævo
Dicendus, cum ſit ſemper amarus amor.

Amans.

Si ſapis amentem dicas, non lector amantem.
Nam nihil inſanus mentis amator habet.

Scortum.

Nil aliud ſcortum eſt, niſi blanda & ſubdola Siren,
Quæ trahit humanum ſub vada cæca genus.

Fe-

Femina.

Cunſta ſub aſtrigero regnantia crimina cœlo;
Nutrit, in æternos femina nata dolos.

Coitus.

Turpis, & eſt morbi ſpecies horrenda caduci,
Cum jacet exanimis poſt ſua furta venus.

Vinum.

Immodicus lædit, ceu dira cicuta, Lyæus.
Non facit ad longam crapula multa diem.

De Venere, & Baccho.

Semper juncta venit bibulo Cytherea Lyæo:
Res eſt inflammans luxurioſa merum.

Otium.

Corrrumpunt forti celſas cum pectore mentes,
Otia plumoſo deſidioſa toro.

Somnus.

Quam vigil ignavo demis, Solertia, ſomno,
Additur hæc vitæ longior hora tuæ.

Fama.

Alta Cleonæo quærenda eſt fama labore.
Non venit ex molli vivida fama toro.

Avarus.

Semper eget, ſitiens mediis ceu Tantalus undis,
Inter anhelatas pauper, avarus opes.

Invidus.

Invida perpetuis urit præcordia flammis,
Incedens fauſto ſors aliena pede.

Ami-

Amici fortuna.

Agmina, quæ nitido credis fidiſſima cœlo,
Nube ſub obſcurâ terga fugata dabunt.

Modus.

Ne dextra elatum videat, fractumque ſiniſtra;
Adſit fortunæ certus utrique modus.

Adverſa toleranda.

Perfer Ulyſſæo ſortem de more ſiniſtram;
Hæc bene duranti ſub pede victa jacet.

Adverſis ſuccumbens.

Caſibus adverſis fracta qui mente recumbit,
Fortunâ ignorat dexteriore frui.

Hypocrita.

Exteriora gerit qui ſimplicis ora columbæ,
Interiora vafræ pectora vulpis habet.

Superbia.

Turgida ventoſos imitata ſuperbia folles,
Paſcitur aërio corpus inane Noto.

Dentes.

Natura omniparens dentes formavit acutos,
Ne vaga, ſed clauſtris lingua ſit arcta ſuis.

Lingua

Quid melius linguâ, linguâ quid pejus eadem?
Triſtia cum dulci toxica melle gerit.

Fi-

Fides.

Aurea quam ſancto coluerunt ſæcula ritu,
Aut nulla, aut noſtro eſt tempore rara, fides.

Mors haud timenda.

Tenſa quid horreſcis miſſuram ſpicula mortem?
Non mors, ſed paſſi eſt meta ſuprema mali.

Uxor.

Uxor habenda venit, non ut ſaturata libido;
Sed ſit in æternos aucta propago dies.

Victoria mitis.

Bellica quæſito frenanda eſt ira triumpho.
Haud ſævit domito nobilis hoſte manus.

Juſtitia.

Æqua gerit rectam librat quæ pondera lancem,
Juſtitia, immotâ firma, tenaxque manu.

Prudens.

Quiſquis es ô prudens Janum ſectare bifrontem:
Sunt ora atque oculis terga videnda tuis.

Fortis.

Inſtanti veniunt ſubeunda pericula caſu:
Rebus in anguſtis fortia corda patent.

Jus.

Si ſublata forent juris decreta verendi,
Vinceret humanas barbara vita feras.

Philoſophus.

Felix, cui nota eſt naturæ cauſſa latentis,
At ſua qui noſcat pectora rarus adeſt.

Furor poëticus.

Vatibus æternis cœlo deſcendit ab alto
Ad nova divinus facta canenda furor.

Oratores hujus ſæculi.

Creditur orator noſtrum quicumque per ævum,
Si verum excutiat nomen, arator erit,

Lis.

Ille brevi fiet miſero mendicior Iro,
Triſtia qui litis bella forenſis amat.

Poëta.

Litigioſa fugit ſtudioſus jurgia vates:
Non amat inſanum Muſa quieta forum.

Rex ſine aculeo.

Quid metuis? princeps diro caret inclitus æſtro;
Non facit ad magnos ultio ſæva duces.

Mens.

Divina humanos mens eſt infuſa per artus,
Cogitet ut ſpreto regna ſuperna ſolo.

Metiendæ vires.

Ardua ne ſubeas ignotæ pondera molis,
Ni bene ſint tergi robora nota tui.

Felix poſt obitum.

Ne quiſquam extremâ felix niſi morte vocetur,
Inſtruis accenſo, Crœſe ligate, rogo.

Galliæ Senatores.

Juſtitia e ſummo terras Jove miſſa per omnes,
Gallorum elegit tecta verenda Patrum.

Induſtria.

Adverſam ſuperat tolerans induſtria ſortem;
Semper & ex humili ſurgit ad alta loco.

Ad Librum.

Jam Liber, invidiæ ſecurè latrantis abito.
Baubantem timidi eſt pertimuiſſe canem.

De Muſa & Antiſtite Nolano.

Muſa dedit curſum; Antiſtes tulit ipſe ſalutem.
Quid majus? curſu major ubique ſalus.

PETRI ANGELII
BARGÆI.

Epithalamium in nuptias Franciſci Medicis & Joannæ Auſtriacæ.

QUam precibus, votiſque Deûm perſæpe rogarat
Gens Etruſca, dies aderat lætiſſima, quâ ſe
Finibus e patriis Tyrrhenam inferret in urbem
Ingreſſura viri ſedes, thalamumque jugalem
Joanna Auſtriadas inter pulcherrima natas:
Cum Venus, albarum curru devecta volucrum,
Idæi fontis latices, urnamque petebat
Fundentem largos ſinuoſo flumine rores.
Ipſa ſuos quibus & laveret ſpectanda capillos,
Et limphâ niveos felici ſpargeret artus.
Scilicet (hoſpitio nam paulo acceperat ante
Læta Jovem, & mediâ venientem in ſede locarat)
Ibat, ut innumeros nativæ frontis honores,

Nec

Nec non & puræ decus inviolabile formæ,
Et crines, nulliſque genas medicata venenis
Oſtentaret ovans, roſeoque occurreret ore
Viſenti Idalium patri, & juga grata tenenti.
Ergo ea, cum primum puro ſe flumine lavit,
Et circumfuſis corpus demerſit in undis.
Utraque Tyrrhenis defixit lumina terris:
Et læta, accipiens medio de vertice Olympi,
Voceſque, plauſuſque, & feſtæ gaudia lucis;
Aligeros ad ſe cunctos accerſit Amores,
Atque ait: O generoſa phalanx, cui lucidus æther
Ridet, & æterno labentia ſidera motu
Dulce canunt choreaſque una certo ordine ducunt,
Cui mare fluctivagum paret, cui dædala tellus
Fundit odoratos nonnullo ſemine flores.
Si quando dulci mortalia pectora flammâ,
Et cæco rigidas hauſiſtis vulnere mentes;
Nunc certè, ô veſtræ dulciſſima pignora matris,
Tempus adeſt, cum conjectis in corda ſagittis
Heroum, læto quoſcumque alit ubere tellus
Itala, & excultis nutrit Germania campis,
In cœlum laudeſque meas, nomenque feratis.
Tempus adeſt; vos ite leves; ego protinus hinc me
Abripiens epulis adero, menſiſque paratis
Pocula Acidalio ponam ſpumantia ſucco.
Hæc Venus, & contra eſt placido ſic ore locutus
Filius, invictum ſoli cui cura Tonantem
Urere, & in varias rerum convertere formas,
Taurumque, pluviumque aurum, cycnumque canorum:
O mater, totum impendi multo ante laborem
Hunc tibi, perpetuumque decus, laudemque paravi
Egregiam, & magnum ventura in ſæcula nomen:
Dum juvenem clarâ Tuſcorum ab origine Regum
Obſervans, ſequor aſſidue; ſive ille pererrat
Auſoniæ regna alta ſuæ; ſive ille per undas
Æquoris evectus celeri rate fertur ad oras
Heſperias; latis ubi ſe ſe Hiſpania campis
Explicat; & centum præſtanti corpore Nymphas,
Cen-

Centum habet egregiâ natas a ſtirpe puellas,
Et formâ, atque animis ingentibus heroinas:
Divitiis omnes, omnes & ſanguine claras.
Quarum in nulla animum (dictu mirabile) quivi
Flectere; nec duros longâ aſſuetudine ſenſus
Mollire, ac ſævam paulatim frangere mentem;
Et blandum juveni tandem pertundere amorem.
Et fateor, mea magna parens, rediiſſe pudebat
In Tuſcos, fruſtraque meas conſumpſe ſagittas:
Nec juviſſe acri quicquam, quod tincta veneno
Tela manu jacerem, flammiſque ardentibus aptas
Multarum ex oculis in corda rigentia tedas:
Quamquam illum innumeræ, quarum celeberrima forma (eſt;
Et genus illuſtre, expeterent noctesque dieſque
Certatim concorde tori ſibi fœdere jungi,
Ergo ubi conatus fruſtra cecidere nec uſquam
Omnia tentanti mihi vis ita ceſſit, ut illâ
Victor ego e pugnâ victricia ſigna referrem:
Confugi ignotas (quid enim ſupereſſet?) ad artes,
Inſolitoſque dolos, quæque ipſa fatebere mater
Conſilia haud ſæpe eventus habuiſſe ſecundos.
Urbs erat hibernis celebris ſtationibus inter
Oppida jucundo regum delecta receſſu:
Haud procul auratis populos ubi ditat arenis,
Et vitreas ſecum defert Tagus impiger undas,
Vix dum etiam rivis, & primis amnibus auctus.
Hic urbe in mediâ conſurgit ad aſtra columnis
Innumeris fuffulta domus, trabibuſque ſuperbis
Tecta, & marmoreo conſiſtunt limine poſtes
Ærati, atque Indis ſpectanda ſedilia baccis:
Et multo in primis laquearia flava metallo.
Centum intus thalami, centumque tapetibus aureis
Strata pavimenta, & gemmis diſtincta coruſcis
Hinc illinc late ſplendent, ceu lumina Solis,
Aut Lunæ, liquidus nullis cum nubibus aër
Denſatur, ſudumque oculis paret undique cœlum.
Aſt ubi conſuerunt epulæ ſeu mane parari,
Tunc, cum Sole novo terræ luſtrantur apertæ;

Veſpere ſeu ſero cum jam vaga ſidera fulgent,
Et paſſim e cœlo denſæ incubuere tenebræ,
In quadrum ſpatioſa fluit ſublimior aula,
Quam circum Pario ducti de marmore vultus,
Auſtriadum effigies vivas imitantia ſigna
Adſtant, & pueri ſimul, innuptæque puellæ.
Quarum uni, quæ viſa mihi pulcherrima formâ eſt,
Bis ſeptem vix nata annos, occultus ocellos,
Inſedi laqueoſque illic, & vincla paravi.
Et Medicem ſimulacra animum per cuncta ferentem
Mirantem genus egregium, formaſque decoras;
Implicui, magnoque recluſi vulnere pectus.
Arſit amans nondum perſpectâ virgine, & una
Suſpirans, dulcemque trahens e corde querelam.
O felicem (inquit) juvenem, cui nupta marito
Ipſa tui ſimilem certo poſt tempore prolem
Ediderit, animi quæ jam virtute paternis
Certet avis, ataviſque ſuis; nec plura locutus
Conticuit, totuſque hæſit defixus in uno
Obtutu, dum ſe ipſe nequit explere tuendo.
Nam quid agat? neque enim quidquam ſupereſſe videbat,
Expreſsâ cupidos quam paſcere imagine ſenſus,
Et ſpecie ignotæ ſe ſe oblectare puellæ:
Tot montes, valleſque cavæ, tot flumina, tantum
Terrarumque mariſque æquor prohibebat amantem,
Quo minus & veras voces audiret, & idem
Redderet, inque ipſis ſua ſiſteret ipſa puellæ
Lumina luminibus, neque ab oribus ora moveret.
Ergo inſperato mentem jam ſaucius ictu
Ibat, & occulto conſumebatur ab igne:
Inque dies magis atque magis grave vulnus alebat;
Dum facies ſimulata animo, dum nomina gentis,
Factaque, & innumeri ſimul obverſantur honores
Virginis Auſtriacæ: cui nec domus ulla, nec ætas
Progenuit ſimilem virtute, & corpore formam.
Quin etiam patrias illinc revocatus ad oras,
Non modo ſuſceptam non unquam e pectore curam
Deponit; verum multo magis acribus uſque
Ur-

Urgetur ſtimulis; & corde incendia volvit,
Illa quidem clarâ jam ſe prodentia flammâ.
Namque ut forte ſuo narrat loca viſa parenti,
Oppidaque, & gentes una deſcribit Iberas,
Immenſas & opes, atque alta palatia regum,
Natarumque addit vivos e marmore vultus
Auſtriadum, & meritos lætus percenſet honores;
Conſtitit, ac vocem medio in ſermone repreſſit;
Ipſaque purpureus ſparſit pudor ora, genaſque:
Quale rubet cœlum, cæcæ cum mane tenebræ
Diſceſſere omnes, nec dum tamen auricomus Sol
Flammiferum noſtro veniens jubar extulit orbi.
At pater indicia hæc, atque argumenta ſecutus,
Flagrantem magno juvenem perſenſit amore;
Lætaque magnanimo concepit gaudia corde,
Adveniſſe diem, cuperet cum filius ultro
Connubio, & tædâ ſeſe vincire jugali;
Poſt illâ innumeris unde ipſe nepotibus auctus,
Imperiumque, domumque omnem florere videret,
Ergo ait; ô generoſa mei mea dulcis imago
Ne dubita; nam vera loquor; confecimus ipſi
Ante tibi, quæcumque cupis: ſociamque cubilis
Legimus, æternos tecum quæ tranſigat annos.
Hoc gemini, quorum fortis Germania, quorum
Auſonia, atque audax obſervat Iberia nutus,
Annuerunt fratres; & certo pignore certas
Junximus unanimes ipſa hæc in fœdera dextras.
Nunc autem, te ſi quis amor, te ſi videndæ
Cura tuæ (namque ipſa tua eſt pulcherrima virgo)
Conjugis impellit ſtimulis ardentibus actum,
Germanorum aras, & Norica regna petendum eſt:
Vade, age, care puer, teque haud mora longa retardet,
Quo minus alipedum curſu delatus equorum
Saxa ſuper, gelidaſque alpes, & lata feraris
Flumina, quo citius ſperatæ ad virginis ora
Pervenias, fratremque adeas; qui maximus unus
Inter magnanimos nunc imperat Europæos.
Carpe viam: neque tu lentus tua gaudia differ

In longum; ſolet eſſe levis labor omnis amanti.
Hæc ille. At juvenis jamdudum accenſus amore,
Rumpendique moras, ſtudioque impulſus eundi;
Quam primum magni peragit præcepta parentis.
Atque una ingenti procerum comitante caterva,
Quos Tiberis, Latiumque potens, quos Tuſcia, quoſque
Cænomani, quos & Ligures, quos Gallia miſit,
Lætus abit, volucremque fuga prævertitur auram:
Non illum glacialis hyems remoratur euntem;
Non imbres, denſæque nives, non amnibus aucta
Flumina ab innumeris, Atheſiſque, Paduſque profundo
Vortice; non ripas Scythiæ qui diſſecat altas,
Oraque diffuſus per ſeptem erumpit in æquor
Iſter, & Euxino regnat vetus incola Ponto.
O quoties ſternacis equi per devia ſaxa,
Per juga, per clivos, per præcipites convalles
Terga fatigantem, & duris calcaribus armos
Frangentem hinc illinc, rumpentemque ora lupatis,
Viderunt Nymphæ, & felix iter ire precatæ
Arſerunt, tenues flammâ rapiente medullas;
Nec prius inceptos potuit finire labores,
Conjugis ante ſuæ lætus quam conſtitit ora.
Hîc ego multiplices juveni comes unus honores
Afflaram, inque oculis arcumque, ignemque pararam;
Ut, ſi qua ſineret ſeries ignota futuri,
Armatam patriâ pectus virtute puellam,
Inque Deum cultu, atque omni pietate potentem
Captarem, & curâ torrerem ardente medullas.
Ergo illa, ut primum venientem adſpexit, ab imo
Suſpirans, avido tenuem bibit ore favillam;
Et tota in vivas abiit lætiſſima flammas.
Mox ubi convenere una, & data copia fandi eſt,
Sola illum adloquitur: ſoli jam pendet ab ore;
Jam ſe nulla poteſt oculis explere tuendo.
Aſt ego, namque ambos pariter flagrare videbam,
Alterum ab alterius perculſum pectus amore,
Diſceſſi, ô mater, propere, cælumque petivi:
Ut tibi, dum Medices patriis e finibus heros

Joannam in Tuſcos felix expectat euntem,
Narrarem, quantos terraque marique labores
Pertulerim, quantumque meis acceſſerit actis
Inde decus; tum quæ te laus, nomenque ſequatur:
Nec non, ut reliquos mecum longo agmine fratres
Elicerem, cunctique una peteremus Etruſcos;
Et tua permultis ornarem regna trophæis.
Hæc effatus Amor finem dedit ore loquendi.
At pueri, quorum denſum convenerat agmen
Jamdudum, rapuere faces, rapuere ſagittas,
Vinculaque, & laqueos, ſolidoque adamante catenas;
Atque hinc, atque illinc fratri agglomerantur ovantes:
Seque ad Tyrrhenam cuncti demittere pergunt
Urbem animis, opibuſque virûm, imperioque potentem,
Et Divum auſpicio, & tædis regalibus auctam;
Effulſere ignes ſubito, & lux major oborta eſt,
Purior & ſolito circum reſplenduit aër.
Namque illi effusâ complerunt omnia turbâ
Deſuper, atque avidas alta in præcordia vulgi
Lampadas, & dulci jecerunt tincta liquore
Tela Citheriaco: mox & fragrantia late
Lilia, Pæſtanis nuper ſelecta viretis,
Purpureaſque roſas, immortaleſque amaranthos,
Omnia quæ ſecum extulerant, gremiumque, ſinuſque
Repleti, in faciem labentis ab aëre nimbi
Sparſere, & gyros paſſim, cantuſque dedere.
Interea caſti genitrix pulcherrima Amoris
Surgit, & Aonios ſua ſub juga cogit olores,
Et currum læta adſcendit; ſeque æthere ab alto
Demittens, Phœbo & Muſis loca ſacra petivit:
Acceſſu loca difficili, munitaque circum
Rupibus, & cunctis mortalibus invia, præter
Quas Cithera Venus, Muſæque, & Phœbus amarunt.
Hic nemora in cœlum late frondentia ſurgunt,
Atque huc, atque illuc ramis ſpatiantur apertis;
Quæ cariem numquam, numquam perpeſſa ſenectam,
Degunt perpetuos horis labentibus annos.
Hic fructus non ulla ſuos non arbor odoros
 Par-

Parturit, æternos ſylvæ immortalis honores:
Quos neque flammatis torrens fervoribus æſtas,
Nec gelidi Boreæ penetrabile frigus adurit.
Hîc tepidas ſemper Zephyris afflantibus auras,
Palladiæ numquam baccæ, numquam aurea deſunt
Mala, nec effracto turgentia cortice poma
Punica; & apricis pendentes undique vites
Arboribus; quarum partim maturuit uva
Tota coloratos oſtentans Sole racemos;
Partim autem vix dum naſcens defloruit, & ſe
Abdit pampineam frondoſæ matris in umbram;
Nec prodire palam teneras in luminis oras
Audet adhuc: aliis vivos fundentibus amnes
Implentur dulci ſpumantia labra liquore.
Nectare quo nullum gens interitura per ævum
Divorum ad menſas cœleſtia pocula miſcet.
Parte aliâ platanos inter, lauroſque comantes
Lene fluunt alti per prata virentia fontes:
Quos circum, ſupraque volant longo ordine cycni.
Ac ripæ aſſuetæ volucres, & fluminis alveo
Doctiloquum ſuavi modulantur gutture carmen.
Ergo e verticibus cœli delapſa ſereni
Se ſe huc demiſit, currumque invexit apertum.
Inceſſere una ſecum riſuſque, jocique,
Gaudiaque, & dulces rixæ, & ſine fraude ſuſurri:
Et Charitum chorus, & certâ ſub lege lepores.
Tum vero late nubes diſcedere, & aër,
Ipſa ſuam quacumque viam perrexerat, altum
Sternere iter: ſpirare auræ, ac ponere venti.
Jamque adeo ſedeſque pias, & amœna vireta,
Parnaſſi juga ſumma biverticis, antraque cœtu
Nympharum, Satyrumque choris celebrata tenebat.
Arriſere illi ſilvæque, undæque perennes,
Inque ſacros nemorum Nymphæ excepere receſſus.
Tum Venus: O patris ætherei Jovis inclyta proles,
Et divûm decus, & cœli omniparentis alumnæ,
Quæ quondam curaſque graves, duroſque labores
Lenire, & triſtes animos mulcere ſoletis;

Quæ-

Quæque adeo laudes, præclaraque facta canendo
Æternum gratæ memori committitis ævo:
Non (equidem reor) ad veſtras modo pervenit aures
Fama, ut magnanimos Medicum gens inter Etruſcos
Nobilitate potens, opibuſque inſignis avitis
Junxerit invictos certo ſibi fœdere reges
Jamdudum, & natos illorum a ſtirpe crearit.
Hoc Arar, audaces placido qui flumine Celtas
Diſſecat; hoc duræ novit regnator Iberus
Cantabriæ; Latiique potens Tiberinus, & ipſe
Ticinus: qui perſpicua pulcherrimus unda
Labitur, & culti ripas diſterminat agri;
Inſubrumque caput magnam circumfluit urbem:
Hoc etiam Eridanuſque rapax teſtatur, & ingens
Danubius: qui nunc patriis dimiſit ab oris
Egregium Auſtriadas inter decus heroinas
Joannam, auſpicio jungendam, atque omine dextro
Regnanti in Tuſcis juveni, & pro patre tenenti
Imperium, ſceptrique ingens onus uſque levanti.
Conjugium felix, placido cui Juppiter ore
Mecum una innumeram ventura in ſæcula prolem
Annuerit: cujus magnis virtutibus Arnus
Creſcet agens liquidas majori flumine lymphas.
Ergo agite ô cœli Nymphæ decus, ite ſorores,
Ite citæ, mecumque viam contendite ad urbem
Tyrrhenam: neque enim vobis locus eſſe ſolebat
Gratior, & Phœbi gens obſervantior; & quæ,
Ipſa ego ſi recte recolo jam lapſa retrorſum
Sæcula, tantundem veſtros ornarit alumnos.
Sic illa. Aonidum ſed enim pia turba ſororum
Sic contra eſt effata: Tuis Venus aurea juſſis
Obſequimur, cunctæque tibi paremus eunti.
Ac tecum Etruſcos, dulcemqoe reviſimus Arnum,
Carminibus celebrem noſtris, magnumque fluentem:
Ac jam vix Tiberi, vix jam Permeſſidos undis
Cedentem primas, ſeque iis conferre parantem.
Hæc ubi dicta, levem rapuere per aëra greſſum,
Et menſis, quas & niveis mantilibus omnes,

Et dape conſtructas regaliter, undique magni
Cingebant pulchris flectentes ſedibus artus
Heroes, lectæque ex omnibus heroinæ,
Adſtiterunt lætæ: atque inter ſe alterna canentes,
Talia clariſona fuderunt carmina voce:
O decus, ô columen, Tuſcæ ſpeſque altera gentis
Franciſce, Auſtriaci cui nunc junxere ſecundis
Auſpiciis gemini terrarum lumina reges,
Terrarum reges gemini junxere ſororem;
Salve ô magnanimi proles generoſa parentis.
Et tecum innumeros conjux tua tranſigat annos.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus,
Tu quoque magnorum fortunatiſſima regum
Progenies; fratrumque ſoror, quorum alter Iberis
Imperat, atque Italum certas moderatur habenas,
Ammericemque domat toto procul orbe revulſam,
Ignotamque diu mortalibus: Alter ad Arcton
Qua patet, & latos profert Germania fines,
Sceptra gerit, populiſque ad ſe dat jura vocatis,
Imperiumque ingens omnis regit arbiter orbis;
Sis felix, conjuxque tuus tibi deditus uni
Tecum una in longâ degens ætate ſeneſcat.
Volvite conſtantes vaga ſidera volvite curſus.
Illum olim placido proſpexit Juppiter ore
Naſcentem, & Venus eſt riſu dignata ſereno:
Cui dulces thalamos juveni deſponderit, & cui
Regalis Nymphæ mentem inflammarit amore.
Qualem adeo Nympham, quales modo nactus amores
Tyrrhenæ ô robur, flos ô Franciſce juventæ
Gratus amor Nymphæ, Divum gratiſſima cura es,
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Illam olim gremio blandi excepere parentes;
Quam greſſu unanimi Charites comitantur euntem;
Quâ cum ſe dulces confert Hymenæus ad ædes:
Cujus non lites thalamus, non jurgia lectus
Pertulit: at potius venientes major in annos
Crevit amor thalami, crevit concordia lecti,
Qualis habet nunc vos ambos bonus ardor amantes,
Vol-

Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus:
Felix ô tanto virgo conjuncta marito!
O felix tantæ juvenis conjuncte puellæ!
Voſne Ducum, & gnavæ mater Germania pubis,
Vosne potens belli, paciſque Hiſpania legit,
Queis tantum decoris, queis tantum afferret honoris:
Volvite conſtantes vaga ſidera volvite curſus.
Ut jubar Oceani cum lætum ex æquore vultum
Suſtulit, & toto radios diffudit olympo,
Si ſe ſe forte æthereus comes addidit ignis,
Æthereus Jovis ignis, & ore affulſit honeſto,
Incedit rutilans, tenebraſque, & nubila vincit:
Sic juvenis, pulchræ medio cui flore juventæ
It comes, & tedâ virgo ſociata jugali eſt.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Ut cùm diſcuſſis cœlo e fulgente tenebris,
Oſtentat croceos conjux Tithonia crines,
Et faciem claro ſpectandam in lumine præbet,
Optatamque diu lucem mortalibus affert:
Sic virgo, cum læta domum, patrioſque penates
Linquit, & in cari thalamos ingreſſa mariti eſt,
Oſtentat decus ipſa ſuæ inviolabile formæ.
Et jucunda viri pertentant gaudia mentem.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Quale ſuum gelidæ poſt triſtia tempora brumæ
Extulit os aucto jam dudum lumine Apollo;
Quale intempeſtâ Phœbe nitet aurea nocte;
Aut cum purpureum rediit Ver; lilia circum
Alba caput, molleſque roſas cui texere Nymphæ,
Et variis pergunt diſtinguere tempora ſertis:
Tale nitet juvenis primæ poſt acta juventæ
Tempora, poſt ſolas dulci ſine conjuge noctes,
Cum patrias cupidus primum deduxit ad ædes
Florentem formâ, florentem ætate puellam.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
En tibi, quæ cœlo Nymphæ deducimus ortum,
Parnaſſique una colimus juga ſumma ſorores,
Fecundam, & nullo morituram tempore laurum
Poni-

Ponimus irriguas Permeſſi ad fluminis undas;
Ut ripâ in media, paſſim qua læta vireſcunt
Arbuſta, & crebræ ſurgunt ad ſidera plantæ,
Ex ſe ſe innumeros edat bene culta nepotes;
Et late fundens ramos totum occupet amnem.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Salve igitur virgo Auſtriadum pulcherrima, ſalve
Grande tuis juvenis Princeps decus addite Tuſcis.
Vobis progeniem, veteri ceu ſanguine claram,
Sic teſtem laudis, teſtem virtutis avitæ
Det Deus, optati quæ pignus amabile lecti
Creſcat, & amborum ſeræ poſt acta ſenectæ
Producat longæ felicia tempora vitæ.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Ipſa etiam, ſtimulis quæ pectora verſat amantum,
Curarum expertes jubeat procedere noctes:
Mutuus extremos comitetur ut ardor in annos
Semper; & alterius magno flagret alter amore;
Idem animus ſit utrique; eadem ſit utrique voluntas.
Nec veſtrum inter vos quid ſit diſcordia norit
Alteruter: ſed lite torus ſine ſentiat ambos
Degere perpetuam nota inter gaudia vitam.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Ipſe etiam Divûm genitor, quas undique dites
In veſtros effudit avos, effuſior in vos
Pergat opes opibus large cumulare vetuſtas;
Imperiumque ingens, quod jam percellere nulla
Vis queat; immotum ventura in ſæcula firmet:
Et prolem egregiam longum propaget in ævum.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Hæc Muſæ. At varium cepit Venus aurea ceſtum,
Quo ſtabiles olim mentes devincit amantum:
Atque illo juvenemque una, claramque puellam
Junxit: & ex æquo teneras utriuſque medullas
Accendens, blandos animis perfudit amores.

ECLO-

ECLOGA PRIMA:

Damon. *Ad Lælium Torellium.*

Flagrabat magno quondam Damonis amore
Chloris Hamadryadum non ultima; quam pater Ægon
Doctus arundinea modulari carmen avena
Erudiit, multaque inſignem reddidit arte:
Seu cantu certare velit, pedibuſque choreas
Plaudere; ſeu celeri Nymphas prævertere curſu;
Lethalique procul jaculo transfigere captas,
Imbelles capras, ſummis dum rupibus hærent:
Aut ſe ſe ex alto revolutæ in cornua librant.
Flagrabat Chloris, triſteſque miſerrima curas
Lenibat mœſtis animum ſolata querelis:
En mihi contemptique arcus ſpretæque pharetræ
Ante pedes, dum me ipſe fugis, pulcherrime Damon:
Deflentemque tuo numquam dignatus amore,
Et nemorum latebras, & inhoſpita luſtra ferarum
Me ſine ſolus obis; & in acres irruis urſos,
Aggrederiſque apros: ah, te ne vulnera lædant,
Ah, tibi ne validæ frangantur dentibus haſtæ.
Certè ego fida comes, nec tanti ignara pericli,
Hærerem lateri; atque illatos comminus ictus
Acciperem, gremioque tuo exanimata jacerem.
O, mihi contingat prædulci occumbere letho,
Optato letho, quo nec felicius ullum
Eſſe genus poſſit vitæ; tum denique Damon
Et mea magna fides, & amor tibi cognitus imo
Triſtia nonnumquam eliceret ſuſpiria corde.
Forſan & extinctam tecum miſeratus amantem
Extrueres mœſtum ſumma ſub rupe ſepulchrum,
Invida præteriens qua quondam filia Mopſi,
Inſcriptum legeret vicino in cortice carmen:
Haud tota interii Chloris: nam maxima noſtri
Semper erit pars, incolumi Damone, ſuperſtes,
Sed quid ego, heu miſeræ mihi ludicra ſomnia fingo?

Som-

Somnia, quæ tenues venti dilapſa per auras
Diſpergunt; illum fruſtra optavere puellæ
Najades, Auſoniis quamvis e regibus orta:
Non Dryope, non læta Thoe, non candida Protho,
Non & Calirhoe Tyberi genitore ſuperba,
Non Ephyre, atque Opis ſoror, Eridanitides ambæ,
Ambæ auro, & pecudum præſtanti vellere dites.
Sed mihi quid proſunt hæc omnia? perditus ille,
Ille puer, noſtros toto qui pectore ſenſus
Abſtulit, & cæco patefecit vulnere venas,
Inſidet aſſidue cordi; nec talia curat
Sævus Amor, magnos in me dum ſuſcitat ignes.
Quamquam, ô; ſed Nymphas nobis licet heroinas
Prætuleris; etiamne tuo prohibebis amore
Crudelis Damon? etiamne arcere parabis,
Quo minus in ſylvas veſtigia nota ſequamur?
Certe ego, cum libuit noſtras deducere in oras
Auribus ignotos Latiis numeroſque, pedeſque,
Sæpe tuas lyrico percurri pectine laudes.
Tum docui quibus inſidiis, quibus artibus olim
Decipias acreſque feras, pictaſque volucres,
Quoque modo informes mediis in vallibus urſos
Ipſe queas ſolus proſternere tutus, aproſque.
Nec me carminibus Phyllis, nec blandior Aegle
Æquiparat: quamvis tenues inflare cicutas
Docta Aegle quamvis celebris per compita Phyllis
Agreſtem querula moduletur arundine Muſam.
Invidus (& memini) cum me tua facta canentem
Eridani ad ripas ſæpe audiviſſet Amyntas,
Agrorum quondam, & pecudum prædives Amyntas,
Pinguia cui gelidi parebant paſcua Sarni,
Inarimeque ferax, latiiſque Inſubria campis:
O, mea ſi tali celebres decora inclyta cantu
Nympha, inquit, comites inter non ultima noſtras
Ipſa eris, & Beroë cedet tibi, Phylodoceque.
Ipſe tui ſed enim jam tum me ceperat ardor,
Jam tum flamma vorax penetrarat ad uſque medullas,
Intonſis ut ſola meos teſtarer amores
Mon-

Montibus, & teneris incidere falce juvaret
Arboribus laudeſque tuas, tua nomina Damon.
Quin ego cum calathis olim tibi lilia plenis,
Purpureaſque roſas, immortaleſque amaranthos,
Narciſſumque, crocumque, & ſuave rubentem hyacyntha
Horrida dum ſævis Aquilonibus arva rigerent.
Auſa offerre tuum veniſſem credula ad antrum,
Sic perii, ſic ipſa meo de pectore ceſſi,
Hæſerit ut mediis vox faucibus: & mihi quæ jam
Ipſa diu mecum verſans blandiſſima noram,
Immemori exciderint toto de pectore verba.
Sed vos, ô Dryades, blandiſſima turba, ſorores,
Delete ô Dryades, quæcumque notavimus altis
Carmina corticibus, noſtros delete furores.
Forſan & una illum memori de mente fugabo
Hæc ſimul æthereas Chloris jactavit ad auras.
Oblita infelix feræ decedere nocti:
Adcurrere piæ non una è valle Napææ:
Et ſecum mœſtæ duxere in tecta dolentem.

ECLOGA II.

Glyce, *Ad Baccium Valorium.*

Extulerat medio jam ſe nox frigida cœlo;
Lætaque fecundo ſpargebat gramina rore:
Cum ſua formoſæ perculſus amore puellæ
Limina deſervit Lycidas venator, & illa,
Illa, imo quæ corde prius celaverat, altis
Montibus, & cæcis detexit vulnera ſilvis.
Tu vero, tu, cujus amor mihi creſcit in horas,
Valori, & noſtro ſolus jam pectore regnat;
Ceu quondam arentes ſtipulas cum corripit ignis,
Exiguus ſerpit primum, mox clarus ad auras.
Effert ſe victor, lateque incendia miſcet;
Accipe, & hæc Lycidam mecum miſerare dolentem.
Hos, ô, qui luctus referat tibi ſomnus ad aures,
Sæva Glyce, meque ante tuos nunc ſiſtat ocellos,

Hor-

Horrida flebilibus rumpentem ſaxa querelis!
Certe ipſam diræ non te peperere leænæ,
Non tibi præbuerunt immites ubera tigres,
Ubera, quæ ſævos accendant pectore ſenſus.
Quin ego, te quoties venientem lætus ad antrum
Ipſe meum vidi: noſtrine hanc ulla doloris
Cura habet? an ne alios, dixi, ſuſpirat amores;
Ac niſi me miſerum jam tum præcideret ingens
Verba timor: formoſa Glyce miſerere furentis,
Dixiſſem, miſerere; tuum mors ô mea certe
Crimen erit crimen tantum non ulla tacebunt
Sæcula non ullæ terrarum, atque æquoris oræ.
Hos ipſe intonſos quoties indagine colles
Venator, quoties canibus luſtra horrida cinget,
Inſcripta tantum teſtabitur ilice crimen:
Hunc ſilvæ, hunc montes, hunc ſaxa, amneſque loquentur
Interitum: & Lycidam flebunt thoëſque, lupique,
Flebunt & pharetræ, flebunt & retia & arcus.
Sed tu ſcilicet, has lacrimas contemnere ſueta,
Has voces, atque hæc imi ſuſpiria cordis,
Nil ô dura, preces, nil, ô, mea munera curas,
Munera, quæ multæ fruſtra cupiere puellæ.
Quin etiam ingenti faſtu nos deſpicis, omnem
Quod vitam in ſilvis inter ſpelæa ferarum,
Noctis & inſomnes ſub dio ducimus horas.
At non cultorem nemorum Venus aurea Adonim
Sprevit, & amplexus, ſetoſaque brachia fugit:
Nec tamen ille ſuas celebravit arundine laudes:
Quas canerent olim ſummis in montibus ipſæ
Et Dryades Nymphæ, & Satyrorum incondita turba
Me vero in primis dulces aluere Camœnæ,
Cinxeruntque hedera, felici & baccare frontem.
Ac tu, ſi verax non eſt mentitus Amyntas,
Neſcio quem Doryam tamen (hei mihi) credula præfers,
Idæum Doryam; cujus mendacia linguæ,
Turpia tam multas jam decepere puellas.
Eheu, ſæva Glyce, noſtræ te ſibila cannæ
Nulla monent, noſtræ ſolam te carmina Muſæ

Nil

Nil capiunt ingrata? tuas ego marmore laudes
Incidi: & longum victuræ in cortice quercus,
Ipſe meos iterans queſtus, & verba notavi:
Quæ legiſſe queant longo poſt tempore Nymphæ,
Dum venantur apros, dum cervum ad retia tradunt.
Atque eadem ut canerem de ſe, quid non mihi Leuce
Pollicita eſt? Leuce flavos exculta capillos,
Nigra oculos Leuce, niveas Leuce alba papillas.
Quid non Arctobali, quid non formoſa Lycotæ
Filia? pelliti quid non Amaryllis Jolæ?
Divitiis omnes, omnes & ſanguine claræ.
Nec minus Autonoë: qua doctior ulla Camœnas
Non colit, unum ardens me me admiratur, & unum
Suſpirans, verſuſque meos, mea carmina laudat.
Et tibi (quis credat?) nunc invidet æmula, ſeque
Jactat, & ante omnes te deſpicit illa puellas,
Tu tamen (heu) nimium confidis imagine formæ;
Nec fore jam credis, facies ut candida rugas
Contrahat, & flavum mutent tua tempora crinem
Et roſa, purpureo quæ ſe commendat honore
Mane virens, multo langueſcit pallida Sole.
Langueſcunt violæ, langueſcunt lilia, cum ſe
Extulerunt primum, & canas liquere pruinas.
Sic etiam, formâ quæ nunc anteire Napæis
Diceris, amiſſo flebis mox flore juventæ.
Et veniet (mihi crede) dies, cum te quoque ſævus
Uret amor, cum te dolor ulciſcetur amantem.
Sed quid ego hæc ſurdis nunc conqueror irritus auris,
Irritus & ventis tantum mea vulnera pando?
Illam, illam infelix, illam, dum ſola vagatur
Montibus, & ſuaves beneolenti e gramine flores
Sola legit, ſola & gelidi prope fluminis undam
Nunc dulces ſomnos, frigus nunc captat opacum,
Illam (inquam) aggreſſus molli prece flectere nitar.
Heu quid agam? Hircani jam nunc libet orbis ad oras
Ire mihi, atque ultro ſævas invadere tigres,
Quæ diram ingluviem venantum ſanguine paſcunt,
Tum mecum morietur amor, tum denique, quæ me
Pau-

Paulatim abſumunt, incendia ſæva quieſcent.
Ah, Lycida, Lycida quoties, dum pectore curas
Volvis, & ingratos defles maleſanus amores,
Hæc eadem ſueſti tibi fingere ſomnia, quæ mox
Ventorum rapidæ ferrent abolenda procellæ?
Quin potius, ſi vis urget te ſæva, jacentem
Hic abicis, diraſque tuo de ſanguine fauces
Magnorum infelix pergis ſaturare luporum?
Tu lætare, Glyce, noſtrâ ſæviſſima morte,
Lætare, & quoties altâ ſub rupe ſepulchrum
Aſpicies: dic: iſte locus mea gaudia ſervat,
Sævitiæ locus iſte meæ monimenta tuetur.
Jámque vale; atque alium, qui te canat, improba quæras.

ECLOGA III.

Evagee, *ad Philippum Meliorium*.

Abdiderat montes ſe ſe venator in altos,
Atque inter denſas nemorum mœſtiſſimus ornos,
Qua rude frigeti ſtringit latus Alſula rivo,
Innixus ſcopulo lacrimas fundebat Amyntas;
Et pulchram Evageen ſecum plorabat ademptam:
Evageen magnum Lygurum decus; & cui quondam
Æſis, & æterno devinctus amore Metaurus
Paruit, & rapido ſubſedit flumine Tybris.
Ipſe eadem cum mane, eadem cum frigida terris
Nox erat, infelix gelidas iterabat ad auras,
Et nemus, heu, miſeris conqueſtibus omne replebat.
Lugete ô Dryades mecum, ô, lugete Napææ;
Creſcat & e veſtris lacrimis ipſa Alſula, & ipſæ
Ipſæ orni creſcant, quercuſque, & gramina, & uda
Virgulta umbroſâ protendant brachia valle,
Cunctaque teſtentur noſtrum depaſta dolorem;
Dum pratis inſuetus oves avertit amaror,
Dum mutata dolent teneræ dumeta capellæ,
Atque infelicem referunt in lacte ſaporem;
Dum mirantur apes caſiamque, crocumque rubentem
Atque

Atque thymum, atque alio ſaturata ſiſymbria ſucco;
Et preſſas triſtis diſtendunt nectare cellas.
Lugete ô Dryades mecum, ô, lugete Napææ.
Occidit Evagee pulcherrima Neptunine:
Evagee noſtræ ſpes una, & ſola ſenectæ
Occidit: & ruris, quicumque erat, hujus honorem
Abſtulit, evertitque omnis mihi gaudia vitæ,
Scilicet id fuerat? bis ſex quod menſibus actis
Suaſit ab Alphæâ diſcedere protinus urbe,
Ut te lugubri aſpicerem miſeranda feretro
Efferri, atque tui pars maxima funeris eſſem,
Contegeremque atro frigentia membra ſepulchro!
At non hæc olim nobis promiſſa dediſti
Evegee, non hæc duriſſima tempora, non hos
Tum mihi prædixti luctus, cum magnus Aceſtes
Mitteret, æquoreas qua labitur Arnus in undas,
Tuque tuo invitum diſcedere ab ore videres,
Præceptiſque meum munires provida pectus,
Quaſque dabas prudens, ceu ſancta oracula, voces
Obſervarem omnes, & ſingula mente notarem
Conſilia: ex animo quæ numquam oblivia, numquam
Eluet ulla dies, quamvis longiſſima, noſtro.
Non ego tum tantos potui mihi fingere caſus,
Evagee, non tantum umquam ſperare dolorem.
Quamvis certa mihi luctus præſaga futuri
Signa daret Therapon: cum denſos abjete lucos
Cæderet, & piceas alto de vertice pinus
Dejiceret, montiſque ferus juga pulchra comantis
Vaſtaret, noſtris qui plurimus imminet arvis.
Quin potius nil illa timens portendere triſte
Omina, Cœlitibus faciebam vota meaque
Sæpe manu cumulans ingrata altaria donis
Spondebam innumeros poſthac tibi credulus annos,
Atque adeo demens tempus jam jam affore rebar,
Cum tibi, quos olim fecundos abſtulit agros,
Redderet inſonti, Latiis qui præſidet oris
Paſtor, & ingentes rerum moderatur habenas,
Atque volens, faciliſque omnes tibi linqueret arces,

Munitas arces, & pinguia regna Camertum.
Et nunc ipſa jaces, nec jam dignare vocantes,
Tendenteſque manus populos ad ſidera utraſque,
Dum miſeris miſeras implent ululatibus urbes;
Et vocem montes, vocem nemora alta remittunt.
Te variæ Bacchi lynces, te ſæva leonum
Semina & hirſuti lugent in ſaltibus urſi
Aprique, & thoes, nec non fera pectora damæ.
Flent fontes, flent ſtagna tuum, flent flumina triſtem
Interitum, & lacrimas tellus madefacta tepeſcit.
Hinc ſeges incultis ſqualet mœſtiſſima campis,
Squalent fecundum ſitienta pabula rorem;
Amiſſumque decus paſſim violaria mœrent.
Mœrent tota ſuis virgulta exuta corymbis,
Et pecus infelix deſertâ in valle pererrat;
Ubera nec referunt ſerâ jam nocte capellæ
Plena; nec ad caulas redeuntem læta moratur
Ipſa ſuam, atque aliis ſecernit bucula matrem.
Omnia ſunt macies, ſunt omnia luridus horror,
Sunt tenebræ, & triſtis lethi pallentis imago.
Ipſa hæc, quæ quondam mihi frigida rura placebant,
Nunc odi, & dulces obii quos ſæpe receſſus,
Dum medium curru Sol aureus occupat axem,
Omniaque argutis reſonant arbuſta cicadis,
Odi orno, odi & platano, odi æſculo alta
Contecta, & radiis non pervia luſtra coruſcis:
Sordent & vivo confecta ſedilia ſaxo;
Sordet & annoſa quæ ſe ſe ex ilice fundens
Cum ſtrepitu raucum ciet unda e margine murmur.
Quin ego, jam dudum poſui quas ordine fagos
Ipſe tibi, & teneras conſevi, heu, neſcius alnos,
Evertam immeritas imis radicibus omnes,
Et ſilvam aggrediar crudelibus urere flammis.
Ah, miſer, ah, quo te mentis rapit æſtus, Amynta?
Nonne vides gemitus, lacrymaſque ut ſpargis inanes?
Quin igitur potius vivâ te fluminis undâ
Abluis? & precibus manes venerare ſepultos?
Forſan & hæc olim venient ad ſacra; tuique

Va-

Vaneſcent triſtes illo poſt tempore luctus.

Varchius, *ECLOGA IV.*

Ad celebres Arni ripas, & littora Daphne
Nympha erat, Etruſcæ cultrix non ultima vallis:
Quam vetus e ſummo deſpectat Fæſula clivo,
Et mediam inductâ Minio ſecat avius undâ.
Illa quidem non apta colo tenuique Minervæ
Jam tum, cum virgo primis floreret ab annis;
Una ſed Aonias inter celebrare ſorores
Nata choros, totum Phœbo ſacraverat ævum,
Et Phœbo, & blandis dulcis comes addita Nymphis.
Hæc clari ad tumulum Varchii (namque ipſius atro
Condiderant Varchii manes, atque oſſa ſepulchro
Paſtores) Varchii manes deflebat amatos;
Et triſtem Aſſyriis ſpargebat odoribus urnam,
Ipſa ſuo fundens tales e pectore queſtus:
Heu quis tam duro ſupremam in funere vocem
Voce ſuâ, & lacrimas lacrimis ſociabit amicas?
Vos liquidi fontes, vos cultæ flumina vallis,
Vos auræ, ventique leves, qui, dum fera paſſim
Sævit hyems, gelidâ ſpirantes amnis ab undâ
Editis umbroſas inter vaga murmura ſilvas,
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Hoc erat, hoc patula quod ab ilice garrula cornix
Prædixit perſæpe, meum cum Phyllis ad antrum
Docta, nec hirſuti conjux non culta Lycotæ,
Crinibus effuſis in mollia terga, venirent;
Et mihi vernanti legerent de flore corollas.
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum,
Heu quis tum mentem miſeræ furor abſtulit? heu quis
Avertit ſenſus omnes mihi, cum tua, Varchi,
Inſtaret jam ſumma dies? quod numen iniquum
Offudit tenebras oculis? ne mœſta viderem,
Quam tibi Parca vicem, quamque aſtrum immite pararat,
Proh dolor! extremam vitæ irreparabilis horam!
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.

Nec tamen interea, ni mens mihi læva fuiſſet,
Signa dabant obitus Superi non clara futuri:
Cum cœlum aſſiduis operirent nubibus, & cum
Sole dies, aſtris nox intempeſta careret;
Et pluviis auctus flueret Brumalibus Arnus.
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Ah Daphne infelix, quid tum? ſi præſcia luctus
Ipſa tui tantos caſus multo ante videres?
Nam nec rupta ſemel ſævæ ſubtegmina Parcæ
Inſtaurant mentes: nec quem ſtatuere ſupremum,
Prævertit finem moriens, aut protulit ullus.
Oraſſem Divos, cumulaſſem altaria donis.
Conſumpſem totas illic ego perdita luces:
Atque oculos, jam jam media cum morte natantes,
Et Solem, & cœlum, convexaque ſidera linquunt,
Ah miſera, his ſaltem manibus componere poſſem.
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Quis nunc, quis teneros imis in vallibus agnos
Cantet, & excelſa pendentes rupe capellas?
Quis rores, gelidaſque nives, quis frigora, & æſtus,
Fluminaque & fontes, refluentemque æquoris undam,
Et tonitrus, & præcipiti cum grandine nimbos,
Et rerum cauſſas, & primi exordia mundi
Explicet? heroaſque memor deſcribat Etruſcos?
Quis Thyrſim ad fagos? veteres Amaryllida ad ornos?
Ad corylos Daphnem? ad myrtos invitet Jolam?
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Ipſa ſuis te, Varchi, etiam ſpoliata racemis
Vitis, & amiſſa laurus Parnaſſia bacca
Flevit; & excultos hedera cingente capillos
Hinc atque hinc capiti triſtes hæſere corymbi.
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Ipſe etiam frontem manibus percuſſus honeſtam,
Lugubreſque notas, voceſque iteravit Apollo:
Inque cavis Nymphæ carmen ſcripſere comantis
Corticibus pini, atque aëriæ cypariſſi;
Eſſet ut in cineres ſque tuos, & amabile nomen
Æterni luctus, æterni teſtis amoris.

Du-

Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Te Satyri, Paneſque leves te, candide Varchi,
Suſpirant Dryades, atraque in veſte Napææ.
Inque antris, ſpecubuſque, imis in vallibus Echo
Muta ſilet; quæriturque tacens ſecum ipſa, doletque,
Quod nequeat dulces audire, ac reddere voces
Læta tuas; numeroſque alludere dulce canenti.
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Nec tantum extremi delphin prope littoris oram,
Nec tantum in ſilvis ſola philomela ſub umbra
Luget, & ereptos queritur mœſtiſſima natos:
Nec quæ per ſcopulos, & ſaxa per avia ponti
Deplorat miſeræ Halciones Ceyca peremptum;
Quantum Flora tuos obitus, divine poëta.
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Quas olim numeris volucres mulcebat amatis;
Quas olim in ſilvis verſus cantare docebat
Luſcinias; nunc illæ inter fruticeta ſedentes
Certatim ad luctus, lamentaque dura loquaces
Hortantur picas; quæque in frondente palumbes
Conſuerant quercu raucas iterare querelas.
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Quis tibi? quis tantum, Varchi, certaverit umquam
Præterea? quis labra tuæ maleſanus avenæ
Admorit poſthac? cui tantum audere licebit?
Nam, tibi quæ ſuaves edebat eburnea cantus
Fiſtula, Tyrrhenus quoties inflavit Amyntas,
Ante alios Nymphis, & Pani acceptus Amyntas;
Triſte ſonat, numeros omnes exoſa, modoſque.
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Heu heu, tecum una luſus periere, jocique,
Etruſcique ſales, & honos, & gloria linguæ:
Tecum una heu, Varchi, perierunt gaudia vatum:
Sive illos Tiberis, ſive illos educat ingens
Permeſſus, ſive Arnus alit liquentibus undis.
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Quin etiam gremium lugubri affuſa feretro
Alma Venus, nobis heu Varchius, inquit,

Occidit, & jamdudum ullo ſine corpore imago
Eliſios inter manes verſatur, & umbras.
Non illic verſus, non dulcia carmina dictat:
Non Heliconiadum latices a fontibus haurit;
Ultima ſed Lethen oblivia potat ad amnem.
Ducite perpetuum mea carmina, ducite fletum.
Hæc Daphne; at denſæ cœlo cum forte tenebræ
Inſtarent, ſummum ſecuit mœſtiſſima crinem,
Mitteret ut dulci memorabile munus amico:
Supremumque vale, Varchi vale optime, dixit.

Ad COSMUM Medicem, Magnum Ducem Etruriæ.

Quantum picturæ, ſtatuiſque poëmata præſtent,
  O Dux magnorum, maxime Coſme, Ducum,
Inde patet; quod quæ Cous jam pinxit Apelles,
  Quæque adeo excudit marmora, & æra Myron,
Præterquam brevibus quod tum concluſa fuerunt
  Finibus, & populo vix bene nota ſuo;
Cuncta etiam externis cecidere everſa ſub armis,
  Ac nunc perpetua condita nocte latent:
Sed quæ Virgilius, quæ quondam ſcripſit Homerus,
  Quæve alii, Aoniis turba ſacrata choris;
Præterquam totum quod ſe effudere per orbem,
  Fecere & numeris omnia plena ſuis:
Nunc quoque poſt tantum tempus, poſt ſæcula mille,
  Poſtque tot Italiæ bella cruenta, vigent:
Cumque iis Æneas Tros, & Pelhæus Achilles,
  Siſyphiuſque Ithacus docta per ora volant.
Nec minus Auguſti nomen divina celebrat
  Fama, atque inſigni cum pietate colit:
Tu quoque, mirandis cujus virtutibus aſtra
  (Ne meritas laudes deterat ulla dies)
Jam vatem peperere; fave Dux optime vati,
  Cujus carminibus jam redivivus honos
Heroum ſurgat, proprio qui ſanguine quondam
  Solverunt patrios obſidione lares,

In-

Innumeraſque animas letho fudere per agros,
  Quos rigat & Minio Tuſcus, & Arnus aquis.
Ulturus Cimbros tunc cum Radagaſus, avoſque,
  Duxerat è Scythia millia multa virum.
Jamque adeo fœdis Italas affecerat urbes
  Cladibus, atque ipſi mœnia multa ſolo
Æquarat, Divumque everterat aurea templa,
  Inque dies cædes accumulare novas
Ibat: nec pueris, ſenibuſque trementibus ævo,
  Nec nuribus parcens, virginibuſque piis.
Quam tutam faciem rerum, Dux magne, fuiſſe,
  Italiam gemitus quoſve dediſſe putas?
Italiam regum ſedem, heroumque parentem,
  Aſſuetamque orbis totius eſſe caput.
Ille, velut cœlo demiſſum fulmen ab alto,
  Quod cinctum nimbis, turbinibuſque ruit,
Et veteres imis radicibus eruit ornos,
  Involuitque atris ignibus omne nemus;
Qua qua ibat fuſurus opes, vireſque Quiritum,
  Conſuerat ferro late aperire viam.
Omnia lugebant ſubita proſtrata ruina;
  Inque animis hominum nil niſi terror erat.
Ipſaque, quæ ſummis in montibus oppida ſe ſe
  Munierant armis, præſidioque loci,
Adventanti hoſti ſubito recluſa patebant,
  Ne luerent parvæ ſupplicium inde moræ.
Tu ſola haud amplis etiam tum mœnibus aucta;
  Amnis & haud medio diſſociata vado,
Barbariem portis excludere es auſa furentem,
  Primaque Teutonicas ſpernere, Flora, minas.
Illa vias, adituſque omnes inſederat; illa
  Impleræt, quantum vallis utrinque patet.
Nec collis, deſpectat agros unde alta virentes
  Fæſula, non multo milite tectus erat.
Omnia complerant acies juga montium, & omnia
  Ære renidebant, eſſet ubi orta dies
Timpanaque, horribileſque tubæ, ſtrepituſq; frementum
  Excibant fortes ad fera bella duces.

Inter quos geſtans primos Radagaſus honores
  Cimbrorum ex alto ſanguine natus ait:
Ergo ne tot menſes urbem oppugnabimus unam?
  Nec dabitur manibus diripienda meis?
Et cui non auſa eſt lectas opponere vires
  Intranti Italiam Roma ſuperba ſuas,
Se longas feciſſe moras Florentia dicet?
  Imprimet & tantum dedecus iſta Getis?
Ite igitur ſocii, certatim invadite muros,
  Voſque illuc per vim deſiluiſſe juvet.
Vivida non amat ex æquo concurrere virtus,
  Nec tales animos Viſtula, & Iſter alunt.
Sic dicens pariter ſe ſuſcitat acer in armis,
  Cunctamque ad muros cogit adire manum.
Illa volat, circumque omnes cinxere corona,
  Seque alius alium calce terente premunt.
Miſſilia extemplo jaciuntur tela, faceſque;
  Et glans in morem grandinis acta ruit.
Saxa pluunt, lapideſque graves, queis icta fatiſcunt
  Mœnia; queis domuum tecta, trabeſque labant.
Completur jaculis cœlum, levibuſque ſagittis,
  Et multo ſcalas milite turba gravat.
Quarum aliæ ſubſtant ſtabiles, & ſumma capeſſunt
  Fractæ aliæ rurſus dejiciuntur humi.
Dumque adeo coeunt una virtuſque, pudorque;
  Et ſævas properant quiſque ſubire vices:
Hi ſe ut defendant, illi potiantur ut urbe,
  Ingentes foſſas corpora cæſa replent.
Atque ipſi in muris vix jam conſiſtere cives,
  Vix jam præſidio turribus eſſe queunt.
Adcurrunt matreſque ſimul, teneræque puellæ,
  Atque ope pugnantes, qua pote quæque, juvant.
Hæc liquidas feſtina pices, hæc tela, faceſque,
  Hæc multo calidas igne miniſtrat aquas.
Eſt & quæ vino vires revocatque, fovetque,
  Et tempeſtivos ſuggerit uſque cibos.
Ipſe tamen ſemper magis ac magis integer hoſtis
  Ingruit, & jam jam mœnia victor habet.

Tum

Tum vero acceptus cœlo, & gratiſſimus unus
  Æternoque hominum, Cœlicolumque patri,
Zenobius, qui poſt heroibus additus aſtra
  Adcolit, & precibus rite vocatus adeſt;
Suſpiciens ſtellas ſupplex, & ad æthera tendens
  Brachia, ſollicito fudit ab ore preces:
O, qui ſæpe alias, Divum Rex magne, tuliſti
  Afflictis rebus commiſeratus opem,
Si te cura ſubit noſtræ nunc ulla ſalutis,
  Ararum, tua ſi pectora tangit honos;
Adſpice quam magnis hoſtis tuus irruat auſis,
  Quam ferus in populum ſæviat ille pium.
Nec proſunt turres, nec propugnacula nobis,
  Nec pinnæ auxilium, nec tabulata ferunt.
Ipſaque deficiunt animi fortiſſima corda,
  Et noſtro tellus ſanguine tincta madet.
Adſpice ſumme pater: nec, ſi qua admiſimus, uſquam
  Avertant oculos impia facta tuos.
Et ſimul immanes depelle a mœnibus hoſtes;
  Depelle a templis tela, avidaſque faces.
Hæc mecum pueri inſontes, caſtæque puellæ,
  Et timidæ matres, invalidique ſenes;
Hæc eadem, ſacrum quarum caput infula cingit
  Orant, & lacrimis ora ſinuſque rigant.
Annua ſic hæc lux reparatæ feſta ſalutis
  Æternum ante aras luceat alma tibi.
Teſteturque iſto ſurgens de nomine templum,
  Templum ingens, multâ & religione ſacrum,
Te jam captam urbem certæ eripuiſſe ruinæ,
  Civibus & muros reſtituiſſe ſuos.
Hæc ille; Et refici vires in prœlia pubes
  Senſit, & eſt membris additus inde vigor.
Ergo alacris juvenum manus emicat, & petit ultro
  Arma pharetratis obvia ferre Getis;
Spondet & egregia virtute innixa futurum,
  Ipſa ut barbaricum fundat, agatque globum,
Si ſubito hinc, atque hinc portis egreſſa recluſis
  Hoſtis in averſi terga repente ruat.

Id

Id vero, patrum vix concedente ſenatu
  Impetrat, atqui erat iis hæc reliqua una ſalus.
Protinus illa igitur portis erumpit apertis,
  Et multo madidam ſanguine tingit humum.
Territus a muris confeſtim avertitur hoſtis:
  Nec Dux ipſe poteſt jam cohibere fugam.
State viri: mihi capta luet Florentia pœnas;
  Et jam jam labem templa, domuſque dabunt:
Efficite, exemplo reliquis ſit ut urbibus una hæc,
  Et tutum vobis hinc pateſiat iter.
Hic vos, hic, inquam, victricia ſigna Getarum
  In Capitolini ſiſtitis arce Jovis.
Sic ſocios, Radagaſe, tuos hortaris at illos
  Urget anhelantes, vertaque terga ferit
Tuſca phalanx, cujus princeps inſignibus armis
  Agmen agens Medix ibat & altus equo:
Imperii Medix ductum cognomen ab Oſcis,
  Cognomen, quod non deleat ulla dies:
Ibat, & in turmas animis tendebat avitis.
  Inque ore, inque oculis ignis, & ardor erat.
Fulgebant longe in mediâ mala aurea parmâ;
  Quæ quondam Heſperidum mala fuiſſe ferunt;
Tempore quo Mauros inter fortiſſimus omnes
  Imperium Libycus forte regebat Atlas.
Illa ſuâ aſſidue ſervabat in arbore torvus,
  Atque ardens oculis, tergoribuſque draco.
Non noctu, non luce umquam fera lumina ſomno
  Claudere, non alio flectere ſuetus iter:
Sed ramis hærere vigil, cuſtoſque tueri
  Aurum: atque hoſpitibus maximus eſſe metus.
Horrendum, trifidis lambebat ſibila linguis
  Ora; etiam ſi quem viderat ire procul.
At bonus Alcides nec longa volumina caudæ,
  Nec timuit multis terga cruenta notis:
Sed clava aggreſſus vigilantem, ac torva tuentem
  Perculit, haud dubio Marte, deditque neci:
Malaque decerpens Tyrrhenum avexit ad Arnum,
  Fæſula cum a tanto eſt ædificata Duce;

Fæſula, cui nullo moriturum nomen in ævo
  Indidit Atlantis filia pulchra ſenis:
Quam nempe & captam cum jam victoris amore,
  Diſceſſuram a ſe cerneret altus Atlas,
I, felix mea nata (inquit) comes Herculis, & te
  In Tuſcis tanto ſub Duce ſiſte jugis:
Malaque, quæ noſtris conjux tuus abſtulit hortis,
  Seque relaturum forſitan eſſe putat
Argolicum ad regem, ſoli tibi nata relinquet:
  Et dicet magni: hæc pignora amoris habe.
Quæ mox & nati, & natorum a ſtirpe nepotes
  Servent, & gentis ſint decora alta meæ.
Hæc ille; & Tuſcos cum primum venit ad agros,
  Uxori Alcides aurea mala dedit.
Ac mox diſcedens, ferat hæc, mea Fæſula, dixit,
  Quicûmque è noſtro ſanguine natus erit.
Illa igitur ſcuto Medicen impreſſa gerentem
  Ut procul aſpexit dux Radagaſus ait:
Hic, inquam, hic Scythicos qui nunc fulgente maniplos
  Ære fugat, noſtro cæſus ab enſe cadat.
Et, quæ nunc auro fert illita mala micante,
  Jam nunc de domini tincta cruore ferat.
Sic fatus, juvenem aggreditur: petit ille petentem,
  Armaque, & audaces miſcet uterque manus.
Cumque adeo multis confoſſi pectora plagis
  Sanguine ſparſiſſent arma, ſuoſque ſinus:
Concidit in medio certamine barbarus hoſtis.
  Et viridem moriens ore momordit humum.
At Medix exemplum urbi, gentique, domoque
  Ipſe ſuæ, & ſpecimen grande futurus abit.
Quæque auri multo ſplendebant mala colore,
  Rettulit ad cives ſanguinolenta ſuos.
Ac nunc ut facti ſemper monimenta ſuperſint,
  Scutum auro fulget, ſanguine mala rubent.
Quæ quantum noſtro ſplendeſcere carmine poſſint,
  O Dux magnorum maxime Coſme Ducum,
Quantum antiqua queat Medicum domus, inclyta quantũ
  Innumeris virtus ſe ſua tollere avis,

Conatûs ni dura meos fregiſſet egeſtas,
  Jam foret in toto notius orbe nihil.
Et tamen hac in re cunctas impendimus horas,
  Quas licet: & carmen pangimus omne tibi.
Forſan & hoc inter tua tot decora inclyta parvum
  Non erit in longa poſteritate decus.

In obitum Sicinii Pepuli.

Si pia, quæ debent, ſolverunt juſta poëtæ
  Fundentes udis ex oculis lacrimas
Sicinio, Pepulorum alto quem ſanguine cretum
  Ante ſuum rapuit mors violenta diem;
Cur ego, quantum in me eſt, illuſtri carmine funus
  Non celebrem, & mutos ad tumulum cineres
Voce vocem magna, dicamque noviſſima verba,
  I, licet, ô, vale, ô, jam mihi culte, vale?
Culte vale, ô, puer, & juvenis fortiſſime, nec me
  Oderis, extremus quod tua facta cano.
Illa ego ſæpe meis volui contexere chartis,
  Et longam de te conficere Iliadem:
Sed me tentantem deterruit & pudor, & mens
  Conſcia, quæ tantum ſuſcipere auſa oneris
Numquam eſſet certe, ni Claricinius unus
  (Unus amicorum eſt qui mihi præcipue
Obſervandus, & æterna pietate colendus)
  Hoc noſtrum carmen jure ſuo eliceret.
Et vero quiſnam propriis ita viribus audax
  Fideret, aut tantum hoc adgrederetur opus?
Ipſe etenim proavis, ataviſque a regibus ortus,
  Quorum olim juſto paruit imperio,
Quæ ſe ſe latis ſpatioſa Bononia campis
  Explicat, urbs magna nobilitate potens,
Atque uſu bellorum acris, ſtudiiſque Minervæ,
  Et multum fecundi ubere dives agri,
Urbs, in qua illuſtri primorum ſanguine natus,
  Et veterum multis clarus imaginibus,
Fulſit muneribus fortunæ ornatus, itemque
  Floruit innumeris ipſe bonis animi.

Et

Et primum quaſcumque artes docuere priores
  Ingenuas, toto pectore ſic coluit,
Ut ſive is carmen faceret, ſive ore rotundo
  Dictaret certo verba ſoluta pede,
Callimacho, & magno proprius certaret Homero;
  Nec flueret culto jam Cicerone minor.
O quoties illum, teneros dum cantat amores,
  Horrida dum fortes cogit in arma viros,
Dum ſociis alios, alioſque in pectore motus
  Excitat, atque animos arbiter unus habet,
Et juvenes blandi, & faciles arſere puellæ,
  Et valde audaces obſtupuere duces!
Nec minus admirata ſenum turba ore pependit,
  Et dubitavit utrum doctior, an melior
Eſſet, & innumeris animi virtutibus ipſas
  Æquaret dotes corporis egregias;
Et formæ immortale decus, atque oris honores,
  Et, quale in tenero pectore robur aliis
Non habuit. Nam ſeu jaculum libraret ab aure,
  Seu gladium in ſævos ſtringeret auſus apros,
Haud ullæ fugere feræ, ſed morte peremptæ
  Effudere animas pectore quæque ſuas.
Quin, ubi ceſſit equo lentas moderator habenas,
  Seu curſum Zephyris flantibus ante tulit,
Non dorcas, non cervus abit ſecurus, amicas
  Ut ſeſe pernix abderet in latebras:
Sed ſenſit celerem veſtigia pone ſequentem.
  Comprenſuſque, fuga conſtitit in media.
Ac velut Æacides magni Chironis alumnus
  Non ſolum doctus fila movere lyræ
Suaviter, & verſu laudes celebrare puellæ,
  Verum etiam ſævas ſternere cæde feras,
Et celerem in ſylvis jaculo transfigere tigrim,
  Et curſu rapidos æquiparare Notos,
Terruit invictas audax in prœlia gentes,
  Et Xanthi multo ſanguine tinxit aquas,
Trojæque infanda permiſcens omnia cæde
  Extremum virtute attulit exitium:

Sic illum indutum galea, & præſtantibus armis
 (Nec dum etiam teneras inficere ulla genas
Cœperat, & nuſquam lanugo induxerat umbram)
 Cærulea timuit frigidus Albis aqua;
Germanas cum forte arces, atque oppida Cæſar
 Parere ipſe ſuo cogeret imperio:
Heu, quas tunc hyemes, heu, quæ tum frigora paſſus,
 Quam ſæpe obſcœnam pertulit ille famem!
Quam ſæpe ingentes mira virtute labores
 Suſcepit, noctes egit & uſque vigil!
Interdum plantas glacies hiberna ſecabat,
 Plurimus & ſubter pellibus imber erat.
Omnia torpebant gelida concreta pruinâ,
 Pendebatque altis ſtiria ab arboribus:
Ipſe alacer tamen aſſidue ſua munia obibat,
 Hoſtibus & duris maximus horror erat
Dumque neces inter, durique incommoda Martis
 Committit validâ prælia torva manu,
Arctoas urit flammis, atque igne puellas,
 Et teneras magno torquet amore nurus.
Quantum autem, ſeu ſint nuptæ, ſeu tempore in ullo
 Nullius norint tempora conjugii,
Depereant præclarum armis, pulchrumque juventâ;
 Et Scylla infelix, & Sthenobæa docent,
Altera nam certi violato fœdere lecti,
 Quam Venus in cura ſupplice corruerat,
Non juvenis exitium inſonti, labemque perennem
 Intulit? & ſanctum polluit hoſpitium?
Cumque decus, divumque illi peperiſſet honores,
 Et ſciret delapſum æthere præcipitem;
Ipſa ſibi fauces laqueo præcluſit, amoremque,
 Atque omne una odium depulit ex animo,
At virgo infelix, rara virgo inclita forma,
 Quàm ſubitos ignes oſſibus implicuit?
Tempore quo Minos magni Jovis inclita proles
 Ultor atrox urbem ſedit ad Alcathoën,
Androgeonææ pœnam necis inde repoſcens,
 Et longâ miſeros obſidione premens.

Nam-

Namque ea tum cari vaſtantem regna parentis
  Vidit, &, heu flagrans hoſtis amore ſui,
Non hominum morem, non jus, non impia legem
  Naturæ, non & Cœlicolum verita eſt
Numina, quæ ſupera nos e regione tuentur,
  Et merito ſontes ſupplicio afficiunt:
Purpureum quin illa patris de vertice crinem
  Velleret, & totum proderet imperium
Minoi: quem tum faciebat bellica virtus
  Inſignem, atque annis grata juventa ſuis,
Aut nihil, aut paulo cui tum concedere dignum
  Sicinium, Germanæ adpetiere nurus,
Atque aliqua ex illis animum jam ſaucia dixit:
  O certe ex alto ſanguine nate puer,
Quis nunc infeſtum noſtras te duxit ad oras,
  Ut nobis ferres omnibus exitium?
Namque viros bello ingenti, & præſtantibus auſis,
  Et nos aſpectu abſumis, inique, tuo.
Nec tamen optarim ſævo te occumbere letho,
  Vel formoſa novo membra rigere gelu.
Ipſa ego te potius patriâ regione relictâ,
  Quocumque abſcedes, conſequar incolumem:
Et tibi jucundo famulabor ſerva labore,
  Indignam ſi me forſitan eſſe putes,
Quæ tecum patriæ ſublimi in ſede recepta
  Degam, atque aptato ſemper amore fruar.
Hæc illa, at juvenis, ſtimulis quem gloria agebat
  Acribus, haud ullas audiit aure preces,
Sed bello confecto omni ſe ſerus ad ædes
  Ornatum claris rettulit exuviis;
Quaſque adeo prædas ex hoſtibus egerat, omnes
  Partitus, fidos dedidit in ſocios:
Quos ante electos ſecum deduxerat urbe,
  Et ſibi nil prorſus, quam decus egregium,
Et, quam quæſierat, laudem ſervavit, in armis,
  Et famam æterna in ſæcula quæ vigeat:
Excepere viri redeuntem, hilareſque puellæ
  Sparſerunt violis, purpureiſque roſis:

Et tacitæ; O felicem illam, quæ prima cubile
Adſcendet conjux ſola futura tuum !
Ergo illum forma inſignem, & virture decorum
Optabat generum jam ſibi quiſque ſuum.
Atque incredibili jam quæque ardebat amore,
Et facie virgo, & moribus ingenuis,
Cum Mars ad cædes, & ad horrida bella vocavit
Rurſus, & Auſonios civit ad arma viros:
Arma, quibus latos tepefecit ſanguine campos,
Funditus & miſeram perdidit Italiam:
Mars & Muſarum, atque otii teterrimus hoſtis,
Solus & humani dira lues generis:
Mars horum, quæ nunc patimur, cauſſa una malorum,
Atque auctor noſtri maximus excidii
Qui nempe & miſcens incendia plurima bello
Impius Europam territat, atque Aſiam.
Nicia tunc, humiliſque unda frigente Gabellus,
Quæque utrinque ſuo margine preſſa fluit
Scultenna; innumeros ſpectavit ſtragis acervos,
Et multo intepuit aucta cruore virûm,
Sicinii virtus quos, & bona dextera bello,
Obtruncans, campos miſit ad Elyſios.
Prærupto veluti demiſſum e vertice flumen,
Quod moles, quod non ſiſtere ſaxa queunt,
Præcipiti fertur lapſu, victorque per agros
Voluit agens quercus, & ſtabula alta ruit;
Atque ipſa ingenii percellit mœnia fluctu,
Et nullum eſt, quod non turbet iter populi.
Poſt ubi depreſſum veterem ſubſedit in alveum,
Viſuntur turpi ſemiſepulta luto
Jumenta, & fœdæ pendent ſine honore ruinæ,
Et virgulta humili ſtrata jacent capite;
Evulſæque jacent paſſim ab radicibus orni,
Et quæcumque arbos obruta vorticibus
Dejecit ramos, omnemque amiſit honorem,
Poſt neque verno umquam Sole, neque imbre viret.
Cumque acres audendo hoſtes perſæpe fugaret,
Diſceret & jam jam vincere conſilio,

At-

Atque dolos belli varios eludere, & artes,
  Et magno cunctis eſſe metu inciperet;
Ecce Patris magni juſſu concedit in urbem,
  Ut procul Hiſpanos Parthenope ejiciat.
Talia ſed venti diſcerpunt irrita vota,
  Sollicitæque movent Numina nulla preces,
Quæ late imperium vireique tuentur Iberas
  Atque omni Gallos Auſoniâ prohibent.
Nam te florentemque annis, opibuſque potentem,
  Abſtulit ante tuum mors inimica diem;
Abſtulit, heu, primæ primo ſub flore juventæ,
  Et tecum patriæ ſpemque, decuſque tuæ.
Quod bella auſpicium tam dirum, & triſte, ſecutus
  Exitus, evertit prorſus opes Latii.
Ex illo quia res retro cœpere referri,
  Atque adeo in pejus præcipites ruere,
At tibi pro virtute puer, pro fortibus auſis
  (Quandoquidem hæc non ſunt carmina noſtra ſatis)
Devoveant, docti ſcribunt quæcumque poëtæ,
  Nulliuſque tuâ pagina laude vacet.

Ad Philippum Huraltum Chivernium, Franciæ Procancellarium,
In obitum Chriſtophori Thuani.

Si quiſquam eſt, Huralte, tuos qui ſiſtere fletus
  Te velit, & lacrimis ore rigare vetet,
Quod magnum abſtulerit mors importuna Thuanum,
  Et nimium cives læſerit auſa tuos;
Scilicet huic fuerint rigido præcordia ſaxo,
  Pectoraque infeſtis aſperiora rubis.
Ipſe ego, quem Tuſcis naſcentem in collibus olim
  Vidit, & affuſis abluit Æſar aquis,
Jacturam luxi tam lecti herois, humique
  Depoſui Latiæ plectra ſonora lyræ:
Plectra, quibus laudeſque tuas, tua facta canebam
  Gallia, quæ Solymos eripuere jugo;
Inque Paleſtinâ tantum ſtatuere trophæum,
  Quantum nulla patrum commemorare valent

Sæcula cum victus terrarum paruit orbis
  Legibus, atque armis Martia Roma tuis.
Parcite felices animæ felicibus aſtris
  Progeniti heroes, gens adamata Deo:
Parcite, dum veſtro redivivum e ſanguine alumnum,
  Virtutum exemplar nobile flere juvat,
Quo nemo antiquæ propior contendere laudi
  Dictus, & ad verum preſſius ire decus.
Ille quidem veterum non inficiandus avorum
  Sanguis, & ætatis gloria, floſque ſuæ,
Clarorum illuſtri prognatus origine patrum,
  Quorum urbem placidis Sequana lambit aquis,
Axona cui, Ligeriſque, & Matrona, cuique Garumna
  Submiſere uno hoc nomine ſæpe genu:
Gratati tantum decoris tibi, Sequana, tantum
  Cœlicolas uni contribuiſſe boni,
Nec tamen, haud ſuetus cauſsâ hac ſibi ſumere faſtum,
  Se reliquis renuit civibus ire parem.
Sed potius, cum ſe claris genitoribus ortum
  Sciret, & a magnis ducere nomen avis,
Et genere hoc etiam præſtantem laudis, honores
  Ad ſummos facili tendere poſſe via,
Verum illud decus eſſe ratus, quod ſtrenuus armis,
  Vel placidus potuit quiſque parare togâ;
Maluit inniti ſola virtute, bonique
  Quæ fecere patres, credidit eſſe patrum:
Inclita quo feris expoſta nepotibus olim
  Excirent natos ad benefacta ſuos.
Ergo ille ingenuas ut primum adcingier artes,
  Atque Heliconiadas cœpit adire Deas,
Ante omnes Phœbo gratiſſimus, ilicet unus
  Pangebat grandi carmina culta ſono:
Qualia Tyrtæus fertur ceciniſſe, ſuoſque
  In bellum Oebalios exacuiſſe viros:
Cum maribus numeris hoſtem fudere Lacones
  Accenſi, & victis impoſuere jugum.
Certè illum inſuetâ miratus voce canentem
  Sequana cæruleum ſuſtulit amne caput;

Et ſecum; o quantos excit virtutis amores;
  O animos quanta laude perurit! ait.
Ipſe autem excedens pueris puerilia longè
  Abjicit, & certis verba ligata modis:
Et ſtudiis natus jam tum vigilare ſeveris,
  Maxima quæ rerum pondera ferre docent:
Edidicit ſolers, leges, & jura Quiritum,
  Et patriâ ſanctum quicquid in urbe fuit.
At nihil eſt ullis terrarum in finibus actum,
  Cum bello, aut tuta pace tenentur agri,
Quod non ille animo memori mandarit habendum,
  Unde ſuis ferret, cum foret uſus, opem.
Nemo igitur tantis inſtructior artibus umquam
  Tractatum cauſſas fertur adiſſe forum;
Nec patrociniis æque juviſſe clientes,
  Aut pœnæ plures eripuiſſe reos.
Scilicet oranti Cicerone diſertius ipſo,
  Nil, quod non judex crederet æquus, erat.
Illi ingens gravitas, illi probitaſque, pudorque,
  Et vitæ integritas, duxque, comeſque piæ:
Atque ideo cunctis perfunctus honoribus, unus
  Conſeſſu princeps præfuit inde patrum.
Ingentique illum moderatus laude ſenatum
  Quo nil terrarum ſanctius orbis habet,
Rexit bis denos incorruptiſſimus annos;
  Atque indefeſſus nobile munus obit.
Conſilio in dando ſententia libera; & una
  Servandi cives maxima cura ſuos:
Ante oculos conſtans regni ſplendorque, decuſque,
  Et ſumma in Regem cum pietate fides:
Pacis mirus amor: mens rerum inimica novarum
  Semper; & haud uſquam deſidioſa quies.
Ceu poſtquam utilibus ſitientia prata rigavit
  Imbribus, atque agris præbuit amnis aquas;
Labitur, & curſum nuſquam remoratus, & undam,
  Solibus aſſidue fert alimenta novis,
Immenſum Oceani dum ſe provolvit in æquor;
  Quaque poteſt, pelagus commodus auctat ope.

Hic quoque talis erat, confecta negotia poſtquam
  Viderat, atque aliquid temporis eſſe ſuper.
Namque ſuis illud privatim impendere amicis,
  Sive his in ſtudiis ponere ſuetus erat,
Quæ curis animum aſſiduis relevare gravatum,
  Et cives aliqua parte juvare ſolent.
Ergo etiam acceptos Muſis juveneſque, ſeneſque
  Amplecti, & præſto ſemper adeſſe bonis
Omni ope, & omni opera: neque enim differre juvandi
  Tempora, nec duro deſpuere ore preces
Cujuſquam, aut miſeri voces ridere clientis,
  Dum ſedet, aut clauſas ambulat ante fores.
Hunc ego te ſi flere vetem ſi conqueri ademptum,
  Chiverni, in quo uno tot periere bona,
Quis mihi vel ferrum, vel durum adamantia rigentis
  Ipſius in latebris pectoris eſſe neget?
Sim Stipes, ſim truncus iners, ſimque horrida cautes,
  Quam nec vis Boreæ, nec movet unda loco
Ulla ſuo: verum abruptis expoſta procellis
  Nullo æſtu, nullo frangitur illa gelu.
Occidit hujus honos, & gloria maxima ſæcli,
  Occidit & patriæ ſpeſque ſaluſque tuæ;
Atque ego te plenos lacrimarum fundere rivos,
  Et manibus pectus tundere, & ora vetem?
Tu vero heroem, qualem non ulla tulerunt,
  Qualem etiam poſthac ſæcula nulla ferent,
Deflendo, ſuſceptum animo teſtare dolorem,
  Et lacrimis laxa clauſtra revulſa piis.
Hoc ipſe, hoc conjux lectiſſima femina, tanto
  Digna patre & tanto femina digna viro,
Hoc nati, natæque, & pignora cara nepotes,
  Hoc omnis tecum Gallia triſtis agat:
Et tamen ante oculos ejus verſetur imago,
  Et conſtans vitæ, perpetuuſque tenor.
Qualis erat, natum cum grandem, & honoribus auctum
  Ipſe ſuum vidit morte repente rapi,
Invictuſque animo, vultuque immotus eodem
  Pertulit afflictæ triſtia damna domus.

Nec

Nec vero indoluit caſu concuſſus acerbo:
Scilicet humanas has memor eſſe vices;
Ut nunc fortunâ, ſi qua eſt fortuna, feramur
In cœlum, preſſi nunc jaceamus humi:
Ni forte externo mens inconcuſſa tumultu
Perſtet & incœptum pergere tendat iter;
Nec ſe ſe ipſa ſuâ patiatur ſede revelli,
Dum, ſua quæ non ſunt, cogitat eſſe ſua.
Ille quidem quacumque in re ſibi fidere doctus
Imperturbato pectore dura tulit.
Nec, ſua res quamvis fluerent ad vota ſecundæ,
Non ſervaſſe modum dicitur, atque decus.
Ut mirum non ſit, Superis ſi gratior omnes
Tranſierit felix, & ſine labe dies,
Ac ſpatia extremæ confecerit uſque ſenectæ
Viribus, ingenio, corpore, mente vigens.
Deceſſit certe fortunatiſſimus uno hoc;
(Nam quis quæ reſtant enumerare queat?)
Quod ſibi te generum moriens, Huralte, reliquit
Conſilio, & morum commoditate parem.
Quem merito evexit rerum prudentia ad altum,
Doctrina, & virtus quo tua digna, gradum.
Officiis cujus meritas perſolvere grates,
Meque animi memoris dum dare ſigna juvat,
Quæ fidis impreſſa notis non deleat ætas
Ulla, nec extingui Muſa diſerta ſinat.
Hæc ego ſi mœſtâ cecini tibi carmina voce,
Interventu etiam forte moleſta ſuo,
Excuſet factum ſimplexque, & grata voluntas;
Nec non & juſſis obſequioſus amor.

Ad Phrinem.

Inſpexti ſi quando, oculos, pulcherrima Phryne,
Ipſa tuos, mi omnis pectore ſenſus hebet;
Ingentique animus perculſus vulnere Amoris,
Exſilit & circum lumina amata volat.
Ac tibi nunc malis roſeo nunc perditus ore,
Nunc in purpureis inſidet uſque genis,

Quod ſi tum morior (quamquam illa beatior eſt mors
  Vitâ omni, atque ipſis invidioſa Deis)
Diceris miſerum miſere occidiſſe; neque iſtum
  Rumorem de te fama tacebit anus.

De Luſcinia.

Aucupe dum trepidæ ſurgunt clamante volucres,
  Et cæcæ properant accelerare fugam;
Implicitæ laqueis omnes & retibus hærent,
  Occultoſque dolos inſidiaſque dolent.
Sola inter cunctas elapſa effugit, & altas
  Luſcinia in ſilvas libera facta volat.
Ecquis, io vates ſacrum genus eſſe negabit,
  His avibus cum dent retia & ipſa viam?

De Aquila in aëre interempta.

A MARIO URSINO.

Dum pedibus leporem fulvus Jovis ales aduncis
  Fert celer, & liquidum radere pergit iter;
Vulnere lethalis (quis credat?) in aëre baccæ
  Quæ chalybe e medio protinus acta ruit,
Labitur: in præcepſque imum per inane volutus,
  Et vitam, & vitæ gaudia linquit humi.
Labentem vidit Divum Pater æthere ab alto:
  Et ſua mortales fulmina, dixit, habent.

Tumulus Laodamiæ.

Vita fuit, mea nata, brevis tibi; cum tamen eſſet
  Dignior in terris vivere forma diu.
Sic injuſta tibi juſtos quos abſtulit annos,
  Mors addet lacrimis, Laodamia, meis.

Ad

Spes.

Qua patet æquoreas longe hinc proſpectus in undas,
  Cunctaque cæruleis impediuntur aquis:
Mira fides, quondam ſilvæ, monteſque fuerunt,
  Oppidaque & rarum fertilis uber agri.
Quod ſi (namque potes nil non longinqua vetuſtas)
  Nunc ubi ſunt fluctus, paſcua rurſus erunt:
Cur ego non ſperem, Lalage mutetur ut olim,
  Et veniat ſupplex, quæ modo dura fugit?

Ad Iſabellam Coſmi Medicis filiam.

Quam modo multiplici contexam ex arte corollam
  In manibus pono, dia Iſabella, tuis;
Ante mihi intactâ legere e valle Napææ,
  Quo ferrum nemo, nemo agit auſus oves.
Sola apis Hyblæos delibat Hymettia flores,
  Dum ſtrepit, & dulces conſtruit inde favos.
Tu vero decora iſta tuæ cape debita fronti,
  A caſtâ veniunt quæ tibi dona manu.
Mollis odoratas hîc fundit amaracus umbras,
  Illius & circum plurimus extat honos.
Quique thymus varios inter viret, unus odores,
  Excoluit puris hunc pudor unus aquis.

Ad eandem.

Si tibi quæ præſtans animus, quæ gloria gentis,
  Quæque adeo eximiæ formæ honor uſqu tuæ
Poſtulat, ô veterum decus immortale parentum,
  Magnorum ô proles ſuſpicienda ducum,
Pro meritis, Iſabella, tuis Fortuna dediſſet,
  Unica terrarum tu domina orbis eras.
Sed timuit, ne te rerum potiente jaceret,
  Victaque virtuti cederet ipſa locum.

Ad Paullum Manutium.

Exorta eſt tecum culti Ciceronis imago;
Et vivit tecum, & tecum moriatur oportet.
Vive igitur, mi Paulle diu, diu ut illa ſuperſtes
Vivat, & hoc uni præſens tibi debeat ætas.

Ad Petrum Victorium.

Si quem felicem, ac vere ſtatuere beatum
  Quicumque expendunt cum ratione bonum;
Ipſe ille es certe, Victori, nam tua primûm
  Clarat te veteri nobilitate domus.
Deinde valetudo firmum, vegetumque ſenectæ
  Tradit, & a puero continuata venit.
Poſtremo virtus ſe ſe tibi pulchra, ſuaſque,
  Nixa quibus graditur, ſedula pandit opes.
Cetera non referam: quando omnes undique terras
  Plurima doctrinæ ſic monumenta tuæ
Complerunt, ut te quoddam ceu Numen ab aſtris
  Delapſum cuncti mente animoque colant.
Perge igitur, veterumque libros arteſque juvato
  Ingenuas omni quâ potes unus ope:
Perge, inquam, nobiſque aperi quorum aurea magno
  Cum damno in tenebris ſcripta ſepulta jacent.
Ipſaque tot meritis devincta fatebitur ætas,
  Nulla umquam tantum ſæcla tuliſſe virum.
Nam ſi opus Heroum proprium eſt, prodeſſe futuris,
  Atque hominum præſens velle juvare genus:
Extinctis vitam, lucemque adferre tenebris;
  Quis Phœbi, & ſummi jam neget eſſe Jovis.

Ad Chriſtophorum Creſſium.

Ipſe leves cernis, Creſſi, conantur ut alæ
  Incudem ad cœli ſidera ferre gravem.

Conan-

Conantur nimirum illæ feciſſe, quod omnes
  Poſſe ulla fieri vix ratione putant
Quantum etenim levitate ſuâ tolluntur in altum,
  Tantum hæc ingenti pondere vergit humi.
Sic animo ſolet eſſe ſuo cum corpore pugna;
  Dum corpus terras, dum petit aſtra animus.
Verum illud præclarum, in quo victoria laudem
  Victori, & victo, tempus in omne parit.

Ad Philomelam.

Ne cantus, Philomela, tuos, ne projice ad auras.
  Has quercus, hæc tu robora dura fuge.
Nec te decipiat, blandis quod ſæpe Napeis
  Ornarit varium querna corona caput.
Hi tibi dum rami fundunt e cortice viſcum,
  Exitium miſeræ, perniciemque parant.
Sunt virides Bacchi vites, eſt proxima myrtus,
  Intra quas verſus dicere tuta potes.
Auratæ teneris pendent è vitibus uvæ,
  Myrtus odoratas ſpargit opaca comas.
Adde quod & numeros, & dulcia carmina vatum,
  Et Venus, & toto pectore Bacchus amant.

De Jola venatore.

Semicapri Panes, & montivagi Satyriſci,
  Quæque alitis Dryades per nemora alta feras;
Hanc pharetram, hos arcus, pinu ſuſpendit ab altâ,
  Retiaque, & Triviæ cornua rauca ſuæ.
Utque capræ paſſim, leporeſque vagentur, Jolas
  Conſtituit vobis hic jugulare canes.

Amores non amores.

Pulcher Hylas Acmen: Acme pulcherrima Daphnin
Deperit; & Daphnis Chlorida, Chloris Hylan.
Acme ſpernit Hylan; Daphne pulcherrimus Acmen:
Et Daphnin Chloris candida: Chlorin Hylas.
Filius haſce vices Veneris, Venus haſce Dione
Sæva jubet pœnas legibus eſſe ratas.
Idcirco horum alius, quantum ferus odit amantem,
Tam eſt alii triſtis, tamque odioſus amans.
Diſcite vos igitur, qui vos male fertis amari,
Ultorem vobis poſt caput eſſe Deum.

In obitum HENRICI Valeſii
Galliæ Regis.

Henricum triſtis cum jam Bellona videret
Cepiſſe invicta regna ſuperba manu,
Moxque ſibi generum partis emiſſe Philippum
Auſtriacum, & populis otia longa ſuis:
Indoluit celebriſque inter ſpectacula ludi,
Obvia, perfracta caſſide fudit humi;
Atque, in connubii, paciſque hoc fœdere, dixit,
Quæ caderet, nuſquam victima major erat.

Primitiæ.

Et Pani, & Cereri, & Baccho dat ruſticus Ægon
Primitias ruris munera parva ſui.
Lac Pani; Cereri ſpicas, Bacchoque racemos:
Ut vitem, ut ſegetes, ut tueantur oves.
Quod ſi nec grando, mala nec rubigo lueſque,
Nec fures poterunt, nec nocuiſſe lupi:
Debita tum veſtras felix cadet hoſtia ad aras;
Pani hædus, Cereri ſus, tibi Bacche caper.

In obitum JOANNIS Medicis.

Ad Marium Columnam.

Heroum qui facta, Mari, paulo ante parabam
Dicere, & æternis concelebrare modis;
Oppreſſus fœdâ hac cœli, ſubitaque ruinâ,
Ceu ſaxum in gelidis montibus obrigui.
Elatuſque eodem, quo maximus ille feretro,
Maxima pars tanti funeris ipſe fui.
Et modo qui loquor hæc, vereor ſim vivus, an hujus
Jamdudum extincti corporis umbra levis.

Ad Coſmum Medicem Magnum Ducem Etruriæ.

Qui primum bene ſuſceptâ, Dux maxime, & inde
Tam pulchre eductâ prole beatus eras:
Amiſti ſubito geminos, tua lumina natos:
Terra quibus nuſquam ſuſtulit ulla pares.
Oraque cum paſſim lacrimis manantia cernas;
Tu tamen immoto vultu animoque manes.
Idque quod in rebus jam te feciſſe ſecundis
Conſtat; in adverſis vis modo conſtet idem.
O præſtantem animum, dignumque heroibus illis,
Unde tibi illuſtres dinumerantur avi.
Sed quorſum hæc? (eheu) noſtra hæc ſunt vulnera: & iſti
Non tibi, ſed populis interiere tuis.

Ad Albiam puellam. Ἀνθιςρέφον.

Carminibus mihi ſi duram vis flectere mentem
Albia, voce tuâ conſocianda lyra eſt.
Lætitias ego tunc magnas jam ſentio, cum mî
Liquida vox ſenſus, & ſonus exhilarat.

De Phlogilla.

Dianæ, Phœboque novum decus addita, & ingens
Gloria Tyrrheni culta Phlogilla ſoli;
Audiit ut primum magnum rediiſſe Columnam
Incolumem ad ripas, Arne beate, tuas;
Lætitiâ exſiliens, hoc eſt, ait. ilicet, hoc eſt,
Bruma quod hic vernas gignit, alitque roſas.

Ad Cyprianum Saracinellium.

Difficile eſt, Cypriane, illum quem diligis ipſe
Odiiſſe, atque inter non numerare bonos
Ut me, perpetuo quem tu dignatus amore es,
Eſſe putem dignum, quem bonus omnis ames.
Et certe, cunctis qui ſe cupit uſque probari;
Ille uni totum ſe probet ante tibi.

Ad Hieronymam Aragoniam.

Nec cantu tibi Sirenes, Hieronyma certent;
Nec tibi ſe formâ præferat ipſa Venus.
Nam tu dum celeres percurris pollice chordas,
Summaque clariſona ſidera voce feris:
Horrida deponunt rapidi ſua murmura venti,
Et ſiſtunt curſus flumina præcipites.
In quem autem dulces ridens convertis ocellos;
Efficitur gelidus protinus ille lapis.

Ad ſeipſum.

Quis hoc futurum credidiſſet, Angeli?
Amicus ille, plurimum qui ſe tibi
Debere norat, idque faſſus antea,
In amore tete præferebat omnibus:
Tui ſuique factus immemor modo
Oblivioni teque ſeque una dedit.
Quis hoc futurum credidiſſet Angeli?

Ad Ferdinandum Medicem, Cardinalem.

Darius olim Xerxis illius pater,
Quem navigaſſe Theſſalos montes ferunt,
Et ambulaſſe Thraciam Propontidem;
Cum ſorte miræ granditatis Punicum
Malum pateféciſſet, unde plurima
Adparuere grana mirum in ordinem
Digeſta ciccos inter. & membranulas:
Interrogatus, anne tot carbunculos
Habere vellet maſculos? an quidquam
Aliud, quod eſſet carius carbunculis,
Cunctiſque gemmis Indici maris? equidem
(Reſpondit ille) ſi optio hæc detur mihi,
Non regna, non elegerim pecuniæ,
Aurive poſſidere tot prædivitis
Venaſque, theſauroſque, ſed tot Zopyros,
Fidos amicos ſcilicet; ceu diceret
Se malle Coſmus ille, qui tuus eſt pater,
Habere, quam tot regna, tot Torellios.

ANTONII ANGELII

BARGÆI.

AD MARIUM COLUMNAM.

Epiſtola Prima.

SI quis Democrito, qui magnâ floruit olim
Doctrina, & valde ſapiens eſt creditus inter
Mortales, iterum revocato ad luminis auras
Ætherias, aliquem laudare hoc nomine tantum
Contendat, longâ ſerie quod regibus uſque
A proavis, atavìſque ſuæ primordia gentis
Proferat, atque idem fecundi jugera campi
Quod ter mille aret, & multo circumfluat auro;
Solaque commemoret fortunæ dona ſecundæ:
Riſu adeo quatiatur, ut hunc veluti furioſum
Vix tribus Anticyris ſanari poſſe putaris.
Et merito; quoniam non eſt antiquus avorum
Vel titulus, vel nobilitas, quæ magna redundet
In nos; non aurum, non lati gloria regni
Laudanda; aut quicquid fortunæ munere nobis
Accedit: ſed quod noſtra virtute paratum
Et magno ſit geſtum animo; nam ſi quid in ævo
Præterito egregiæ noſtri geſſere parentes,
Hoc adfert, animum ut ſtimulis impellat acutis
Ad magnas res cum magno ſudore gerendas.
Aut certe tali niſi facta ad fortia ſegnem
Excitet exemplo, plane convincat avitis
Indignum titulis, & claræ nomine gentis.
Sed velut a patrum virtute, & laude perenni

Quem-

Quemquam degenerare nefas, vitiumque putandum;
Sic illi quicumque ſuorum æquare parentum
Virtutem adgreſſi, aut etiam ſuperare, merentur
Non minimam laudem: nam quem majore putamus
Supplicio dignum, quoties peccabit, eumdem
Ferre etiam majora laborum præmia verum eſt,
Si recte faciet; quantis tu laudibus ergo
Dignior, obſcuris quam qui majoribus ortus,
Si, quod cœpiſti ſemel, hoc noctesque dieſque
Urgebis vigili curâ, facile hinc patet imæ
Nam ſi claſſis homo factis ingentibus æquet,
Aut etiam anteeat ſummum, non impulit, ajunt,
Hunc diæ virtutis amor, neque gloria, at ingens
Omnibus in rebus telum crudelis egeſtas.
Idem ſi pravorum hominum contagia vitet,
Atque omnes ſcelerum facies; hunc fallere cenſent
Velle alios, aut terreri formidine pœnæ,
Quo minus a recto virtutis tramite deerret.
Sic plerumque audit, quamvis excellere malit
Virtute ante alios, cumulo quam divitis auri.
Auſpiciis contra longe melioribus ille
Vitam agitat, qui præclaro de ſanguine natus,
Pauperiemque minus metuens & vincula legum,
Quadrigis tamen & paſſis fugit otia velis;
Quæ ſint cum turpi vitio conjuncta ſuæque
Suſcipit æternâ gentis pro laude laborem.
Omnia nam ſubito peragrat loca gloria; & orbem
Terrarum numquam morituro nomine complet:
Quod cum corporis atque animi vitare laborem
Poſſet, eum potius voluit perferre, beatam
Dum vitam partâ virtute adquireret. Ergo
Quam laudem mereas, nemo eſt qui neſciat, omni
Vincere cum virtute tuos meditere parentes,
Et Ducis eximii felicia juſſa ſecutus
Coſmi, res gerere egregias, quas docta laboret
Scriptorum manus ætati monſtrare futuræ.
Interea noſtras dum pax colit aurea terras,
Scribere non ceſſas hominum quod mulceat aures
Do-

Doctorum; magniſque tuis cum laudibus hic es
Totus; nec ſtrepitus aulæ, nec murmura curas.
Nam cum alii in ſilvas, aut in juga montis iniqui
Conveniunt, ut denſa premant ad retia damas,
Fidenteſque fugâ cervos, iidemque luporum
Comminus ancipiti transfigant ilia ferro;
Utque acres venentur apros, & ceterâ paſſim
Per dumos, ſaltuſque agitent animalia, dum tu
Quod Coſmo officium debes præſtare, fidemque,
Numquam deſiſtis, numquam comes ire recuſas.
Quocumque ille viam ſecat anni tempore; ſive
Frigore cum duro conſiſtunt flumina, ſeu cum
Arida funeſto moriuntur prata calore.
Attamen ut ventum in ſilvas & luſtra ferarum,
Nonne voluptatem genus hoc contemnis? & ipſum
Te venatorum clamori ſubtrahis? atque
Quos una comites campeſtrem educis in agrum
Perlegis auctores? vel qui tranſacta notarunt
Tempora, & annales ſcripſere ab origine gentis
Humanæ ad noſtra hæc felicia ſæcula: vel qui
Conſilia atque artes belli docuere gerendi?
Nonne etiam interdum miraris amabile docti
Virgilii ingenium? vel cum ſub tegmine fagi
Dulce Syracoſiâ modulatur carmen avenâ?
Aurea vel cum tradit agri præcepta colendi?
Aut idem graviore ſono, poſt mœnia Trojæ
Capta, docet Phrygias Idæo ab littore gentes
Æneâ duce in Italiam veniſſe parentum
Antiquam ſedem? manibus non ſæpe Tibulli
Scripta teris? vel quæ facundus Horatius olim
Edidit? aut quemvis ſcriptorem denique eorum
E numero, quos nulla poteſt abolere vetuſtas?
Hinc varios flores decerpis & aurea dicta
Depaſcens, animi ſecreta in ſede recondis.
Poſt ubi ſub noctem redeunt in tecta, tuæque
Jam licet intra clauſtra domus ſecedere longe
A turba, quod condideras modo promis, & urges
Propoſitum, cœnæque parum, ſomnique benignus?
Sic

Sic eſt; hanc operam das plurimus, inclite perge.
Perge Mari: nec te vulgi deterreat ullus
Sermo; nec ſperes quidquam illuſtrare magis te
Poſſe, hoc quam ſtudium; neque enim tam clara virorum
Facta, in marmoreis quæ ſunt inciſa columnis,
Nec quorum vultus duro Lyſippus in ære
Formavit, nec quæ ſolers depinxit Apelles,
Quam quæ deſcripſere bonorum carmina vatum.
Nec certe moriens Hector quo ſtante Pelaſgi
Non poterant rapidis populari Pergama flammis.
Non urbs Lyrneſſi direpta, aut nobile regnum
Eetionis, & exciſæ tot funditus urbes,
Clarius oſtendunt laudes pugnacis Achillis;
Quam ſuras Clio tragico ſubnixa cothurno:
Hæc ſemel ut tetigit grata dulcedine ſenſus,
Tunc quæ falſa hominum quiſquam vix crederet, illa
Ut vera, in noſtris animis infixa relinquit:
Quod licet hinc tibi non dubiis cognoſcere ſignis.
Nam quamvis olim Graii cum claſſe ſuperbâ
Venerunt Priami populatum regna beati,
Ut perhibent, multos adverſo Marte per annos
Pugnarunt: tandem fracti ferroque, fameque,
In patrios fines pelago rediere remenſo.
Nobile ſed tantum potuit florentis Homeri
Carmen, uti longo belli certamine Grajos
Victores ceſſiſſe putes e littore Trojæ.
Sic nemo eſt, magno qui non fateatur amore
Didonem Æneæ totis arſiſſe medullis:
Cum tamen Hiſtoriæ ſcriptores longe aliter, quam
Virgilius tradant: ſed amabile carmen in imos
Irrepſit ſenſus hominum, penituſque fefellit.
Tu quoque, ſi ſummum perges Helicona, nemuſque
Aonidum ſuperare, ſacrâ tua tempora fronde
Ornabis: tibi jam divino numine mentem
Calliope quatiet, raptus quo dulcia finges
Carmina, quæ ſæclis poterunt audita futuris
Inflammare animos æternæ laudis amore:
Carmina quæ ſilvis olim cantavit in altis

Iſmarius vates, rapidi cum flamina venti
Siſteret, & celeres lapſus frenaret aquarum.
Tum magni poteris magnis e regibus orti
Æquare & laudes, & fortia facta canendo
Coſmi, cui ſummum Superûm regnator honorem
Egregias propter virtutes detulit, atque
Purpureos crines fulgenti nexuit auro,
Largitus ſceptrum, populos cum vellet Etruſcos
Fluctibus e ſævis olim, ſæviſque periclis
Eripere, & miſeros tranquilla in ſede locare.
Ergo quo vitæ ratio tua te vocat, & quo
Te ſtudium trahit, huc fauſto pede dirige greſſum.
Nec quidquid plebs a Muſis aliena loquatur
Contra, tu magni facito; nec ſi quis, ut eſt mos
Nonnullorum hominum, tua carpat lividus, atque
Scribendi genus hoc totum corrodat acutis
Dentibus, idcirco deerres a tramite recto:
Imo iter inceptum peragas ſtudioſius, hac ſpe
Ut te florentem Tyrrheni ab littore ponti
Fama ſuperſtes agat, ſolvi metuentibus alis,
Extremos uſque ad fines habitabilis oræ,
Qua pater Oceanus deformibus obſtrepit Indis.

AD GEORGIUM CORNELIUM
Epiſcopum Tarviſinum.

Epiſtola II.

Hoc omnes ſunt ingenio, niſi fallor, ad unum
Mortales, nullo ut pacto lenta otia toto
Vitæ curriculo poſſint traducere, ſic ut
Nil aliud plane tractent; cognoſcere primis
Hoc licet e puerorum annis, quo tempore lege
Naturæ vivunt; etenim formidine nulla,
Ne quid agant, nullo terreri verbere poſſunt.
Quod deſiderium vitæ labentibus annis,
Quæ vis extingui, ac mutari neſcia, tantas
Radices agit in nobis, ut munere Divum

Noli-

Nolimus ſomnum concedi, quo fuit olim
Oppreſſus bonus Endymion venator in altis
Latmi verticibus; non ſi jucunda voluptas
Debeat in ſomnis noſtros pervadere ſenſus.
Quin potius, ſi contingat, præſtare putemus
Immitem Lacheſim vitalia rumpere fila.
Adde his præterea, qui curas, quique labores
Et fugit, & pejus nigris ſerpentibus horret,
Sæpe tamen ſtudioſo animo fugit otia lenta;
Cum petit alveolum, cum ludos quærit inanes,
Cum longas ſermone benigno conterit horas,
Cetera cum quærit vitæ ſolatia: tantus
In noſtris animis amor eſt innatus agendi.
Idcirco quidam certis rationibus uſi
Nonnulli temere, ac veluti ſua quemque voluptas
Suaſit certatim ſtudia in diverſa feruntur.
Ille igitur prorſus ſe ſe civilibus undis
Immergit, quærens qua nam regat arte modoque
Mœrentes patriæ cives, cum maxima clades
Impendet: vel cum tranquilla in ſede locatos
Arcet ab adverſis rerum fortuna procellis.
Hic autem heroas magnos, & neſcia vinci
Pectora miratus, dulcique accenſus amore
Militiæ, graditur bellum in lacrimabile; dites
Jam menſas, jam deſidiam luxumque peroſus;
Et calidi ſolis patiens & pulveris atri.
Plerique indociles inopem traducere vitam,
Tyrrhenos fluctus & inhoſpita ſaxa peragrant.
Artibus in claris alii, clariſque repertis,
Quæ veteres liquere olim quæſita labore
Magno, conſumunt quodcumque hoc degitur ævi.
Sic alii tractant aliud, ne ſingula dictis
Perſequar, & ſtudia & curas; hac compede mentes
Sunt hominum vinctæ; his nodis cœleſtibus aptæ.
Sed quia diverſis mortalia corpora conſtant
Principiis, diverſa etiam fateamur oportet
Grata eſſe; idcirco, veluti plerumque videmus,
Ex immutatis ſtudiis fit blanda voluptas

 Nam

Nam cum defixis oculis, & pectore prompto
In re aliquâ multas avidi conſumpſimus horas,
Nos tamen interdum capiunt faſtidia, ſic ut
Ne ulterius liceat veſtigia figere: quare
In medio feſſi ſpatio langueſcimus ante,
Quam longe optatam poſſimus tangere metam.
Sic alio contuſam aciem traducimus acris
Ingenii: velut humanæ pars improba cogit
Naturæ; a recto mortales tramite ſæpe
Propterea cedunt, tales cum frangere leges
Se ſe poſſe negent: ex quo conſuevit oriri
Non minima utilitas; nam mens quaſi nacta quietem
Optatam, extemplo rapido ferventior amne
Poſthabitas res invadit, tempuſque reſarcit.
Ergo ii, quos varia Calabris in finibus olim
Doctrina erudiit, prognatus ſanguine Tuſco
Pythagoras, ſimul, ac ſtuduiſſent abdita rerum
Percipere, obtuſam mentem, ſaturumque ſolebant
Tranquillare animum citharâ fidibuſque canoris.
Quin etiam ductor Pharſalæ claſſis Achilles,
Cum longum belli curâ ſemotus ab omni
Ad ſuavem citharæ ſtrepitum, Thebanaque plectra
Magnanimûm heroum laudes & fortia facta
Cantaſſet, tandem Muſis ſatiatus ad arma
Sævior, & rapidis ventis & turbine diro
Conceſſit, celereſque pedes tulit Hectora contra;
Hectora qui Grajos crudeli Marte necabat.
Tu quoque, dum Coſmi ſublimia tecta frequentas
Pontificis ſummi Orator, curaque ſagaci
Exhauris mandata Pii; verumtamen, etſi
Hac cauſsâ totumque diem noctemque labores
Pervigil, interdum longe in diverſa neceſſe eſt
Invitus rapiare; ad munera nempe futura
Ut feſſam mentem recrees, quæ plurima longo
Ordine ſuccedunt, velut unda fugacibus undis.
Certe ego dum vigili ſtudio, quibus omnia primum
E rebus conſtent, & quâ ratione creentur,
Quo rurſum redeant ſpatio confecta vetuſto,

In-

Inquiro, ac diſco validâ ratione, rotundo
Eſſe opus ut totum conſiſtat corpore cœlum,
Certis incluſum ſpatiis, motuque cieri
Perpetuo, & rabidis non poſſe a dentibus ævi
Corrodi; contento animo dum ſcire laboro,
Aurea quo cœli moveantur ſidera motu;
Et quare æternæ tellus damnata quieti
Neiciat e mediâ mundi regione moveri;
Omnes cur pelagus terras, cur ſepiat aër
Undique Neptuni fluctus, ſalſaſque lacunas:
Hoc duce, qui ve uti liquidis Sol aureus undis
Egreſſus clarâ ſpoliavit ſidera luce,
Sic famam extinxit Graium, quos prima tulere
Tempora, dehinc etiam quos poſtera protulit ætas:
Ipſe, inquam, cupidâ peragro dum talia mente
Noctes atque dies tamen iis plerumque relictis,
Quod ſoleant noſtros Muſæ lenire labores,
Mirus Apollineæ frondis ſum cultor, & amnes
Poto Caſtalios, & recto calle beatas
Viſo Muſarum ſedes, pulchroſque receſſus.
At ſimul ingenii reparatæ in pectore vires,
Tum pede felici, quo me vetus illa cupido
Raptat agens, iterum curſus invado relictos.
Sic videor metam propius contingere quam ſi
Ipſam non umquam deſerto calle petiſſem
Quando ergo utilitas oritur tam magna quiete
Ex interpoſitâ, non admirabere, quare
Hæc tibi ſim Latiâ modulatus carmina linguâ:
Exopto monſtrare mei dum teſtibus illis,
Erga te quam ſint arctiſſima vincula amoris:
Ex quo me doctrina tua, & prudentia, & ingens
Integritas multis rebus ſpectata, volentem
Adjunxere tibi, & nodo vinxere tenaci.
Nec tu etiam, lauri ſemper frondentis amator,
Id genus abjectis contemnes otia Muſis.
Nam cur ſectari veterum veſtigia vatum
Quemquam hominem pudeat? cum vertice ſidera tangat,
Cujus Theſpiades caput impediere virenti

Lauro? præterea quorum dixere poëtæ
Sacri virtutes, non illos ſæcula centum
Viderunt vectos in famæ curribus altis?
Certe equidē hauddubito, quin tu quoque, docte Georgi,
Script rum genus hoc credas dignum eſſe, quod omnes
Omnibus officiis, & magnis laudibus ornent.
Ergo utinam me Calliope blandiſſima ſancto
Incitet adflatu; raptus quo carmina fingam;
Tunc etenim (ſacris quoniam conceſſa poëtis
Dicendi vis mira; atque Hyblæ copia melle
Dulcior, argutas cantu quæ decipit aures.
Cum terrore animum replet, aut perfundit inani
Lætitiâ, aut quoties incendit triſtibus iris,
Aut etiam magno riſu quatit, atque ita noſtros
Quo libuit, ſenſus lentis quaſi flectit habenis)
Tunc igitur, ſi quid veri mens prævidet, aures
Sæpe tuas blande adlicerem; tu victus ab hujus
Illecebris & mellita dulcedine cantus,
Jurares vere non ficto pectore, multis
Me tunc officiis ornandum & honoribus eſſe.
Sed quoniam nec tanta manent me præmia, nec ſpes
Scribendi, quod in hoc, & longum vivat in ævum,
Hoc contentus ero, levia hæc ſi carmina noſtri
Eſſe voles in te monumentum, & pignus amoris.

AD ANGELUM NICOLINUM.

Epiſtola III.

Eximium claræ patriæ decus Angele, paucos
Invenies homines, quicumque a littore rubri
Sunt maris ad Gadium fines, Solemque cadentem,
Quorum ſi in populis induſtria magna regendis
Luceat; iidem etiam pectus virtutibus ornent
Ingenuis adeo, ut quoties licet, omnibus a ſe
Amoris longe curis gravioribus, illas
Toto amplectantur ſtudioſi pectore: quo tu
In numero poſitus, cum rerum fluctibus atris

Ja-

Jactare, & varia curarum mole labores,
Et Coſmo & patriæ ſapiens dum conſulis: urbem
Sæpe tamen, tibi quæ negat otia pulchra, relinquis
Feſſus, & umbriferæ ſectaris commoda villæ;
Mirus ubi cultor Phœbeæ frondis & amnes
Epotus ſanctos, modularis carmina avenâ,
Quæ doctas aures gratâ novitate morentur.
Sic tamen, ut videas etiam, quæ carmina fingat,
Quamvis culta parum, ſacri novus incola montis,
Dum tibi ſit magno conjunctus fœdere amoris
Quocirca bene quando audis hoc nomine verſus
Hos ad te miſi; breviter quibus accipe, quare
Tempus ad hoc vixi ſtatuâ taciturnior ipſe,
Qui tibi ſum magno conjunctus fœdere amoris.
Si pollerem acri ingenio, quo Caſſius olim
Parmenſis, nec me dicentem florida rerum
Copia deficeret; ſed tamquam jugis aquæ fons,
Manaret per multa meo de pectore, ſæpe
Te compellaſſem: ſed enim concludere verſu
Si quidquam volo, præſertim quo tempore canas
Bruma nives large Tyrrhenis illinit agris,
Protinus OEagri conjux formoſa canentem
Deſerit, & dulces lauri victricis honores
Invidet, atque ad ſe Sophiæ blandiſſima Siren
Non patitur rapiens alio convertere mentem.
Sed ſimul ac cœpit placidi ſpirare Favonii
Aura levis Floræque ſacri procurrere menſes,
Sub juga diſſimiles animos quæ mittit ahena,
Interdum genus hoc ſtudiorum linquere cogit
Vicinus calor, & tempeſtas aurea verni
Luminis ad colles hortatur adire beatos
Caſtalidum, imprimis virtus tua magna, meuſque
In te dulcis amor, quem nulla injuria, nulli
Temporis anfractus poterunt abolere prius, quam
Cœlicolûm juſſu vitalia lumina linquo,
Ad verſus & ad hæc Muſarum ſacra volentem
Sevocat, inque diem ſtimulis magis urget acutis.
Nam cum me torvo pridem crudelis egeſtas

Terreret vultu, velut impia Tyndaris olim
Cum gnati flammis ultricibus ora petebat;
Quæ mitis natura tua eſt, & candida, prompto
Pectore ſanaſti fortunæ vulnus acerbæ,
Confugi ſimul ac ad te; meque omnibus ipſe
Juviſti officiis, quæ non ingratus ahena
In mentis tabulâ ſcripſi: ne forte putaris
In vas pertuſum latices fudiſſe liquentes
Sed cum re nequeam munus perſolvere dignum,
Certe quod potero teſtabor carmine, quantum
Devinctus tibi ſim: quæ non erit infima merces;
Omnia cum benefacta velint in luce locari.
Nam quamvis interdum homines virtute quieſcant
In ſolâ, tamen e multis vix millibus unum
Aut æque dignum decorari laudibus amplis
Efficiat, quam ſi miſeris feciſſe benigne
Gaudeat, & ſemper velit omnibus eſſe beate.
Quarum cum fueris valde, niſi fallor, avarus,
Hæc animadvertens, tua quæ prudentia ſumma eſt,
Pulchra Tarentini ſequeris præcepta magiſtri,
Atque aliorum hominum, qui nos hac vivere lege
Dicunt, ut noſtri partem ſibi vindicet ortus,
Cum pater & genitrix; tum quæ nos patria tellus
Excepit gremio, cum primum lumina vitæ
Attigimus; partemque alii, quibus eſt opus, unde
Jure homines hominum cauſsâ videantur oriri;
Ut docuit ſapiens Chryſippi porticus; ergo
Illi quam longe a recta ratione ferantur
(Qui nobis ſuadere volunt, ut prorſus ab omni
Sejuncti populi turba callemque ſecuti
Ignotum, ſic vivamus, ne vivere quiſquam
Nos ſciat, aut tacitæ conſumi frigore mortis:
Sic etenim fore uti comitem ſe blanda voluptas
Præbeat, & vitæ peragantur ſuaviter anni)
Mecum colligito; cujus cognoſcere promptum eſt,
Talis quo pacto præcepti inventor, & una
Addictus diſciplinæ grex illius omnis,
Hoc unum ſtuduere, ut dignos laudibus omnes
Non

Non ſolum patriæ cives, ſed & ultimus orbis
Sciret; prave igitur faciunt, poſitoque pudore
Decipiunt: nam verba nihil moror illa; ſed odi
Adverſi quibus & mores & facta repugnant.
  Præterea, quibus hæc inſtillant aurea dicta?
Anne illis rerum quos mira inſcitia fœdat?
Et quos dedecorat vitii turpiſſima labes?
Verum hoc perſimile eſt, ac ſi quem maxima febris
Cum tenet, aut alius morbus, tum dicere pergant;
I petito obſcuram noctem, fuge lumina Solis,
Ut, quo ſis morbo correptus, neſciat artem
Doctus Pæoniam; qui te tibi parcere cogens,
Eximat e nigris Orci, vaſtiſque lacunis.
Tu quoque deformi vitiorum ærugine fœdus
Fac lateas ſapientem hominem, ne forte modum quem
Adponas, aut forte fuges vitia omnia duris
Virtutum nodis, & ahena compede vinctus.
Huncine in obſcuram vitam ratio ulla releget?
  Quod ſi præcipiunt illi, qui ſemper honeſte
Vixit, & inſigni doctrinæ lumine claret;
Plurima qui poſſit mortali commoda vitæ
Adferre, ut cœtu vivat ſecretus ab omni:
Nonne Epaminondæ ſuadent abſiſtere bello?
Ne ſegnes homines ad ferrea concitet arma,
Triſtia cum miſeris impendent funera Thebis?
Neve idem propere Grajorum vindicet urbes
Turpiter oppreſſas? non hoc ſuadetur & illi,
Qui ſibi devictis invenit nomen ab Afris?
Ne patriæ ferat auxilium, quo tempore ſævus
Annibal occiſis hominum tot millibus, urbes
Heſperiæ miſeras ferro flammaque laceſſit?
Atqui ſi in cæcis tenebris latuiſſet ad uſque
Extremum vitæ ſpatium, jam forſitan orbis
Imperium conceſſiſſet gens Romula Pœnis.
Ergone præſtiterit fallentem ducere vitam,
Ne ſi præſidium queat eſſe, & ſtella ſalubris
Huic homini, mutata retrorſum quem tulit aura,
Sublevet, aut doceat fortunæ ferre ſuperbæ

Imperium; ne ſit demum mirabile cuiquam
Virtutum exemplar? quo ductum ignobile vulgus
Sæpius exarſit magno virtutis amore,
Ac magis a vitiis ſanum ſe reddidit, atrox
Exitium quæcumque ferunt, aut nomen inurunt
Famoſi, quam ſi certis rationibus ipſum
Abſterrere velis; nec tu vir candide neſcis,
Quo pacto ignava langueſcant corpora vita,
Langueſcant animi: ac veluti ſi forte cavatis
Delituit foſſis cumulus collectus aquarum,
Fluxerit ut nuſquam, brevibus computruit horis:
Sic hominum qui ſe non nota in ſede locarunt
Diſiuncti procul a vulgo, rerumque moleſtis
Fluctibus; horum, inquam, tum vis in rebus agendis,
Tum dotes animi longa rubigine torpent.
Nonne videmus uti noctis caligine nigra
Accedente, malus mortalia corpora languor
Invadit? fractique animi torpedine quadam
Eſſe videntur? & ipſa etiam, quaſi languidus ignis
Mens oppreſſa parum viget? at cum pulchra diei
Tela renaſcuntur, videas e mollibus omnes
Mortales ſtratis exurgere, & acriter illo,
Quo juſſit vitæ ratio ſuſcepta, reverti.
Tanto igitur præſtat lumen ſqualentibus umbris,
Quantum concedit vitæ mors lugubris; unde
Amplecti lucem par eſt, odiſſe tenebras.
Sic mihi qui nullis traductum teſtibus ævum
Laudarunt, vano in tumulo ſe condere vivos,
Ac prope vitales auras damnare videntur,
Naturamque ipſam; quæ nos in lumina Solis
Edidit, & blandum diſcendi inſevit amorem.
Quapropter? fugiamus uti veſtigia longe
Illorum, qui nos vitæ præcepta beatæ
Edoceant, noſtrumque animum virtutibus ornent
Ingenuis? & præcipue ſi reddere poſſint
Cauſſas, cur hæc ſint tanquam meliora petenda,
Hæc tanquam pejora cita fugienda pedum vi?
Si poſſint animo ſpinas evellere acutas?

Nam

Nam cum nos cogunt ingratum conterere ævum
Triſtitiæ, vani terrores, anxia cura,
Utrum quid ſit opus facto caſtiſſimus heros
Bellerophon doceat? qui tempeſtatibus atris
Mœrorum oppreſſus, loca devia ſolus amabat
Incolere, & tritos calles vitare ſuum cor
Dilacerans, veluti campi teſtantur Alæi?
Nonne hoc ridiculum? aut potius miſerabile? nonne
Eſt melius ſapientis amici limen adire
Poſſe, graves curas penitus qui pellat ab ægro
Pectore, vel minuat, pulchra & memoranda locutus?
Atqui non licet hoc, modo ſi præcepta ſequamur
Iſtorum: quia ſi ignoti vivamus, amici
Nobis defuerint; ſic vero poſſumus omnes
Omnia ſuppeditare viciſſim commoda vitæ,
Ille igitur recte concedet in abdita, vel qui
Toto animo, & tota cœleſtia mente capeſſit;
Vel nullius egens, qui uni ſibi commodus odit
Humanum genus, atque Deo concedere terræ
Imperium, non vult, animoque minatur acerbum
Interitum, ſimul ac de corpore ceſſerit; at te
Illum qui morti demis, cœlique beatum
Sedibus adfigis, ſi pure vixerit; atque
Si contra impure, limoſo tradis Averno,
Non reliquum vitæ ſpatium decurrere eodem
Pacto tædebit; ſed aperta in luce moratus
Conſiliiſque bonis, & qua potes, arte juvabis
Oppreſſos terris Fortunæ cladibus; unde
Dulcia magnanimæ virtutis præmia carpes;
Cum te perpetuo grati, memoreſque tuorum
Mortales in ſe meritorum ad ſidera tollent.
Sin ſecus obliti faciant, ut ſæpius uſu
Evenit, non ipſe tamen vereare nocentes
Ne pœnis pro delicti genere urgeat æquis
Et te reſpiciat domus ætheris, unde bonorum
Aureus æterno tibi defluat ab Jove rivus.

HIERONYMI ANGERIANI
NEAPOLITANI.

Ερωτοπαίγνιον.

Ad JO: JACOBUM Caſtiloneum.

MUnera ſi nequeo tibi mittere magna; libellum
  Hunc parvum, & nugas, ut queo, mitto meas:
At ſi laudanda completur voce libellus
  Hic parvus, dignum & nobile munus erit,
Deficiunt veſtes, argentum, & jaſpis, & aurum;
  Sed non quæ docta carmina ſcripta manu.
Sit quodcumque tamen, quod trado, ſuſcipe, ſæpe
  Vilibus ornatur frondibus ara Deûm.
Suſcipe, cor trado, & mentem cum corde, meumque
  Trado animum: hic animi eſt picta figura mei.
Caſtileonæos inter venerandus honores
  Primus es, & patriæ gloria prima tuæ:
Et majora meres, noſco: ſi cernis amorem
  Ipſe meum; magni pignus amoris habes.

De ſeipſo.

Aonium, ut flerem vates, haurire liquorem
  Optabam, & lauri nectere fronde caput
Acceſſi ad fontes; vidit me Phœbus ab alto
  Culmine; quæ poſcis dona, negantur, ait.
Ejectus flevi: tandem miſerata labores
  Alma Venus; Paphias i, bibe, dixit, aquas.
Acceſſi, & ſitiens abſorpſi mixta venenis
  Pocula, & ignifero merſus in amne fui.

Nunc

Nunc hæc pœna mihi: nam dicere cogor amores,
Non carmen; fati cantor & eſſe mei,

De Cælia, & Amore.

Laſſatus curſu, & quærens requieſcere, pulchræ
Virginis in gremium candidus ibat Amor.
Illa excandeſcit; tamquam Notus imbribus actus,
Tamquam in veſano nigra procella mari.
Excutit hunc totis manibus, proclamat, & obſtat;
Pollueret caſtos ne ſibi flamma ſinus.
Cur ita trudor? ait Deus; admiratur; at illa
Illa, inquit, non ſum Cælia nota tibi?
Ut pede qui preſſit colubrum, poſthorret, abitque,
Sic miſer audito hoc nomine fugit Amor.
Et fugiens dixit: fugienti parce, parentem
Credideram, non te; tu mihi viſa parens.

Ad Cæliam.

Non ego turbati creſcentia nubila cœli,
Non vereor fluctus, atra procella, tuos:
Non mare quum ſævit ventis, non grandinis ictus,
Non dura imperio fulmina miſſa Jovis;
Non peſtes, morboſque graves, non plena cicutis
Pocula, non colubri dira venena trucis:
Non ſubitos terræ motus, non horrida Martis
Prælia; non caſus, ſors malefida, tuos:
Non rapidos ignes, non mortis tela recurva,
Non Styga, non, terno qui vorat ore, canem.
Nil hæc, at ſolum vereor, te Cælia; ſolum
Tu potis & vitam, & tradere fata mihi.

De ſua effigie.

Vera mei effigies hæc vultus, deficit una
Vita hic: quum picta eſt, non ego vivus eram.

De forma & ſapientia dialogus.

Forma quid eſt? decor almus, vivax gratia, gratus
  Per juſta admixtus membra colore favor.
Quæ ſoror huic? ſoror huic felix ſapientia; at illa
  Illa animum, hæc oculos conſpicienda rapit.
Quæ formoſa magis? magis hæc formoſa, magiſque
  Allicit; illato lumine cuncta beat.
Sed cur hanc ſequimur, jacet altera preſſa ſiletque?
  Non mirum placida hæc, & levis illa riget.
Hæc grato, & dulci procedit, & ore nitenti;
  Illa in compoſitis ſtat pudibunda comis.
Hæc quare inflammat? vivos quia viſa per artus
  Influit, & radiis cor bibit ipſa ſuis.
In precio quæ ſtat? fulvo hæc precioſior auro:
  Hanc quis non magnum numen habere videt?
Cur hæc ferventi ceu flos æſtate fatiſcens
  Præfertur? nitet hæc, hæc nitet, illa latet.
Hoc, quod cernit, amat quiſquam, miratur & illud.
  Hinc veniunt, chartis quæ modo texo meis.
Quid tunc Pallas erat, vis & Junonia, malum
  Quum tulit a pulchro judice læta Venus?
Quid, ni forma fuit? per quam tot funera Troes
  Acciperent? per quam Græcia mœſta foret?
Hyperides ſileat; potuit ſua pectora Phryne
  Denudans rigidi flectere jura fori.
Et Gorgo attonitos in marmora vertit amantes,
  Vicit & attonitos Hippodamia duces.
Non mirum ergo, meos ſi Cælia flexit ocellos:
  Digna eſt illa homines, digna movere Deos.

De Cælia.

Sunt geminæ Veneres, Muſæ bis quinque, Dianæ
  Et geminæ, pulchræ quattuor & Charites.
Omnibus in rebus Venus eſt mea Cælia, Muſa
  Docta, Diana nitens, & ſine labe Charis.

De

De Cælia, & Amore.

Cælia ſtatur; Amor ſtatur: ſua lumina pandit
Cælia, purpureus lumina pandit Amor.
Cælia dormit, Amor dormit; ſtat Cælia ſola,
Solus Amor, ridet Cælia, ridet Amor.
Cælia plaudit, Amor plaudit; dat Cælia cantus,
Cantat Amor; plorat Cælia, plorat Amor.
Cælia pelctra manu tractat, ſua plectra decorus
Tractat Amor; vadit Cælia, vadit Amor.
Quodcumque illa facit, facit hic; tamen ordine in uno
Hoc variant; ſæva eſt Cælia, mitis Amor.

Ad roſam.

Pulchra brevi duras, roſa, tempore; forma brevique
Tempore; ſic formæ par, roſa, tempus habes.

Ad Cæliam.

Cernentes Superi, qualis non amplius unquam
Viſa fuit, formam, diva puella, tuam;
Illorum unus ait, cur olim maximus arſit,
Nunc friget, tanto nec calet igne Deus?
Europæ & Danaes, & Ledæ vincit honorem,
Et nihil hac tanto fulget in orbe magis.
Dixit Amor, verum; ſed priſco tempore nulla
Virgo fuit dura; hæc dura, ſuperba, ferox.

Ad Cæliam.

Attollis cœlo ſi lumina, ſidera gaudent:
Si terræ affigis lumina, terra calet.
Fronte Venus fulget, ſi claudis lumina, nudus;
Lumina ſi pandis, cum face ſævit Amor.
Lumina ſi celas, mœret ſine ſidere cœlum,
Terra calore, Venus fronte, Cupido face.

De Cælia.

Stabat Amor, ſtabat mea Cælia uterque favillas
In me vertebant, hic face, & illa oculis.
Victus eram, victus quum fallax ore rubenti
Dixit Amor; jaculis da tua corda meis:
Te te redde mihi, dixi, me reddo puellæ,
Non tibi; tu ſæva cuſpide regna tenes.
Illa meis ornet ſpoliis ſua templa, gravique
Illius ante pedes compede vinctus eam.
Hæc ſimul ut fudi trepidanti pectore verba;
Alligor, atque libens do mea colla jugo.
Quis credet fronti? viſa eſt tunc mitis; at illa
Illa magis fœta tigride ſæva fuit.

Amor marmoreus.

Quid ſpectatis? Amor ſum ſaxeus; armaque fictus
Ficta gero, vivens Cælia; verus Amor.

Ad Cæliam.

Cælia, cui tantum tribuit natura poluſque,
Sit minor ingenio ut femina, virque tuo,
Cælia formoſi forma præſtante deabus,
Moribus & priſcis anteferenda viris.
Cælia Pierias inter veneranda ſorores
Arte tua, & dulci verba ſonante lyra.
Omnia ſub cœlo quæ ſunt, tibi Cælia cedunt
Ingenio, forma, moribus, arte, lyra.

De ſtatua ejusdem.

Dum niveo ducit raram de marmore formam
Sculptor, & eximiæ perficit artis, opus:
Vera hæc effigies, quidam inquit; & illius hic ſtat
Flatilis in venis ſpiritus, ora movet
Hæc ferit, illa ferit; ſurdis hæc auribus, illa
Auribus & ſurdis: hæc riget, illa riget,

Hæc alba, illa alba: hæc magis eſt crudelis, at illa
  Crudelis magis eſt: hæc ſilet, illa ſilet
Hæc glacialis hyems friget, glacialis & illa
  Friget hyems; lapis hæc ſcalptus, & illa lapis,
Sed non æquales ſunt una parte; quod illa
  Illa magis vento mobilis, hœc ſtabilis.

De Cælia, & Amore.

Ibat venatum in ſilvas, telumque gerebat
  Cælia, & alipedi maxima ſtabat equo.
Obvius it volucris puer illi; telaque vibrans
  Certemus, fatur, dum geris arma, ſimul.
Cælia ſed tenerum ridens, ait, arma gerentem
  Stulte petis? non te vici ego inermis? abi.

De Cælia.

Quum Venerem aſpicerem ſine flammis, accipe, dixi,
  De noſtro flammam corpore, at illa mihi:
Sunt verſa in cineres tua pectora: ſi volo flammam
  Dat flammam ex oculis Cælia, & uro deos.

Ad Cæliam.

Quid mihi barbaricæ ſi miſcent prælia turmæ;
  Mœret & ereptis Auſonis ora bonis?
Quid mihi, ſi dira deſcendunt grandine nimbi?
  Uſtulat & cultos Sirius acer agros?
Quid mihi, ſi pereunt homines, armenta, gregeſque,
  Inſidet & ſiccis faucibus atra fames?
Quid mihi ſi regnant reges; laudantur & ipſi?
  Vendit & elatos purpura lata duces?
Quid mihi ſi totus cum terra corruit æther?
  Sorbet & erectas mobilis unda domos?
Hæc mihi cura; roſis, & cingere tempora myrto,
  Et curas multo dilapidare mero.
Hæc mihi cura; comas, & barbam tingere ſucco
  Aſſyrio, & dulces continuare jocos.

Hæc mihi cura; dies albo numerare lapillo,
  Laſſaque compoſito membra fovere toro.
Hæc mihi cura: novem cantu celebrare ſorores,
  Dulciter & curvæ pleƈtra movere lyræ.
Hæc mihi cura; tuas tibi ſemper dicere laudes
  O diva, & vultus ſemper amare tuos.

Ad Cupidinem.

Es Deus, ambobus ſi æquales dirigis arcus:
  Non Deus es, ſolum pars mea vulnus habet.

De Cælia.

Publica quum fierent ſpeƈtacula, tela protervus
  Exercebat Amor, & Venus alma faces.
Diverſæ hic voces, diverſa hic lumina; at una
  Una eſt ut celebri viſa puella choro,
Omnibus una fuit vox; & fuit omnibus unum
  Lumen, cum matre eſt faƈtus inermis Amor.

De libelli querela.

Quæ te dira premit toties, & vexat Erinnys?
  Nonne pudet, quæ ſunt ore tacenda loqui?
Vera putat populus; nam ſtultos eſſe poëtas
  Inquit: ego teſtis ſum modo, ſtulta facis.
Et ſcribis, deles; & deles, ſcribis; & illa,
  Quæ ſervas, non ſunt carmina digna legi.
Neſcis, quicquid agis, neſcis: ſic labitur ævum,
  Sic manet in nullo mens tua firma gradu.
Jure queror; ferior cultro, feriorque lituris,
  Et patior calamo vulnera mille tuo.
Non curas; video, quid ſit dementia: ſed te
  Deleƈtat præceps, & ſine mente furor,
Hæc ſolum doleo, claras ſi mittar in auras,
  Quid dicam, ſi quis tam mala verba leget?
Non meus hic error, clarâ tua voce fatebor
  Crimina; nam venient in caput illa tuum.
Clamabo in triviis vellem nunc poſſe placere;
  O nequeo, inſanus talia ſcripſit amans.

De

De Cælia, api, & Amore.

Laſſa quieſcebat prope murmura fontis amœni
  Cælia ubi vario flore nitebat humus:
Mellificans it apes, & circum roſcida labra
  Dum volat, in terram ſæpe repulſa cadit.
Jam moritur; ſed ait moriens: flos qualis in arvis
  Naſcitur, ex flore hoc quam mihi dulce mori.
Hæc ut dixit, Amor tumulum de ceſpide fecit:
  Atque illi tumulo hæc carmina pauca dedit:
Ambiguum eſt, an apes ſit dulci mortua labro,
  An dulci flatu; mortua utroque fuit.

Ad Cæliam.

In crine accendens Amor eſt intextus; amœnis
  Enitet in labris, fronteque dulcis Amor.
In pulchris ſtat Amor manibus, ſtat pectore in albo:
  Quum cantas, doctis cantibus exit Amor
Agglomeratur Amor pedibus quum vadis; ubique
  Ut ſervus dominam, te comitatur Amor.
Non unum ergo tenes, ſed mille in corpore amores
  Quicquid habes, Amor eſt ô dea; quicquid agis.

De Cælia.

Fulgida quum legeret Cumano in littore conchas
  Cælia; fallor, an hæc Cypria? dixit Amor.
Non fallor; ſic pulchra nitet mea mater, & alba
  Sic flavas ornat ſpuma, politque comas.
Sic ridet, quæritque jocos; ſic pictus eburno
  Ceſtus adeſt collo; ſic movet arte manus.
Fallor iners; hæc pulchra magis non fallor, euntes
  Tres video ancillas; autumo, ſunt Charites.
Aſſiſtit ſcopulis, & peto lumine, peto
  Lumine commotas en maris æquat aquas
Heu fallor, non illa cremat ſic ore; rigentes
  Diva ſed hæc cautes, & cremat ore fretum.

Ne peream, avertis tua lumina: falleris, illis
Vivo magis perimunt lumina? ſic peream.

De Venere & Cupidine.

In fulva dum pulchra Venus ſpaciatur arena,
Et pelagi ſpectat maxima regna ſui
Venit Amor, ſumpſitque facem; fax miſſa per auras
Uſſit Acidaliæ mollia corda deæ.
Novit ut illa ſui rutilantia ſpicula nati,
Vociferat, quid me, nate proterve, cremas?
Palluit audito matris clamore Cupido;
Palluit, utque ſilex obriguere comæ
Flens tandem dixit, non eſt tibi Cælia diſpar;
Hanc volui, non te, parce, ferire deam.

De ſeipſo, & corde dialogus

Quid, cor iners, agis hic? ploro; cur deſeris illam
Sic plorans? nequeo frigora tanta pati.
Unde hoc frigus habes? nix illo in pectore, durum
Atque gelu: membris reſtituare meis.
Tu pejor domina, nolo, fervoribus ardes,
Urerer: in membris ſtat gravis Ætna tuis.
Verum; ſed ſi corde vaco dilabar in umbras
Mortis, & in tenebris me teget atra dies.
Jampridem ipſe peris; quum te mea liquit inanem
Gratia, tunc mota ex corpore vita fuit,
Nunc niſi parvus ades pulvis niſi ſomnus, & umbra:
Et quamvis vadas tu pede luce cares.
Jungare ô calidis his fibris forſitan auram
Vitalem accipiam; me quoque Parca premit,
Non poſſum: ſed erit, qui nos curabit, & urnam
Tradet, & hæc cernet verba viator ibi.
Quos nequiit vivos ſimul addere vita, ſepulchrum
Addit, obit nive cor; ſed face cordis herus.

De Cælia.

In me quum rueret facibus præcinctus, & arcu
Fortis Amor; dixi, ſum ſine corde, vale.
Non poſſum extingui; tota eſt mea vita ſub illa:
Illa ferox animum ſuſtulit, illa tenet.
Convolat iratus, ſed pulchra ut lumina vidit:
Hoc tibi habe ſceptrum, Cælia, vincor ait.

De ſpe.

Ludificat vitam ſpes longa, nec exhibet ulli
Quicquam homini: ut ſperes mors inopina vetat.

Ad Cæliam.

Vivebam, nunc diſpereo; qui ſpiritus artus
Rexerat hos, ſedes incolit ille alias.
Si vis in terris ut vivam, redde mihi illum;
Et ſi non illum, redde tuam, oro, animam:
Sic mihi me reddes, ſic te tibi, Cælia, reddes:
Ambo ſic parili juncti in amore erimus.
At ſi dura manes, nec gaudes; perdis utrumque
Me, quia amo nimium; te, quia amas nihilum,
Et quanto eſt odiis amor excellentior, ipſa
Tanto interfecto crimen amante facis.

De Venere, & Cupidine.

Omne olim cœlum, ut fertur, cœlum omne ruebat,
Inter ſe Superi dum fera bella gerunt.
Fortis erat Bromius thyrſo, Mars enſe, tridente
Neptunus, fortis fulmine dextra Jovis.
At quum viſus Amor fuit in fulgentibus armis,
Nec non accenſa lampade pulchra Venus:
Privatur thyrſo Bromius, Mars enſe, tridente
Neptunus, fortis fulmine dextra Jovis.

Ad imaginem ſuam.

Quis mihi te ſimilem ſic fecit, dulcis imago?
Quam vere vultus exprimis ipſa meos.
Tu palles, me pallor habet: tu lumine cæco,
Cæcus ego: nulla (heu) mens tibi, nulla mihi.
Vita tuos artus, & noſtros vita reliquit.
Muta taces, muta eſt hæc mea lingua, tacet.
Tu ſine corde manes, maneo ſine corde: moraris
Hic ſola, hic ſolus nocte dieque moror,
Membra geris tenui, & fragili contexta papyro,
In tenui & fragili cortice figor inops.
Nil niſi vana mei; tu corporis umbra, vel aura:
Corporibus par eſt umbra, vel aura meis.
Non multo duras tu tempore, tempore multo
Non duro; fies tu cinis, ipſe cinis.
Ambo pares; at læta magis tu degis: Amorem
Non ſentis; miſerum me facit aſper Amor.

Ad Cœliam.

Numen habet Pallas virtute; & robore Juno;
Diana & caſto corde; decore Venus.
Cur virtute nitens, & robore, cordeque caſto,
Atque decore, cares numine? ſæva manes.

Ad Cœliam.

Sævis, noſco, noces: at quantum ſæva, nocenſque
Me pellis, tantum pulchra, & honeſta trahis.

De Cœliæ duritie.

Sunt duri ſcopuli, ſunt dura & marmora, durum
Et ferrum, in ſummis robora dura jugis.
Sunt duræ rupes, ſunt antra, & cornua dura.
Atque adamas durus, durum hyemale gelu.
Durior at ſcopulis mea Cælia, marmore, ferro.
Robore, rupe, antro, cornu, adamante, gelu.

De ſeipſo, & Cupidine dialogus.

Quid nunc, blande puer, ceſſas, & frigore torpes
Suſcipe de pharetris aurea dona tuis
Quid blandus vocitor, ſi frigens torpeo? & aurum
Quid petis a miſero? corpora nuda vides.
Dum ſedet in molli prato, & deſiderat auram,
Sæpe movens flabrum Cælia, mitte faces.
Non utor facibus, periit mea gloria; quondam
Dives eram, ſed nunc aſpice, pauper amo.
Quæ te res inopem? quæ te res fecit inermem?
Quæ tenet in nivea flabra decora manu.
Quid video infelix, quid ſentio? turbor, & angor,
Et miror, tantum cur patrat una ſcelus?
Ne mirere: oculis, oculis valet una decoris?
Alliget ut cuivis fortia colla Deo.
Expertus loquor hoc hærent converſa medullis
Arma meis, illi quum jacit arma manus.
Quare age, non nudo flammas, aut quære ſagittas:
Illa illa imperium, & numen Amoris habet.

De Cæliæ furto.

Quum dormiret Amor, rapuit clam pulchra pharetram
Cælia; ſurrepta flevit Amor pharetra.
Noli, Cypris ait, ſic flere Cupido; pharetram
Pulchra tibi rapuit Cælia? reſtituet:
Non opus eſt illi calamis, non ignibus; urit
Voce, manu, greſſu, pectore, fronte, oculis.

Ad Cæliam.

Nunc reliquam degis vitam: quæ vita receſſit
Deſinit eſſe: hodie quæ viget, illa tua.

De ſeipſo, & Fortuna dialogus.

Quæ tu? dic. Fortuna vocor cur femina? quod ſim
Mobilis, & fallax, & ſine lege fluam,

Luce cares? quum dona fero, nil cerno, globoſo
  Stas ſaxo? quam ſint lubrica dona, patet.
At manus hæc virgam geſtat, manus altera cornu.
  Virga hæc imperium monſtrat, & illud opes.
Hoc mirum certe, cum ſis regina, feraſque
  Fortunas aliis, tu tibi nuda manes.
Ne mirere; aliis cum largiar omnia privor;
  Et patior caſus ſæpe coacta meos.

Ad Cæliam.

Quid facit argentum precioſa in veſte, vel aurum?
  Aut color? ut corpus contegat illa datur.
Ex ebore albenti quid ſponda, aut fulcra? quid ipſa
  Stragula picta, ſtruit ſi levis herba torum?
Num niſi priſcorum hiſtoriis variata nitebunt
  Aulæa, infundet non ſua dona ſopor?
Ampla quid ex auro rutilant laquearia? & ampla
  Quid ſub Mygdonio marmore nixa domus?
Si non hæc picei depellunt nubila cœli,
  Nec ſedant curas, non ſatis ima teges?
Ipſe ſibi, qui pondus iners, fulgente vehatur
  Lectica, aut acri conſpiciendus equo.
Quid meus acer equus? mea quid lectica refulgens,
  Si poſſum pedibus me modo ferre meis.
Quid quæſitæ epulæ? facili ſaturabitur eſca
  Venter edax; quantum nunc gula ſævit atrox!
Hæc facit æquorea ut piſces capiantur in unda,
  Utque cadat duro vulnere foſſus aper.
Ambitio infelix permixta cupidine, quæ non
  Cogit in aſſueto ferre labore mala?
Felices quos turba putat, non credo: ſepulchra
  Sunt illi hæc intus turpia, pulchra foris.
Exiguum non munus adeſt, quod vivo, polumque
  Quod ſpecto, hoc ipſo munere dives, amo.

De Amore.

Numina cur tot habes, genus o mortale, Deorum?
  Eſt Amor in cunctis rebus ubique Deus.
Mars hic bella gerens, terras Vulcanus adurens:
  Juppiter impellens fulmina, Solque diem.
Nocte ſoror Solis, curas ex pectore pellens
  Bacchus, & Alcides, quum fera monſtra domat.
Quum riſus, blandoſque jocos, blandoſque lepores
  Affert, & miſcet gaudia, pulchra Venus.
Hermes, quum flectit mentes ſermone; quietat
  Quum freta, Neptunus; ſic Deus unus, Amor.

Ad Cæliam.

Me ſpectas oculis laſciva, jocantibus, inde
  Effugis, & rabida tigride pejor ades.
Quum te credo meis manibus retinere, fugaci
  Plus cerva curris, quum timet ora canum.
Si læta accedis, placida, atque benigna parumper;
  Quam mihi poſt multo tempore ſæva manes?
Quicumque aſpectat tam raræ præmia formæ,
  Inter honoratas diceris eſſe Deas.
Numina ſed lædis tua, cum ſis impia nobis,
  Vana, fugax, fallax, horrida, dura, levis.

De Cæliæ dotibus.

Tres quondam nudas vidit Priameius heros
  Luce Deas: video tres quoque luce Deas.
Hoc majus; tres uno in corpore: Cælia ridens
  Eſt Venus, incedens Juno, Minerva loquens.

De Cæliæ vulnere.

Cælia dum fulgens per florea rura vagatur,
  Sæva manum illius, ſæva momordit apis.
Unde has, inquit, habet volucris tam parva ſagittas:
  Illato ut tumeat vulnere noſtra manus?

Tunc

Tunc reſpondit Amor, ſum parvus & ipſe tenerque
  Et jaculis quæ ſtant mollio ſaxa meis.
Tu paulo major quid non facis? ore puſillo,
  Atque oculis; montes, & maris uris aquas.

Ad Cæliam.

Si nimis intueor te, Cælia, parce; loquuntur,
  Quas patior, pœnas lumina; lingua nequit.

De querimonia ſua.

Dum canerem, & crebris nequicquam queſtibus auras
  Implerem, incuſans terque, quaterque Deos.
Ex homine in querulam Dii me vertere cicadam.
  Hinc queror, & voces ob mea damna fluunt.
Hæc medicina mihi, veniet quum frigidus imber,
  Et moriar, ſtulto in carmine finis erit.
Mentior; hibernus me quamvis opprimat imber,
  Atque cadam; attrito corpore plura querar.

Ad Cæliæ picturam.

Parthenopem quum læta ſuam Venus advenit, atque
  Vadit olorinis conſpicienda rotis
Gaudet odoriferis hortis, gaudetque Veſevo,
  Quem colit intonſus Bacchus, & alma Ceres.
Et modo Sebeti miratur fluminis undas,
  Et modo vernantis littora grata maris.
Mirum laudat opus præclaræ molis; & ipſa
  Alta ducum, & regum culmina cuncta probat.
Præterea videt in tabula te, Cælia, pictam:
  Miratur. Veneri tum Charis una refert,
Quid ſi non pictos ſed vivos videris artus?
  Quantaque ſit formæ gratia? quantus honos?
Dixeris; humanas præſtat virtute puellas:
  Dixeris, æthereas præſtat honore Deas.
Admirans ſine labe novam Venus alma tabellam,
  Telluri & figens lumina, & ore rubens;
Dixit ego nollem tantæ certamina formæ,
  Non ſi ſub Phrygio judice cauſſa foret.

De

Ad Cæliam.

Fingeret ut ſcalptor veros in marmore vultus,
  Vultus quærebat poſſe videre tuos.
Huic dixi, ſimilem vis fingere? finge draconem,
  Qui teneat ſævis corpora ſciſſa modis.
Finge truces angues, aut nigrum finge venenum;
  Aut mare, quum tumidis exagitatur aquis.
Finge Notos rapidos, atque humida nubila, & arma
  Finge Jovis: par his Cælia, ſæva magis.
Non id quæro, refert: ſed pulchram quæro figuram
  Illius, exuperat quæ ſine fine Deas.
Tunc ego; nil opus eſt aliâ tibi imagine, pectus
  Hoc aperi; in corde eſt pulchrior illa meo.

Ad Amorem.

Cur linquis cœlum ob terras? tibi patria cœlum.
  In cœlo non hac pulchra puella magis.

Ad imaginem ſuam.

I nunc ad dominam, mea imago, nitebis ab omni
  Parte quidem, ætherei lux ibi ſolis adeſt.
Illa dat, illa aufert animas: illa omnia, tamquam
  Immortale ſibi numen adeſſet, agit.
Accelera paſſus; ſed ne diſcede, priuſquam
  Non poteris celeres viva movere pedes.
Deinde ubi vitali te mutam impleverit aura;
  Succurrat domini tunc tibi forma tui.
Dumque venit tacitis præceps occaſio pennis;
  Voce pia, quæ ſunt vulnera noſtra, refer.
Forſan fiet amans, & ſic mihi parcet amanti:
  Et ſic ambobus candidus annus erit.
Sed timeo hoc unum, ne te dum pollice tangit,
  Exuſta occumbas; ſimus & ambo pares.

De Cælia, & Amore picto.

In claro dum ſe ſpeculo pulcherrima comit
  Cælia, ubi pictus cum face ſtabat Amor.

Quis

Quis credet? ſic inquit Amor; ſum pictus, & ipſa,
Ipſa videns me nunc Cælia, verus Amor.

Ad Cæliam.

Optarem fieri dives, ſic dives ut ille
Crœſus, & immenſæ regna tenere Aſiæ
Poſt cernens hominum caſus, & cuncta ſub Orcum
Ire; quid, optando talia, diſcrucior?
Divitias contemno tuas, rex Crœſe, tuamque
Vendo Aſiam unguentis, flore, mero, choreis.

De Cælia, & ſpeculo.

Colligit in nodum pexo; dum Cælia crines
Ad ſpeculum; ſpeculum talia verba refert,
Quid me tam fixis, fixis miraris ocellis?
Fulgorem ſuperat lux tua clara meum.
Nota loquor, vitrea puer ille venuſtus in undâ
Conſpectus; proprio lumine fata tuli
Heu quia ſæva manes, tibi nec vis parcere; ſaltem
Parce mihi; tua me ſcrinia clauſa tegant.
Occular aut tenebris, aut totum rumpar: Amoris
Non poſſum ulterius vulnera tanta pati.
Etſi non habeam ſenſum, tua gratia ſenſum
Exhibet, & calidæ ſentio peſtis onus.
Dirigis huc quoties ſpectantia lumina flammæ
Succedunt inopi ſaucia membra mihi.
Hic neque veridicâ ſpectaris imagine namque
Opprimor, & vires non tibi reddo meas.
Sic te, qualis ades, talem vis noſſe? tu nunc
Adſpice amatoris corda, ibi imago tua eſt.

De Amoris laudibus.

In terris quum fulſit Amor, ceſſere tenebræ:
Et magni viſa eſt ſemita clara poli.
Tunc ceſſit torpedo gravis, ceſſitque veternum,
Peſtis, & infelix grando, niviſque furor:
Ceſſerunt Jovis horrendi vaga fulmina, ceſſit
Bellorum rabies, & necis atra manus.

Ab.

Abſit Amor, ſurgunt tenebræ, torpedo, veternum,
Peſtis, grando, nives, fulmina, bella, neces.

De ſeipſo

Flens veni in terras, & flens diſcedo; fuitque
Dum vixi fletus vita, dolor, gemitus.

Ad acantidem.

Quam bene tu mecum, volucris dulciſſima, vivis!
Sat dulce, ejusdem ſortis habere pares.
Tu, fixo in ramis viſco, decepta fuiſti:
Decepta & viſco præda ego, præda fui.
Tu ſola hic, ſola; hic ego ſolus; ſolus amator:
Utque abeas, optas, opto ut abire queam.
Tu viridi plumâ, atque innato murice tincta;
Me quoque, ſi neſcis, tingit uterque color.
Spes viret, oſtendit mea murex vulnera: ploras
Tu libertatis tempora, tempus ego.
Te cavea includit lento de vimine texta;
Me claudit ſævo in carcere ſæva Venus.
Damnoſas querulo mulces modulamine curas:
Heus curas querula mulceo voce meas.
Spina tibi nomen præbet; mihi ſpina dolorem
Injecit lateri: tu gemis, ipſe gemo.
Ambo infelices ſumus, & ſine ſenſibus ambo:
At tua ſors noſtra ſorte beata magis.
Portio tota tibi cordis, mihi portio nulla
Cordis adeſt: totum cor laceravit Amor.

De Cæliâ.

Nunc ubi Praxitiles? ubi Scopas? priſcaque virtus
Illorum artificum? cuncta ſepulta jacent,
Heu doleo, noſtræ quis marmore ſcalpet in albo
Pectora? quis fulgens lumen, & ora Deæ?
Erigere huic ſtatuam, & templum ædificare decebat:
Oblatas caperet pro Jove ut una preces.

De Cœliâ.

Ferrum flamma domat, ſilicem domat unda, adamantem
Sanguis: at hæc ferro durior & ſilice,
Atque adamante; meo non igne, fluente nec unda,
Nec miſſo è venis ſanguine ſe domuit.

De ſeipſo, & Cœliâ.

Mirabar, memini; miranti Cælia dixit,
Quære alios tibi nunc, quære in amore jocos,
Dum cribro fluvios captas, & retibus auſtros,
Nil agis; utque fluens laberis unda, miſer.
Nunc potes Auſonias, aut Grajas voluere chartas;
Dum tenera eſt ætas, & labor ipſe juvat.
Nunc propera: dimitte faces, dimitte ſagittas;
Floreat & ſtudiis culta Thalia tuis.
Noſce diem; venient triſtiſſima nubila, quumque
Grata voles vitæ ſumere dona, fluent.
Ne cogare ſenex rideri, aut tradere flammis
Quæ ſcribis, nunc ſunt præcipitanda rogis.
Vera licet referas, dixi, tua candida forma
Efficit, ut faciem cogar amare tuam.

De ſeipſo, & Cupidine dialogus.

Aliger, invictâ qui cuſpide ſemper oberras,
Dic mihi, cur nudum te tua mater alit?
Nudo homines qui noſtra petunt delubra. rubenti
Cur ſtant in dextra ſpicula? trado necem
Cur puer es? pueros facio, quoſcumque ſagittis
Saucio, ſive volans ignibus uro meis.
Ventoſas humeris cur fixit Juppiter alas?
Eſt quovis levior flamine, quiſquis amat.
Cur tecum faculæ? quia vivida corda, fretumque,
Et juga montoſa, & ſcrupea ſaxa cremo
Cæcus es? an claro, dic lumine? Cæcus amator,
Non ego: luce poli lux mea clara magis.
Paſceris ambroſia? ſeu nectare? paſcor amœnis
Blandiciis, riſu, & ſedulitate joci.

Cur

Cur tibi pulchra parens? quia denſos forma calores
  Ingenerat, formæ munere naſcor ego
Cur maris e fluctu prognata eſt mater? amator
  Ut mota in ſalſis fluctuat unda vadis
Dic tua num vilis domus? an cultiſſima? nulla
  Tecta colo; hiberno ſub Jove dego miſer.
Dic ubi ſtas, quum laſſa tuo ſunt membra volatu?
  Crede mihi nunquam me levis ala vehit
Pulchra ſuo impoſuit me Cælia pectore; & ambo
  Bella polo, & terræ, & bella minamur aquis.

Ad Cæliam.

Tota anima ex oculis mirantibus exiit: Argus
  Ut fierem, oravi; Cæcus at inde fui,

Ad hirundinem.

Æquales ambo: tu ſtas ſignata cruore;
  Quaſſa mihi exuſto membra cruore cadunt.
Tu defles Itylum; quid me niſi flebilis angor
  Externat? lacrimis deperiere genæ.
Tu philomelææ loqueris diſpendia linguæ,
  Ipſe mea, ah demens, fata necemque loquor.
Exoritur quum mane recens ex æquore Phœbus,
  Conquereris; mœſtâ tunc ego voce queror,
Erras, & circum, circum ſtridoribus imples
  Atria; ſic circum ſtrideo, & erro miſer.
Heu! tua vita magis felix, nam tempora veris
  Semper habes; veris tempora nulla mihi.

De Jove, & Cupidine.

Juppiter humanæ captus fulgore puellæ,
  Aligero dixit talia verba Deo:
Fac mecum parili flagret nunc Cælia flamma;
  Et nectat dulcis mutua vincla Venus.
Huic Veneris proles ait; heu! mihi parce, favillæ,
  Quas jaciam pro te pectora noſtra cremant.
Quod cupis, efflictim cupio, ſum primus amator:
  Et norunt fletus concava ſaxa meos.

Ta-

Talia percipiens alti moderator Olympi:
  In puerum cœpit conſcelerare manus.
Ille ſed aëriis pennis confiſus, in auras
  Tollitur; & pavitans fulmina, quærit opem:
Hanc petit, & niveo ſe claudit pectore, & ipſis
  Luminibus; dicens hic ego tutus ero.

De ſeipſo dialogus.

Viſcera ſi calidis tua ſunt exuſta favillis,
  Cur non pulvereo funere merſus obis?
Spiritus in gemitus ſi fluxit, & aëre gaudet
  Liberiore; tibi qui movet ora ſonus?
Cor ſi præreptum, quo vivis corde? frequenter
  Si ploras, cur non conteris ora fluens?
Si percuſſit Amor ſævo tibi vulnere pectus,
  Cur non percuſſo in pectore vulnus habes?
Deſine, quiſquis ades, miſeros ſic lædere manes:
  Umbra mea eſt, corpus quæ tegit; ipſe obii.

De Cælia venante.

Dum vaga venatur per noſtros Cælia ſaltus,
  Hanc cernens, ſubito Delius obſtupuit:
Cur his errat (ait) campis germana remotis?
  Et juga Parthenii linquit amœna ſoli?
Dum ſic miratur, vergit ſua lumina; Cynthum
  Luſtrat, & hic vero eſt lumine viſa ſoror.
Anne duas, inquit, peperit Latona Dianas?
  Quæ conſanguinea eſt, iſta? vel illa mihi?
Hæc vadit paſſis, & paſſis illa capillis;
  Hæc placet inſigni pectore, & illa placet.
Nuſquam tam ſimiles toto ſunt orbe Dianæ:
  Una ſtat effigies, unus utrique decor.
Venantes ambæ, verum; ſed diſpare præda,
  Juno ait: hæc homines conficit, illa feras.

Ad Cæliam.

Miſiſti florem; florem mea Cælia pronus;
  Pronus in obducto claudo, & adoro ſinu.

Heſ-

Heſperidum cedent illi violaria; namque
  Penſilis aurato vomere fiet ager.
Illum irrorabunt oculi fluctantibus undis:
  Pro molli Zephyro flamina pectus habet.
Donec erunt lacrimæ, donec difflabit in auras
  Spiritus hic, viridi flore virebit ager.
Semper ego flebo, ſemper ſuſpiria fundam;
  Sub verno ſemper flos erit axe virens.
Si tamen arebit, condam ſublime ſepulchrum,
  Nænia ubi imparili carmine talis erit;
Flos jaceo hic, crebro fletu confotus, & aurâ
  Vitali; effugi nec grave mortis onus.
Quid tu, pulvereo quæ ſtas ſub cortice? velox
  Vita magis tua (nunc gaudia carpe) fluit.

De ſeipſo, & Venere.

Dum Venus in triviis errantem quærit Amorem,
  Huic loquor; errantis dic mihi ſigna Dei.
Illa refert, do ſigna: meus meus ille protervus,
  Audax, & præceps, & ſine lege puer.
Blanditur cuiquam, cuiquam deſævit; abitque,
  Et redit, & quo vult fertur, ut aura volat.
Crine ſuo pulchrum caput, & pulcherrima cervix:
  Una nec in toto corpore menda manet.
Par color eſt igni ſuus; & ſua lumina lucent
  Ut flammæ; it nudus, nilque pudoris habet.
Arcum læva tenet, ſuper arcum dextra ſagittam.
  Circum humeros calamis plena pharetra nitet.
Non parcit matri; nunc hunc nunc ſauciat illum:
  Et domat æthereos, tartareoſque Deos.
Quin etiam rapidos armis immiſcuit ignes,
  Sic ſimul excidunt arma, ſimulque cremant.
Alloquitur quoties, blando ſermone, vel ore
  Purpureo arridet; damna, doloſque ſtruit.
Diſſonat a linguâ, & verbis mens atra, nec ullus
  Tam prudens, quem non retibus ille regat.
Baſia laſcivus præbet, ſed labra venenum
  Intus habent; ſunt hæc dulcia, at uſque nocent.

Dona libens offert: quæcumque hæc dona, cremanti
  Tincta face, & Stygio tincta liquore, necant.
Tunc ego, ſublatis ridens clamoribus, inquam,
  Non procul hinc natus Cypria diva tuus:
Pectore ſub noſtro Deus hic affigitur: alas
  Perdidit, & claudo ſtans pede, abire nequit.

Ad Cæliam.

Tres Charites; tribus una Charis connecteris; illæ
  Tres Charites teneant ut Dea, te Charitem.

Cælia dormiens.

Dum movet aura comas, dum fontis murmurat unda,
  Sub placidâ hac preſſit me modo valle ſopor.
Quiſquis ades, mollem, dum dormio, parce quietem
  Rumpere; ſum ſacræ Cælia numen aquæ.

De Cæliæ floribus.

Jam creſcent albi flores, & fulgida creſcent
  Lilia, narciſſi, purpureæque roſæ.
Quiſquis amas, gaude; crevit flos unicus, & jam
  Maturus ſuavis munus odoris habet.
Lætentur valles, campi lætentur, & horti:
  Quamquam ſævit hyems, veris habentur opes.
Arridens, albos flores & lilia fundit
  Cælia, narciſſos, purpureaſque roſas.

Ad cicadam.

Tu felix cantas molli ſub fronde cicada;
  Ipſe queror duræ virginis ante fores.
Ros tibi dat vitam, mihi vitam fletus; adurit
  Æſtatis non te fervor, aduror amans.
Tu quocumque libet volitas, ego carcere claudor:
  Garrula tu fundis carmina, funus ego.
Tu vernis Zephyris, & leni flamine gaudes;
  At mea ſuccendit fervidus oſſa calor.
Tu nimis exultas, ego cæco vulneror arcu:
  Tu dives, ſic, eſt ſors mea, pauper amo.

Hoc

Hoc tantum ſimiles, ſimiles ſumus ambo, querente
Voce peris, pereo voce querente miſer.

De Cupidine.

Fallitur, eſſe Deum qui magnum ducit Amorem:
Qui Deus eſt, bonus eſt; hic malus uſque necat.

De ſeipſo dialogus.

Cur ſic exardes? naſcenti afflavit amores
Torva Venus; Veneris flammea regna ſequor.
Quæ tibi, dic, mater? fletus: pater? impius ardor.
Quæ nutrix? gemitus, quæ domus? urna ſilens.
Quo lacte es paſtus? ſpe caſsâ, & cortice, & Euro.
Quis docuit linguam promere verba? furor.
Qua veſte obtegeris? corpus patientia corpus
Obtegit; hic quæris quid modo? quæro necem.
Quid garris? tetricæ pallentia funera mortis.
Ut vivis? miſeri ut vivere in orbe ſolent.
Num ſic ſemper eris? ſemper quæ cauſa doloris
Dic tanti? ſolus cauſa malignus Amor.

De Cælia, & Cupidine.

Flebat Amor, matremque ſuam quærebat at ipſa
Ut viſa eſt vultu Cælia pulchra ſuo;
Ipſam appellat Amor matrem: ſed Cælia torvo
Lumine ait, non ſum mater, Amor rubuit.

De ſuâ picturâ.

Pingeret ut tenui in tabulâ mea corpora pictor;
Cœperat a membris, pingere membra, meis,
Sed quoniam abſumpto niſi pallor ſtabat in ore,
E populo unus, ait: ſit tibi pallor opus.
Approbat, & tenuem pallenti cromate formam
Pingebat: cur non, dico ego, pingis aquas?
Cur non & flammas? cur non ſuſpiria? cur non
Hos gemitus? hæc ſunt quæ mihi damna nocent.
Ille autem infauſto cernens me vivere fato:
Pinxit in ardenti corpus inane rogo.

Ad Amorem dormientem.

Dormis, ſæve puer, ſed non tuus arculus, ignem
Suſcitat, & vigili lampade corda cremat.

Ad imaginem Cæliæ.

Triſtia ſolaris præcordia, daſque quietem,
Quum cerno vultus, picta tabella, tuos.
Contra illa infeſtat me totum, ſpernit, & odit;
Et quam formoſa eſt, tam ferus urit amor.
Si tibi lingua foret, proferres verba; ſed illa
Ora potens miti voce movere, ſilet.
Et quamvis ſileas, tu dicere verba videris,
Et mulces fletus; ſævius illa tumet.
Annuis, ingredior quoties, reddiſque ſalutem:
Illa negans, ſolum dicere novit; abi
Læta manes, mecumque ſedes immobilis; illa
Mobilior ſiccâ fronde, ſuperba fugit.
Tu crebro oſtendis, crebro latet illa: querelas
Tu vanas audis, ſurdior illa freto.
Eſtis inæquales cunctis in rebus & ambæ
Diſpariles; ſed vos res facit una pares.
Illa ab amore procul, quia vitæ munera neſcit,
Emoritur; tenebras tu quoque mortis habes.

De Cæliâ, & Cupidine.

Armatur telis puer aliger, accipit arcum,
Et ruit in dominam cum face; lætor ego.
At domina ut torſit ſua lumina, diffugit ille:
Non te, parce precor, cor peto amantis, ait.

De ſeipſo, Morte, & Cupidine.

Dum mea lingua vocat Mortem, Mors advenit, & quid
Vis? ait; hoc cupio, dico ego; cæde caput.
Falcem aptam collo, cædit: nec cæditur ulla
Vena, nec elapſo membra cruore cadunt.
Miratur Mors; ipſe tremo, ceu canna paluſtris,
Quum quatitur rauco ſæpius acta Noto.

Vidit

Vidit ut id, ſummo dilabitur axe Cupido,
  Et dicit, non hic enſe perire poteſt.
Si quiſſem hunc ferro, ſeu triſti abrumpere flammâ;
  Hoc arcu quoties occubuiſſet amans?
Oſſibus hic tantum dolor eſt, & pallor & ardor:
  Pulchra ſed ejus habet Cælia pulchra animam.

De Cælia, & papilione.

Papilio fulgens dominæ dum lumen oberrat,
  Carpit & e teneris oſcula grata genis;
Occidit ante tamen nigrum quam viſeret Orcum,
  Dicitur hæc ſurdis verba dediſſe Notis;
Ecce, hominum quæ mille domat, quæ mille Deorum
  Pectora, me manibus (quæ modo fama) necat.

Ad lectorem.

Si molles elegos, & vana epigrammata texo;
  Non mirum: mollis tu quoque vana facis.

De ſeipſo, & Cælia.

Ut movit crines ventoſo Cælia flabro,
  Acceſſere ipſi frigora, flamma mihi.
Hoc mirum, in glaciem duram convertitur illa,
  Quæ numquam æſtivo ſole liquere poteſt:
Ipſe cinis fio; ſed qui me novit amantem;
  Appoſuit cineri ſubdita verba meo;
Cælia frigus amans, dum percutit aëra pennis,
  Fit glacies; miſer hic frigore aduſtus obit.

Ad Gaſparem Angerianum.

Deſine ſollicitis vitam producere curis,
  O pater, & quæ ſunt tempora, noſce, fluunt.
Jam rude donatus requieſce, atque ocia quære:
  Clarus es, & doctâ Pallade factus eques;
Undique laudaris: novit Campania faſces
  Tota tuos, dives Dauria, & Aprutium.
Et norunt Calabri, dulciſque Neapolis, omnes
  Lucani; reliquum nunc tibi tempus habe.

Quo fluis? optando cruciaris, & omnia venti
  Conculcant; fatis eſt vivere, vive hilaris.
Dum majora petes, aderunt nec vota; dolebis,
  Ægraque crudelis viſcera ſpina premet.
Cernis, ut acris hyems tumeat, freta concitet ater
  Africus; ingrati jurgia linque fori.
Eſt urbs Hirpinis Arianum in collibus, illic
  Roberta ex Guiſio ſanguine nata parens:
Illic lætus ager, domus illic grata, virenſque
  Hortus, & ex omni vinea parte ferax.
Gaudia diffugiunt, illuc ſecede; tuumque
  Dilige ſic natum, natus ut ipſe patrem.

De ſuis ſtudiis.

Quid ſit libertas, novi: mihi grata voluptas,
  Dum vigilat ſtudiis parva lucerna meis.
Hoc juvat, an viſam reges? regumque triumphos?
  Et ſtabo ante tuum, dives inepte, torum?
Quis te ferre poteſt niſi demens? ferre tumentes
  Qui norunt faſtus, lumina magna terant.
Hic mihi grata quies, & quamvis ſæviat Auſter,
  Enitet exiguo jam meus igne focus.
Pulſo chelym digitis, & dulcia carmina canto;
  Carmina quæ poſſunt ſæpe movere Deos.
An mea languentum conturbant gaudia morbi?
  Jurave clamoſi litigioſa fori?
Hoc melius quam ferre tuas plebecula ſordes;
  Irarum & pleno corde redire domum.
Ite alii in bellorum acies, in prœlia, in hoſtes;
  Tuta magis ſunt hæc caſtra; cruore vacant.
Hinc procul ambitio, procul hinc veſana cupido;
  Rugaque turbatæ frontis, & ira procul.
Conſcia mens recti fida eſt cuſtodia: dumque
  Nil obſim, mea quo membra pavore trement?
Tota ruat cœli moles, non terreor; ipſa
  Ipſa ruant in me fulmina, lætus ero.

De Cæliæ venatione.

Dum cuſtodit agros canis, & loca pervia cingunt
Fila plagæ, & flatu cornua plena ſonant:
Dum ferit aëreas clamor venaticus auras;
Exilit exerto dente protervus aper.
Nunc hac nunc illac, ceu fulmen, perfurit; atque
Contra illum quiſquam comminus ire pavet.
Formidatis? ait Mavortia Cælia: veſtes
Complicat, effuſas aptat inaure comas;
Flectit equum in gyros, ſtringit venabula dextrâ.
Ille ferox dominæ concidit ante pedes.
Obſtupuere omnes: tunc quidam: non ego miror,
Nec ſtupeo, ferro ſi fera cæſa fuit.
Ecce poteſt oculis pulchris, & pectore pulchro,
Armatos homines, & laniare Deos.

Mittit corollam ad amicam.

Floribus intextam diverſis mitto corollam,
Quam feci manibus nunc tibi, vita, meis:
Ut cingat flavos crines, & tempora circum
Fulgeſcat; tepidi munera veris habes.
Sunt hîc ecce vides, ridentia lilia, pulchri
Narciſſi, atque tuæ pulchræ Hyacinthe comæ;
Necnon Idalio maculati ſanguine flores:
Atque alii, tellus quos modo fœta tulit.
Si quæris, donum quid vult ſibi tale? corolla
Ut viret hæc, parvo tempore forma viret.

Iraſcitur amica.

Ecce tumet formâ præſtanti Cælia; ſtatque
Inſignis crine, & fronte nitente ferox.
Prætериens humili ſi dico voce ſalutem,
Non audit vocem, nec mea damna videt,
Rideor infelix: anni properate; dieſque;
Acceleraque tuos curva ſenecta pedes.

Pinge genas ſulcis, & canos effice: tantus,
  Tantus ut ex illo corpore faſtus eat

Ad Cæliam.

Ne fide humanis mea Cælia; cuncta creata
  Sunt nihil, & nullâ cum ratione fluunt.

De ſeipſo, & Cupidine dialogus.

Cur ſic expalles? ubi nunc color igneus, artus
  Qui tibi, ſi memini, condecorabat Amor?
Dic; ubi labentes humana in corda favillæ?
  Unde fugis? tua cur membra pavore tremunt?
Dic ubi ſunt alæ? atque arcus? ubi tela? pharetræ?
  Non ille es, genuit quem Venus orta ſalo?
Ipſe fuit quondam Deus, & cœleſtis, & ingens;
  Quem peperit gratis fluctibus orta parens.
Nunc paveo, & fugio; nam me ſuperavit amantem,
  Quæ nata eſt damnis unica forma meis.
Dic, non ſolus habes, non ſolus numen amantum?
  Numina quid proſunt? ſaucius ecce vagor.
Quis te prægrandes jaculatur fortius ictus?
  Una Dea eſt, homines quæ ferit atque Deos:
Et non eſt illi ſicut mihi debilis arcus,
  Qui non tranſmiſsâ cuſpide vulnus agit.
Dic, quibus hæc armis te tantum exterruit hoſtem?
  Arma, quibus vicit me modo nullus habet;
Illa oculis, oculis armata potentibus audet:
  Intuitu ex humeris excidit ala meis:
Arcum colloqu o fregit, riſuque pharetram;
  Pallorem membris facta proterva tulit.
Exibat leni qui dulcis anhelitus ore,
  Surripuit mentem, ſurripuitque facem.
Defeci infelix; mihi damna nigrumque colorem
  Injiciens, rapuit cuncta decora, vides.
Ergo vacas? & noſtra ſilent incommoda? ſtatque
  Tutus amans? per me qualibet ire potes;
Sed manet in terris quæ me confixit, & uſſit.
  Dic quæ? nota tibi Cælia? nota; necat.

De tabellâ combuſtâ.

Aſſumptam lychno ſimul ac videt eſſe tabellam,
 In quâ picta meæ lumina erant dominæ;
Incuſat lychnum pictor; cui ſic ego, demens,
 Falleris: ipſa ſuo lumine aduſta fuit.

Ad Cæliam.

Luce tuâ ipſe calens, timeo ne maximus ignis
 Sit calor hic terras, & maris urat aquas.

Cœlo comparat amicam.

Septem errant ignes per cœli mobilis axes,
 Septem etiam illa ſuo in corpore ſigna tenet.
Oſtendit gelidos vultus argentea Phœbe
 Illa ſuum intextum de nive pectus habet.
Mercurius linguæ decoratur dotibus; illa
 Eloquio dulci ſaxa fretumque domat.
A liquidis veniens Sol præclariſſimus undis
 Enitet, illa ſuo quum venit ore nitet.
Fortior armato Mars milite ſurgit, & illa
 Fortior armato milite ſurgit atrox.
Apparet cum mane Venus, cum veſpere; & illa
 Utroque apparet tempore clara magis.
Juppiter adſpiciens, cum terrâ pacat Olympum;
 Cum cœlo, adſpiciens, illa ſerenat humum.
Curvatur ſenio triſtis Saturnus; & illa
 Pulchra ſatis, tantum moribus extat anus.
Quicumque ergo meum non umquam vidit amorem,
 In cœlum attollat lumina, doctus erit.

Ad citharam.

Te pulſo digitis, & curvo pectine pulſo;
 Me pulſat ſævo verbere ſævus Amor.
Tu cincta es nervis; mea ſunt religata catenis
 Pectora: dulce ſonas carmen; at ipſe queror.
In medio ſtant bina tibi, ſtant vulnera; pectus
 Mille meum quaſſant vulnera, mille faces.

E buxo contexta nites; ego pallidus humor
Tabeo, & in vilem, reſpice, vertor humum.
Quum pulſaris, habes animam; nam membra reſultant
Spiritibus: tecum mortuus iſta loquor.

Ad Cæliam.

I, lege nunc florem; ſi floris præterit ætas,
Non florem, at ſentes, væ tibi, cana leges.

De Cæliâ, & cupidine.

Cælia conſpicuos ornarat flore capillos:
Captus Amor pulchri floris amore, refert:
Da mihi diva tuum florem; do Cælia florem
Inquit, Acidalias ſi dabis ipſe faces.
Accipiens florem puer hic, ſua tradidit arma:
Sic Amor it lætus flore, puella face.

De abſentiâ amicæ.

Hic ubi ſum, mites auræ, felicis & horti
Sunt ederæ, & lauri, Phœbe decore, tuæ.
Hic laſſus recubat Boreas; hic ocia littus
Incitat, & ſomnos dum ſilet unda facit.
Commoda Parthenopes hic balnea, veris & ampla
Rura, ubi perpetuo flore niteſcit humus.
Sed quoniam dulcis procul extat Cælia; mitis
Aura fugit, ſentes & meus hortus habet:
Frigidus inſurgit Boreas, & littora fluctu
Curva ſonant, vigili cedit ab ore ſopor.
Non hic Parthenopes, ſed inhoſpita ſaxa Lycæi
Adſpicio; hic illa, hic ſit modo, divus ero.

Ad Cæliam.

Qui ſpuma exortam Cyprin, qui Cypride Amorem
Dixit, non vidit quam tua forma nitet.
Obvia tu quoties ſis nobis, una nitenti
Adſpectu exoritur Cypris, & unus Amor.

Ad

Ad pictorem.

Dele opus hoc pictor, duplici ne Cælia flamma
Nos urat: picta & viva dat ore faces.

De Cælia cupiente auram.

Æſtivâ recubans ſub quercu Cælia, dixit:
Nunc vellem afflatus, mobilis Aura, tuos.
Confeſtim a noſtro pelluntur pectore flabra;
Aura fit ex illis, motat & aura comas.
Cælia lætatur vento: ſed dicit; & ignis
Fervet, & urentes cerno venire rogos.
Ne mirere, ait Aura tuus me mittit amator,
Et magnus fluit hic corde calente calor.
Sed miror quare nunc poſcis frigora, totas
Sueta tenere hyemes, ſueta tenere nives.

De ſuâ pœnâ immutabili.

Dic ubi Thebarum portæ, Babylonis & alta
Mœnia? Romanæ dic ubi ſceptra togæ?
Herba tegit Trojam: Grajas tegit herba Mycenas;
Nec credis, montes hic, ubi campus, erant.
Quod ſecat Europam, & Libyam mare, vomer arabat.
Nexaque cum Brutiis Trinacris ora fuit.
Ecce, hominum ſteterant ubi quondam tecta, ferarum
Nunc luſtra urticis obſita, cerne, jacent.
Quot maria, atque lacus tellus abſorpſit? & ipſa
Quot titulos tellus: quot laceravit opes?
Atteritur digitis aurum dum fertur; & undæ
Saxa cavant; mutant flumina curva vias.
Inſcribunt Pario reges ſua nomina ſaxo;
Nomina cum ſaxis ſunt peritura ſuis.
Omnia ſub magno tandem vertuntur Olympo:
At mea in æterno pœna dolore manet.

De Venere, & Cupidine.

Cypris ait nato; da flammas, Cælia friget.
Natus ait, flammas poſſidet illa meas.

De Cæliæ fulgore.

Fulgida ſat Lunæ lampas, ſat fulgida lampas
Stellarum, & lampas fulgida, Phœbe, tua.
Fulgidior certe mea Cælia lampade Lunæ,
Lampade ſtellarum, & lampade, Phœbe, tua.

De ſua metamorphoſi.

Conſpicua in ſpecula dum ſtaret Cælia, dixi
Luminibus, dixi talia verba meis:
Dum licet, & vobis hæc lucent ſigna, videte:
O quantum eſt unam poſſe videre Deam!
Mirentur gemmas alii, mirentur & aurum:
Cum gemmis, cum auro quid mihi? lætor, amo.
Nunc habeo Crœſi gazas, & Lydia quicquid
Fundit humus, quantas Craſſus habebat opes.
Ferte illuc animos, ferte illuc corda: ſub illâ,
Non mecum, cupio vivere; numen habet.
Hæc dum juſſa oculi expediunt, immobilis illic
Factus ego, in lapidem vertor, & addor humo.
Hinc data fama mihi; nam turbæ dicor eunti,
Hic lapis, hic quondam mollis amator erat.

Ad Amorem.

Quis tibi tot flammas? tot tela miniſtrat? amœno
Cœlia dat flammas pectore, tela oculis.

De Cælia, & flore.

Dum pulchrum hamatis florem mea Cælia ſpinis
Eligit, atque novâ contegit arte comas.

Flos

Flos ait: abruptus ſi ſum ſemel arbore; grati
  Quum venient veris tempora, rurſus ero.
At tua lanificæ mutilant ſi licia Parcæ,
  Non redit ex atro pulvere frontis honor.
Illa refert: grati non florem veris eundem,
  Sed ſimilem, video, tempora ferre ſolent.
Sic ego quum fuero tenues dilapſa per auras,
  Æqualem, non me forte videbit humus.
Flos inquit: nunquam ſi reddunt fata juventam,
  Cur temnis quæ dat munera dulcis Amor?
Sic numeraſſe dies ſi funus ſentiet atrum,
  Mœrebit: tradent ſæcula nulla parem.

De ſuo amore æterno.

Tempore tecta ruunt prætoria, tempore vires,
  Tempore quæſitæ debilitantur opes.
Tempore vernales flores, argenteaque arent
  Lilia; præfulgens tempore forma fluit.
Tempore montani lapides, & tempore virtus
  Occidit, & regum tempore deſiit honos.
Tempore mutantur cineres in ſaxa, peritque
  Tempore fama, perit gloria, nomen abit.
Vertitur in ſenium tellus, & tempore montes
  Deficiunt, æquor tempore perdit aquas.
Tempore fit cœlum variabile, tempore Phœbus
  Luce caret; ſcriptum tempore marmor obit,
Tempore durities, decedit tempore livor.
  At meus heu nullo tempore ceſſat amor.

De Cælia, & Cupidine.

Quum ſæviret hyems, & Cælia poſceret ignem.
  Maximus eſt ignis fœmina, dicit Amor.
Illa refert: nullum, nullum dant flamma calorem;
  Sunt magis hæc Scythica frigida membra nive.
Tange manum, quam friget; Amor, te tangere nolo:
  Ne ſis cauſa meæ mortis, & igne cremer.

De

De Cælia, & pictore dialogus.

Dic, cujus facies tam miro picta colore?
Hæc facies miro picta colore tua.
Dic, quare expreſſa eſt ita clauſo lumine? parce,
Non potui; totum flamma fuiſſet opus.

Ad Cupidinem.

Si tua caſtra ſequor, cur me crudeliter uris?
Parco tibi; neſcit jura modumque puer,

De ſeipſo, & Cælia.

Sum cinis in gelidis tumulis, ſum vivus amator,
Sum mœſtus, lætor; ſum ſine voce, loquor.
Et locuples, & pauper amo; ſpe nutrior exſpes,
Et mando chartis carmina, mando Notis.
Terra mihi colitur, tumidis & mergor in undis.
Sum ſaturo & farto ventre, premorque fame.
Haurio fontis aquas, & anhelis faucibus hæret
Sicca ſitis; video, lumine caſſus, iter.
Hîc moror, atque etiam hîc propero; miſer audio, ſurdis
Auribus: includor carcere, liber eo.
Ora madent lacrimis, & rident ora; profundos
Corda cient gemitus, corda peruſſit Amor,
Torqueor infelix ex omni parte; ſed una
Una mihi ſemper, ſemper iniqua mihi.

Ad corollas.

Ante fores madidæ ſic, ſic pendete corollæ,
Mane orto, imponet Cælia vos capiti.
At quum per niveam cervicem influxerit humor,
Dicite: non roris, ſed pluvia hæc lacrimæ.

Flos.

Flos ego qui venio, ſum nuntius; alloquor: hora
Fulgorem una meum præripit, una tuum.

De

De ſeipſo, & Amore dialogus.

Tu ſolitus quondam cœlo gaudere nitenti,
  Quid facis hic nudus? nudus amator amo,
Frigora non Brumæ ſentis? ego torreor, ala
  Cur non ex humeris pendet? aduſta fuit.
Non arcum pictum, pictam non cerno pharetram;
  Non mirum, malus tu quoque vulnus habes.
Quis tibi cor miſerum, quis ſenſus abſtulit imos?
  Fregit & ingenii florida dona tui?
Ergo ſumus triſtes ambo; ſumus ambo ſub uno
  Vinclo; unum vinclum preſſat utrumque, vides.
Credebam ipſe meum te cor fixiſſe ſagittis.
  Falſus eras; quemnam fixit inermis Amor?
Quum tibi viſa fuit; quæ ſole nitentior extat
  Cælia, in illius pectore clauſus eram.

De Cæliâ navigante.

Navigat auratâ dum ſolers Cælia navi,
  Neptuni & læto lumine regna videt.
Cantabat; memini, ſtans celsâ in puppe, faceſque
  Injiciens undis, talia pulcher Amor:
Uſſimus ambo polos, nunc urimus æquora; flexo
  Ipſe arcu, hæc oculis: & miſer urar ego.

De Pictore, & Cupidine.

Pingeret Idalium in tabulis quum pictor Amorem,
  Pictori, inquit, Amor, me male pingis iners.
Non ſum pennatus, pharetram nec geſto, nec arma,
  Nec manus accenſas ventilat igne faces,
Me triſtem & mœſtum pingas, ſi pingere me vis:
  Ora gemant, madeant fletibus ora meis.
Cui pictor, quid aves ita pingier? amplius, inquit,
  Non ſum Amor; illa, illa eſt Cælia pulcher Amor.

De

De ſeipſo, & Cælia.

Quærebat lucem extincto dare Cælia lychno,
  Quid quæris lumen? dico ego; lumen habes:
Sole magis fulges, ait illa vaferrima, quod nunc
  Quæro mihi, potis es tradere, namque cales.
Ecce adſum, refero: immenſam de corde favillam
  Excute: reſpondet; tu ſine corde manes.

De Cæliæ nive.

Tranſibam frigens; vidit me Cælia, riſit;
  Et mea compreſſam jecit in ora nivem.
Non nix illa fuit, rapido ſed qualis ab Euro
  Arentes calamos urere flamma ſolet.
Tunc arſi infelix, ſunt hæc miracula, poſſunt
  In mediâ fieri flammea tela nive.
Credo equidem denſas potuiſſet adurere nubes,
  Cumque pruiniferis æquora fluminibus.
Pone arcum, pudeat te flammas ferre Cupido.
  Hoc numen verum, hoc, corda cremare gelu.

Ad Cæliam.

Fervet aquis æquor, ventis impellitur aër;
  Et furit accenſis Sicelis Ætna rogis.
Heu ſimul hæc noſtro mala ſunt in corpore: fletus
  Fundit aquas: gemitus flamina; corque faces.

De Cælia, & Cupidine.

Cælia cadentes ferro quum raderet ungues,
  Infecit læſo pollice ſanguis humum,
Hoc ut vidit Amor, nolite huic fidere clamat;
  Impegit, vidi, vulnera ſæva ſibi.
Nondum finierat voces ſua lingua, per auras
  Quum volat, & dominam fit prope, & hæret humo:
Clam

Clam clam diffuſis intingit ſpicula guttis;
 Et dicit, nunc ſum fortis & aſper ego.
Inde ubi ſe niveis abduxit in aëra pennis,
 Villarum & ſummo in culmine ſedit atrox;
Incœpit maria, ac terras exſcindere; tuta
 Nec fuit ex illis ictibus aula Jovis.

De Cæliâ, & ſeipſo dialogus.

Quid ſpectas? ſpecto tua lumina; quid tibi noſtra
 Lumina vis? noſtrum ſurripuere animum.
Miror! vera loquor; radios jaculantur, & ignes;
 Perque mea accedunt lumina, abitque animus,

De ſeipſo, & aura.

Cantabam in ſilvis: aura ô Zephyræa, calores
 Excute ab attritis artubus; aura venit.
Quid me poſcis? ait, non ſunt mea flamina tanti:
 Adſpice quam parvo murmure, parva feror,
Det licet afflatus Boreas, det Nereus undas,
 Non poſſem ardores attenuare tuos.
Fontano mulcens ego tunc incendia fletu.
 Dixi, infelici quis mihi tradet opem?
Hæc roſeo ſpirans curſu ſic aſſerit; ignes
 Si vult extinguet Cælia, tota gelu eſt.

De Cæliâ convaleſcente.

Quum mea ferventi langueret febre puella,
 Purpureo & ſtarent candida membra toro.
Induit inviſum Mors lurida protinus enſem;
 Et petit infeſtis aurea tecta rogis.
Irruit; at poſtquam vidit ſine labe papillas,
 Et quales profert flava Minerva oculos:
Obriguit, retroque dedit veſtigia, & inquit,
 Non hæc Lethæam digna ſubire ratem.
Sic fata, infernas pudibunda receſſit ad umbras,
 Auſaque ſic nigro verba tonare Jovi:

Quæcumque æthereo ſub regno regna morantur,
Sunt noſtra, una precor Cælia morte vacet.
Annuit hoc Pluto, facta eſt Dea, & illico cedunt
Nubila, & intonſus dat quoque Phœbus opem.
Sperandum eſt, poſtquam Mors importuna pepercit,
Facta Dea ut noſtras audiat illa preces.

Ad Cæliam.

Mors mihi dat vitam, mihi mortem vita; ſed omni
Vita mihi pejor morte, dolenter amo.

De ſeipſo, & Cupidine.

Poſtquam picta fuit facies mea, protinus arcum
Sumpſit Amor, pictam contudit & faciem.
Quid pictos, inquam, laceras, puer invide, vultus?
An non ſat telis pectora noſtra tuis?
In te nullus, ait, locus eſt ſine vulnere; vulnus
Addere vulneribus, quid niſi laſſo manus?
Te laſſas, dixi, magis hic; nam ſpicula perdis,
Et flammas; caret hæc picta tabella anima.
Hoc verum, inquit: habet præclara at Cælia numen;
Aſpectu ut calcant omnia pulchra ſuo.

De Cupidine.

Quum puerum Veneris vulgus ſpectaret inermem:
Vulgus ait: cur es factus inermis, Amor?
Reſpondit genitrix; pro certis ecce ſagittis
Utitur illius pectore, & aſtra ferit.

De Cæliæ reticulo.

Reticulum ex auro intextum rutilante venuſtam
Veſtierat frontem, veſtieratque comas.
Quod quum vidit Amor, dixit: flammatur amore
Cælia, nam gignunt aurea fila faces.
Non hoc, Cypris ait; nihil eſt ut carius auro,
Sic illa in toto carius orbe nihil.

Sed

Sed miror quare, quare illud vulnerat aurum?
Ut video longa cum face tela jacit
Falleris, inquit Amor; non aurum vulnus, at illi
Illi oculi faciunt; aſpice, ſaxa terunt.

De Cælia, & Cupidine.

Forte videns natum Veneris per prata vagantem
Cælia fronte placens, Cælia crine placens:
Pone arcum, & certemus, ait; pone arma, faceſque,
Hic tibi ſi mecum prœlia inire libet.
Illi dicit Amor: ſi pono hæc arma, quid in te
Nudus agam, pugnax tu magis, atque potens.
At ſi bella placent, & ſtat tibi tanta libido
Certandi; tela hac lege repono mea,
Ut claudas oculos, oculi fulgore perurunt.
Ut frœnes linguam, lingua diſerta necat.
Nil horum impediet pulchra hæc certamina, fatur
Cælia; claudo libens lumina, lingua ſilet.
Non expectat Amor, ſed in aëra tollitur alis:
Et fugit, exclamat: ſat tua forma poteſt.

Ad Cæliam.

Si Deus eſt Amor, & pacem meditatur, & optat
Quæ bona ſunt, cur non hunc celebrabo Deum?

De Venere, & Cupidine.

Forte ſub umbroſâ requieſcens arbore Cypris
In gremio puerum foverat aligerum.
Cypridis abſcedit gremio puer aliger; illa
De ſomno ſurgens quærit anhela Deum.
Quærenti exclamat genitrici vulgus, Amorem
Quem quæris ſplendens Cælia ſurripuit.

Ad Cæliam.

Ut ſcirem quanto ſim tecum junctus amore,
Atque fide, miſi cor tibi; non rediit.

Hoſpitium prædulce tuum: non amplius optat
  Hos artus; gremio gaudet adeſſe tuo.
Poſt gemitum ejeci qui cordis nuncius eſſet:
  Illum etiam, eſt quamquam ſæpe reverſus, habet.
Neſcit ubi ſit cor, nec novit dicere; ſolum
  Spirat, & exuſti pectoris auget onus.
Illi ſæpe loquor: quid agit mea Cælia; quid cor?
  Nil referens linquit corpus inane, fugit.
At nunc mitto animam, quæ ſi non ipſa redibit,
  Protinus infelix hac tumulabor humo.

Ad eandem.

Quid ſpeculum ſpectas? vis verum noſſe colorem?
  Quantaque ſit vultus gratia viva tui?
Adſpicias quum mitto tibi mea ſaucia corda;
  Illic te docta cuſpide pinxit Amor.

De Cælia, & libello.

Quum legeret ſcriptas in parvo codice flammas
  Cælia; mentitur qualia ſcriptor, ait!
Non ſic exardet, nec ſum tam pulchra, decenſque
  Ut fatur; ſunt hæc cortice vana magis.
Tunc codex, chartis qui volvebatur apertis,
  Ter voluit, nequiit voce referre ſonos.
Hoc fecit, vacuo miſit ſuſpiria cœlo:
  Et mecum in cineres igne crematus abit.

De Cælia, & Cupidine.

Vidit Amor dominam, ſtupuit; cecidere ſagittæ.
  Armavit ſe ſe Cælia, fugit Amor.

De ſeipſo, & flore dialogus.

Bellule flos ſalve, quis te flos bellule miſit?
  Illa tibi Ætneas quæ jaculata faces.
Flacceſcis, cerno, ſic vultus flaccet amantis;
  Mœrenti ſic ſtat, ſic ſtat in ore color,

I nunc

I nunc ad dominam, retroque revertere (non id
Significans) quamvis ſit mihi nulla quies.
Sed quoniam viridem non ſervas uſque decorem;
Quam cito crudelis deperit illa, doce.

De Cœliæ cantu.

Gaudebam, audivi dominam quum voce canentem:
Gaudebam; qualis tunc mihi, qualis erat?
Ex humeris nullo fluitabant ordine crines,
Et nulla nitidus ſtabat ab arte color.
Tunc mage compta mihi mage tunc formoſa decenſque
Viſa fuit: poterat ſaxa movere ſono.
Sed quia nulla diu firmantur gaudia; volvit
Fronte oculos; videor, viſa repente dolet.
Lingua ſciens cantum ſilet, & ſua plectra recondit:
Turbatur, miſero multa minatur, abit.
Deſeror infelix avulſo corde, cadoque
Adclinans oculos mortuus; illa redit.
Illico ut aſpexit, conſumpti corporis oſſa
Colligit, & nullo funere condit humi.
Impia, nil mœrens, haud plenum carmen ibidem
Inſcripſit; Dulci hic voce peremptus amans.

Ad Lectorem.

Si tibi non placeo, placeo mihi; lector, abibis.
Hoc ſatis, auctori ſi ſua ſcripta placent.

De Amore.

In tabula primus tenerum qui pinxit Amorem,
Ingenio, & docta non fuit ille manu.
Non puer eſt, qui Pana poteſt ſuperare; fretumque
Qui domat, & terras, aëra quique polos.
Non cæcum dicam; pungentibus utitur armis;
Et quæcumque ferit, num ſine luce ferit?
Non findit latum pernicibus æthera pennis:
Sic numquam á noſtro corpore fixus abit.

Non mihi nudus erit; ſpoliat qui membra Deorum
Quique hominum, numquid veſte carebit inops?
Dum loquor id, ridens inquit mihi Cælia, Amorem
Pingere vis? vultus, aſpice, pinge meos.

De eipſo dialogus.

Dic cur in vultu ſic palles? ſanguis ad ima
Corda fluit, quæ ſunt pæne cremata rogis.
Cur defles? magnos ut lapſa hos unda calores
Molliat: in caſſo corpore flamma furit.
Cur gemis? ambeſos ut amabile frigus in artus
Currat, & inſanas temperet unda faces.
Cur quereris ſolus? ſolus comburor ab igne.
Qui non credit, amet, nunc ego ſicut amo.
Cur non in mutos cineres converteris? ingens,
Ingens id dominæ non ſinit eſſe gelu.

Ad Cæliam.

Ni lacrimæ fluerent, in flammam totus abirem:
Et ni flamma foret, diffluerem lacrimis.
Sic fervor lacrimis, ſic flammâ fervor; adurar
Aut lacrimer; vitam præbet utrumque; obeam.

Ad Cæliam.

Dum lætor, vivo: morior, dum triſtor: abibo
Lætus ego, poſtquam cura perire facit.

Ad Cæliam.

Cur immortalem te reris? pone tumentes
Faſtus; mortalis ſis, pietate carens.

De Jove, & Junone.

Juppiter, inſani dum ſæva Cupidinis arma,
Et nequit accenſas pertolerare faces;
Jane biceps, cœli cuſtos mihi limina pande,
Pande, nec hoc unquam ſentiat uxor, ait.

Sen-

Senſit ut hoc uxor, turbatur, & undique fluctus
Ore vomit; liquida fit magis atra pice.
Irruere in magnum magnâ cum voce Tonantem
Audet, & illius detrahit arma manu.
Clavigerum terret Janum; luſtratque per omnes
Terras, an videat quo vir ab igne calet.
Nunc huc, nunc illuc, dum torvo lumine ſe fert,
Adſpectu patuit Cælia pulchra ſuo.
Quam ſimul ut vidit, cæcas exarſit in iras:
Atque inquit, ſenti, quid mea regna queunt.
Dum rotat, & piceo contorquet ab æthere fulmen;
Illud in hæc durus pectora flexit Amor.

De Cælia, & Amore.

Vidit ut æthereos oculos Amor illius; inquit,
Inquit Amor, nulla hac pulchra puella magis.
Senſit ut immites animos Amor illius; inquit,
Inquit Amor, nulla hac ſæva puella magis.

De ſeipſo.

Dum canerem, & citharam pulſarem pectine ſolus,
Solus apud dominæ, nocte ſilente, fores:
Audivi (fateor) vocem; ſic dixit, amator
Stultus es, in ventos irrita verba fluunt.
Reſpondi, nil eſſe, loquor quodcunque; ſed ægrum
Sæpe juvat pœnas promere voce ſuas.
Hæc mihi non aliis refero, ſint ſidera teſtes:
Et ſi ſurda manent ſidera, ſaxa precor,
Et ventos, nubeſque atras, & limina, quæ me
Excludunt; ſunt hæc verba doloris, amo.

De Cupidine querente.

Hic arma, atque faces, & myrtea ſerta, roſaſque
Linquo; quibus quondam gloria parta fuit.
Linquo ſales, ludoſque meos; atque omnia pulchra.
Quæque Charis docuit, quæque venuſta parens.

Exuor hic levibus pennis, & lumine claro:
  Externas, o ſors, cogor adire vias.
Sed vos hoc unum moneo, parete monenti,
  Certa loquor, ſunt hæc certa probata mihi,
Evitate malum potuit quæ lædere Divos,
  Vos lædet, quando ridet, abeſte; necat.

De ſeipſo.

Fles, rides, gaudes, mœres, requieſcis, oberras.
  Non mirum; vita eſt talis amantis; amo.

Ad Cæliam.

In cinerem fuero ſi poſt mea fata ſolutus,
  Ille tua excuſſus curret in ora civis.
Hic repetet cœlum ſi ſpiritus, arduus illinc
  Et flammas mittet, mittet & arma necis.
Si non legitimæ complerim munera vitæ,
  Errabo ante tuas oſſea larva domos.
Corporeos iterum ſi commutabor in artus;
  Corpus habes, corpus mole gravabo tuum.
Aëre ſi pendam pœnas; levis ibo, daboque
  Verbera; ſi mergar flumine, flumen eris.
Ad nubes iero, mittam de nubibus imbres,
  Ignibus advolvar, te ferus igne petam.
Quicquid ero moriens tecum crudelia tecum
  Bella geram: flagris flebis inulta meis.
Si nihil evadam, nihil hoc torquebere: crede,
  Crede mihi vultus perſequar uſque tuos,
Conabor Stygiis exire paludibus; & ſi
  Parca negat, rumpet tartara læſus Amor.
Nam tibi cum nequeam dum vivo reddere pœnas,
  Extinctus tanti vulneris ultor ero.

De viatore, & ſeipſo dialogus.

Quis jacet hic? Veneris jacet hic pulcherrima proles,
  Quam ſtravit forti Cælia pulchra manu.

Si

Si Deus hic, quare falcato decidit enſe
Mortis? & in vili ſic tumulatur humo?
A cupido hæc illi vis eſt generoſa Tonante,
Ut valeat terræ, & bella movere polo.
Unde hoc? illa Dea eſt cunctis ſpecioſior aſtris.
Hac mundus quid nunc (adſpice) majus habet?
Non hic armatus? pharetrâ ſuccinctus & arcu?
Quid tum? ſuccubuit: fortior illa fuit.
Aurea non mater flammas? non vitricus haſtam
Exhibuit? contra bellica Pallas erat.
Ægida formoſis mammis ſcutumque lacerto
Aptarat; dextræ tela triſulca patris.
Non oberant Muſæ comites, non Phœbus, & Evan;
Hic puer, illa ingens; hic rudis, illa ſagax.
Ergo quis extincto poſthac ſuccedet Amori?
Huic pharetra? huic jaculum? huic flexilis arcus erit?
Imperium molle hoc; illa eſt caſtiſſima, & Euro
Sævior; heu! cui non funera ferret atrox?
In turbam rutili globulos deflecteret auri:
Ipſa ſibi plumbi frigida dona daret.
En nunc absque arcu & facibus domat omnia victrix,
Quid ſi pennatus regna teneret Amor?

De ſeipſo.

Si nitet auratis mea candida virgo capillis,
Et pulchro æquoreas vincit honore Deas;
Effutire leves cur demens cogor amores?
Ferreque ut iratus tam mala verba puer?
Cur turbor toties? & inania murmura jacto?
Cur toties illuc irrequietus eo?
Heu, heu, quid feci? quo vertor? numina cœlo
Aut nulla, aut certe non mala noſtra vident.
Non potui tunc eſſe ſilex? aut æquoris unda?
Sive cinis? ferrem non ego tanta miſer.
Hoc pejus, promo inſanas ex pectore voces;
Nil proſunt voces, & tamen uſque loquor.
Heu! quid agam melius? lanient hæc dicta procellæ;
Etſi quid chartis illino, flamma voret

Præ-

Præteriit quæ danda fuit virtutibus ætas.
  Quicquid ago, video, ventus, & unda rapit.
Iſta loqui nollem, niger obtegit omnia pulvis.
  Obtegar an vivam? vivere pœna mihi.
Non eſt viventi niſi tetri funeris umbra,
  Si quicquam ingrati vita laboris habet.
Vivite vos alii quibus omnia jugiter affert
  Lætus Amor, gladium tu mea ſume manus,
Ne trepida, rapidus quum ſpiritus ibit ad auras,
  Clamabit; mortis Cælia cauſa fuit.

Incertus auctor.

Factus Amor mitis, transfixo clauſit amanti
  Lumina; collegit corporis oſſa Charis.
Tradidit inferias pia Cypris, carmen in ipsâ
  Urna Erato ſcripſit: tu lege quiſquis amas.
Non hîc corpus adeſt, non hîc cinis ater: at una
  Flamma calens, cremat hæc flamma, viator, abi.

Libellus ad Lectorem.

Doctrinam ſi forte cupis, ſi forte lepores
  Pierios, domini ne lege ſcripta mei.
Dum nimis igne calet, ſolum deſcribit inertes
  Curas, & quanta eſt Cælia, quantus Amor.

GEOR-

GEORGII ANSELMI.

DE FURNIA.

Gratiæ erant quondam tres; ſed nunc addita quarta eſt
Furnia: Gratiæ enim gratiam & inde petunt.

De Memmia.

Quod mella Attica, mala quod, puella
Sueverunt redolere mortificante:
Mus quod muſcus Eous & quod annum
Phœnix dum renovatur in ſequentem;
Quod & ſolliciti legunt Zygantes:
Mei hoc Memmiæ amoris, os beatum.
Quod bullantibus incitatus undis
Fons dum collibus exit è ſupinis.
Alpinas quod & inter acta fagos
Adulto meditatur Aura vere;
Quod vertigine mundus univerſâ;
Meæ hoc Memmiæ amœna verba, voxque eſt,
Hæc poſſum tibi comparare, cœlum,
Hæc, terra, & tibi, formæ enim ac pudoris,
Et raras fidei ingenique dotes,
Queis nulla eſt puto, vel ſecunda, vel par;
Nec terræ volo comparare, nec Diis.

In Heliodorum.

Omnia cum facias ſine teſtibus Heliodore;
Quid mirum, toties ſi negat Hybla tibi.

In

In Eunomum.

Lentibus inire fugam, poſitâ celer, Eunome, menſâ es,
Cruribus, Eunome, edas, ſi ſapis, ore fuge.

Ad Soſylum.

Ferre olidum mihi ſæpe hircum te poſſe negabas.
Nunc temet, quæſo, Soſyle, quommodo fers?

Ad Peplin.

Tot rara, ac tanta in te & tam generoſa videndo,
Hei mihi, deficiunt cur geminæ hæ acies!
O fierem Inachiæ cuſtos, mea Pepli, juvencæ,
Noſtra nec obtegeret lumina ſomnus hebes!
Sæpius adſpiciam in te, ſpes mea ſola. ſaluſque,
Ut bona luminibus innumera innumeris.

Ad Tutiam.

Mentitur, quoties Chilo ſe jurat amare
Tutia: nempe odit te, tua quiſquis amat.

De Lanio Soſylo.

De lanio, medicus fit Soſylus? haud nova res eſt.
Fecit enim lanius quod facit & medicus.

In Helim.

Mens levis, Heli, leveſque pedes tibi; certat uterque.
Mens ſuperat; currit pes citus: illa volat.

In Thaliam.

Græcia tres Charites fallax mentita: Thalia
In ſe habet alteruter mille oculus Charites.

De cynthio.

Carmina cum caneret querulas animantia chordas
Cynthius, & mirâ plecteret arte lyram;

Ob-

Obſtupuit, juvenemque diu miratus Apollo,
  Talia ſuſpenſo protinus ore dedit:
Fallor? an ille ego ſum, noſtrive ſimillimus alter?
  Ætate, arte, comâ, nomine, voce, chely?

De Peplide.

Tanta tuæ eſt formæ ſpecies, præſtantia, honoſque,
  Tantaque tam pulchris gratia ineſt oculis:
Ut te ſi ſpectem mea Pepli licentius, omnem
  Præripias pulchris mentem animumque oculis.
At rari tanta, at tam ingens reverentia honeſti;
  Tantum & tam caſti judicium ingenii:
Ut tacitus mecum recolens, ſtupefactus inertem
  Protinus exanimis dirigeam in ſilicem.

In Virgilii Æneida.

Dic mihi Calliope, cujum eſt opus? anne Sororum?
  Non: verum hoc Siren Mantuæ alumna dedit.
Qui labor? ingentem ruit alto a culmine Trojam:
  Exiguus tanta eſt nil niſi flamma cinis.
Felix ſemper opus! ſternis dum Pergama cantu,
  Erectas urbes concutis invidia.

De Floriano Anſelmo.

Mars animos, mentemque tibi; præſtantia membra
  Invictaſque manus Amphitryoniades.
Cynthius ingenium, ſpeciem Semelejus Evan,
  Suadela os; mores ipſe tibi dederas.
Juppiter invidit terris tot Cœlitum honores,
  Atque immaturo funere te rapuit.
Haud tamen ipſe velim lacrimis vexare quietum:
  Nam bene qui vixit, vixit & ille diu.

De Archagatho.

Unum amat Archagathus ſemet; felix in amore!
  Unus rivalem non habet Archagathus.

De

De Eliſſæ amore.

Aurato vellens rutilum de vertice crinem:
  Ut capti in bello vinxit Eliſſa manus.
Facta diu texi, facile ut qui abſolvere palmis
  Sperarem ambroſiæ tenuja vincla comæ
Dum fruſtra quatio, atque arctos effringere nodos
  Molior; æratis ſtringor ut in manicis:
Semianimis crine ab nitidæ nunc pendeo Eliſſæ,
  Quaque trahit pendentem hac ego parte ſequor.

Ad Theodoram.

Amabo, Theodora, dic (potentis
Sic te heræ uſque ſenecta & uſque in aula,
Immunem videar minarum, & iræ;
Nec curam exhibeat, negotiumve,
Neve te adficiat labore quiſquam)
Dum fronti nigra candidæ, & capillo
Prætendis caliendra ſubligato,
Num te fulmina ferre, num te & illum
Eſt ferre intuitum, unde fax, & unde
Amori nova tela ſævienti?
Tu felix Theodora, tu beata;
Iſtud ſi dominæ Deæque noſtræ
Non times prope, quo procul perimus.

Ad Terminum.

Tu quicumque tribus finem decernis agelli,
  Seu ſtipes fixus, Termine ſive lapis:
Hos a læva hortos geminis defende rapinis:
  Servabunt triplices cetera jura viæ.
Hic noſtrâ exiguam ſedem de parte, quotannis
  Facturi nullo ſanguine ſacra, damus.
Turpe hoc, vicino, Capitolii immobile ſaxum,
  Mortali velle cedere, nolle Jovi.

In Homeri libros.

Quid, Lector, iſto in opere tam diu pendes,
  Rerum ſtupens miracula?
Tulere non juga hæc nivoſa Parnaſi,
  Non Pythii vatis, mele.
Non impotentum jubila alta Faunorum,
  Rupes vel Arcadum inviæ:
Jovis vel incitata fulguratoris
  Orbis decemplicis rota.
Sed Dii Deæque omnes, parenſque Natura,
  (Nam molis hoc tantæ fuit)
Quid ſpiritus poſſent, quid & animæ, & vires,
  Menſi omnibus ſemel modis.

In Thraſybulum.

Rogatus olim, cum tyrannis volveret
  Thraſybulus exitium Atticis:
Quas gratias ipſi referret Patria,
  Tam maſculo auſu libera?
O, inquit; omnes Dii velint, quod debeo,
  Ut retuliſſe me putet.

De Eliſſa.

Aurea Ledæo formoſior anſere Eliſſa,
  Viſa Deæ ut Veneri eſt;
Invidiam ſenſit meruiſſe: etenim hanc Dea raram
  Effigiem obſtupuit.
Quippe, ſui oblitæ, ſubito cecidere ſoluta
  Cingula de manibus.
Sumpſit virgo, atque omnium ei, ut ſuperata Dione eſt.
  Conciliatur amor.

Apollo ad Arachnem.

Inviſa dudum Diis, Aracne quid ſacram
  Laurum implicas nequiſſima?

An

An arborem occupare te neſcis meam,
  Amaram amanti etiam ſuo?
Ecquid plagas & rara nectis retia,
  Caſſes & incaſſum ſtruis?
Tenere tune ſcilicet de ens putas
  Apollinem quæ fugerit?

Ad Næviam.

Cuncta ſimul video cum te video: omnia ſed ſi
  Adſpiciam ſine te, Nævia, nil video.

In Amorem ligatum.

Funde diu vinctus gemitum, Deus improbe, & exlex,
  Funde diu tepidas ex oculis lacrimas;
Prædo pudicitiæ, & rationis, mentis abactor,
  Cæcum vulnus, edax cura, protervus Amor.
Abſolvunt homines gravidis tua vincula curis:
  Tu modo da rapidis irrita verba Notis.
Nam quem accendiſti miſeris in mentibus ignem,
  Extinctum lacrimis nunc quoque cerne tuis.

In Mænam.

Mœna, nimis mendax ſpeculum eſt tibi vera referre
  Si velit, hoc iterum velle videre neges.

In libros Theorematum Anſelmi avi.

Syntaxin Anſelmi ut quadruplicem modo
  Epidaurius vidit Deus:
Jovem increpans; quid profuit telis, ait,
  Necaſſe nos Typhoëis
Inventa ſi mortalium vincunt Deos?
  Non unus his revixerit.

s

Ad Peplin.

Te partes ſequor exanimis, mea Peplis, in omnes,
Anne oculis magnes, ferrea mi eſt anima?
Cæſioliſne mihi inſanum, precor, hiſce ab ocellis,
Fert una & vulnus Peplias haſta, & opem?
An lucis ſtudio mortem per tela per ignes,
Per laqueos peto, per vincula, per gladios?
Quam miſerum iſta juvat ſors ambigua anxia, & exlex
Dum te, dum mea te pupula, Pepli, ſequar.

Ad Furniam.

Plaga Amor eſt miſero; fluit alto a vulnere tabes.
Heu numquam ricco a vulnere inops lacrima.
Deficit auxilii mens indiga: nulla Machaon
Sollicitus ſpargit pharmaca ſemianimi,
Telepſus, ah perii, niſi tu, fera Furnia, Achilles
Forma ſalus eadem eſt unica quæ pupugit.

In Menedemum.

Qui tibi ſint mores, Menedeme, aut qualia facta,
Neſcio; ſed ſcio te peſſimam habere animam.

Ad Poſtumum.

Pauca rogas, tua depereant ne nomina, de te
Ut ſcribam. Inſcribam, Poſtume, pauca: latro es,

Epitaphium Hilarii Anſelmi.

Hoc, Hilarii quodcumque fuit mortale, ſepulchro:
Cetera nec verſu claudere, nec tumulo eſt.

Ad Pholoen.

Uſque adeo jugi ſi te juvat impia fletu,
Et longum, Pholoe, vivere morte meâ:

Quid moror? in noſtrum cur ceſſat dextera pectus?
  Quamquam haud perficies: pectus inane meum eſt.
Tecum animus quacumque volens occumbere morte.
  Sed vitam infelix inde habet, unde perit.
Cauſſa eadem, ut vivam, ut pereant, tua lumina; nec me
  Servare, ut cupias, nec jugulare potes.

In Linum.

Cum tu ſis facie tali, Line, nec pete fontem,
  Nec juga qua nitida defluit amnis aquâ.

De Æneâ.

Confectum ætate Æneas per bella, per ignes,
  Dum pius hinc patrem portat, & inde Deos:
Quid mihi, ait, Danaum inſidiæ? quid Achaica caſtra?
  Relligio invictum quem facit, & Pietas.

JO: FRANCISCI APOSTOLII
A MONTE MAGNO.

Ad Eleonoram Ducem Mantuæ.

DUmmodo tu terras habites, Auſtraſia proles,
  Et facias vultu cuncta beata tuo;
Tunc Venus & Juno, Pallas, Diana, Cybelle;
  Turbaque Divorum ſidera ſumma colant.
In terris quid enim præſtent ea Numina? cum tu
  Mille tuâ referas fronte micante Deas?

Ad eandem.

Laus te cum laude, Eleonora, extollere vellet,
  Formâ cæca tuâ, mutaque facta fuit.
Ingenii ſpecimen verum cum venit ad aures;
  Obſtupuit, ſubito ſurdaque facta fuit.
Tunc ſecum: ſileat quidquid celebravimus ante:
  Exſuperat laudes Eleonora meas.

De Laurâ.

Ah quoties faculas, quoties fera tela, ſagittas
  In me direxit deſidioſus Amor:
Cum mihi nec faculæ, mihi nec nocuere ſagittæ,
  Irrita quin toties tela Cupido ſcidit.
En modo vix Lauræ proſpexi flentis ocellos,
  Quis credet? lacrimis me ferus urit Amor.
Heu, quo confugiam, lacrimis ſi accenditur ignis?
  Uror; jam lacrimas comprime, Laura, tuas.

Ad Antonium Georgium Alexium.

Cur cæcus Deus erret Amor, miraris Alexi,
Curque ego factus inops & ſine corde ferar?
Deſine mirari: mecum dum forte Cupido
Spectaret Lauræ lumina pæta meæ;
Uno illa intuitu, riſuque & fronte ſerenâ,
Eruit huic oculos, & mea corda mihi.

Cum Virtute Fortuna.

Sit Fortuna comes, dum Virtus ipſa carinæ
Imperet; haud verear tradere vela Notis.
Tunc mihi pro patriâ quevis ſit terra quid ultra
Perſequor? his ducibus vivere ubique datur.

Ad Cupidinem.

Solus, inops, exſpes tunc ſum, cum ſidera frontis
A me deflectit Laura ſuperba ſuæ.
At formoſa in me ſi vertit lumina, reddor
Torridior flammis, frigidiorque nive.
Hos precor affectus, aut miſce, aut ſolve Cupido:
Sentiat aut ictus fac, mea Laura, pares.

De Neme Dracona Cotta.

Pingentem Nemen Venus aurea vidit Apellem;
Conſtitit, atque inquit, num tibi viſa fui?
Cui Cous: non te, ſed Nemen vidimus; illam
Quæ pro te in terris eſt modò dicta Venus.

Ad Gulielmum Campum Medicum.

Hippocratem flevit, flevit Medicina Galenum.
Vive diu, ne te, Campe, perenne fleat.

De Dianâ.

Tergeminam perhibent mortales eſſe Dianam,
In cœlo, in terris, Tartareiſque vadis.

In

In terris caſtam referunt; in faucibus Orci
 Sponſam; laſciviam regna tenere poli.
Pro Superûm pietas! an terræ numina vincunt,
 Inferni, & cœli numina magna Deûm?

In vulgus.

In me quid rabido, vulgus, fremis ore, profanum?
 Crudelique animo bella cruenta moves?
Nondum in me poterit vetus illa paræmia dici;
 Dejecta quivis arbore ligna legat.
Hæret enim mea laurus adhuc radicibus imis
 Nixa, feritque altâ ſidera celsa comâ.

In Fortunam.

Cur numquam, Fortuna, potes conſiſtere eodem
 In tractu, tentas ſed variare vices?
Infima nunc tollens ad lucida ſidera, nec non
 Alte quæ tuleras rurſus ad ima trahens?
Id rota noſtra facit: caveas, dum gaudia monſtro;
 Tunc etenim miſeris deteriora paro.

De Octavia Paltra.

Forte Cithoriaco pectebat pectine crines
 Electro ſimiles candida Paltra ſuos;
Quos cernens Pataræus, ait: quid lumina proſunt
 Noſtra? quid ignivomis addere calcar equis?
Si tellus Solemque ſuum, ſua lumina profert,
 Si Paltræ illuſtrat crinis honoſque ſolum?

Ad Lauram.

Dum genus humanum reparat cum conjuge Pyrrha,
 Et ſilices jactant poſt ſua terga ſenes;
Non antiqua parens genuit te, ferrea Laura,
 Jactatis ſaxis, aſt adamante rudi.

Ad eandem.

Cum rigeat, tibi, Laura, ſilex in pectore, quis te
Non genitam Pyrrhæ dixerit eſſe manu?

Eidem.

Si rigidas ſilices, ipſam Propætides auſas
Eſſe negare Deam, fecerat alma Venus;
Audes quæ Venerem, Veneriſque negare puellum,
Quas meritas pœnas, ferrea Laura, dabis?
Laura dabis pœnas: tibi namque ut ferrea mens eſt,
Sic cernere ferox reddita jure chalybs.

Ad eandem.

Pulchra verecundo faciem dum, Laura, rubore
Suffundis, pallent protinus ora mihi.
Affectus ſi quis varios mirabitur, hi ſunt;
In nos non eadem ſpicula fixit Amor.
Tela tuos vultus tantum petiere; medullas
Intus atrox noſtras urit at igne Deus.

Ad Narciſſum.

Das meritò, Narciſſe puer pulcherrime, pœnas,
Das meritò, & facies te tua jure capit.
Jactabat fruſtra voces reſonabilis Echo:
Nunc fruſtra vultus expetis ipſe tuos.

Ad Lauram.

Vidit Amyclidæ formam formoſus Apollo;
Ut vidit formæ captus amore fuit.
Pulcher Amyclides potuit ſi vincere Divum,
Pulchrior an poteris vincere, Laura, Deos?
Vincere, Laura, Deos poteris (quis deneget?) omnes;
Sed cave ne Semeles tu quoque ab igne cadas.

De Laura ad Gaſpar Beltranum.

Cur ſpeculum quæris Veneri mea Laura dicarit?
  Nec vultus fonti credat, ut ante, ſuos?
Occurrunt animo Narciſſi, Gaſpar, amores,
  Et ſimili dubitat pulchra perire nece.

In Balbulum.

Cur peſtem refugis, cum tu ſis, Balbule, peſtis?
  An valeas umbram profugere ipſe tuam?

Ad Luciam Paltram.

Lucia, cum facies tibi luceat, ut ſolet almus
  Lucifer, Eoo cum vehit axe diem;
Utque ſolet Phœbus, cum claro ſidera cœlo
  Pellit & æquoreis lucidus exit aquis.
Nomine quod ſignas, ſic præſtas luce ſerenâ,
  Et luces animo, Lucia, & ore micas.
Tu claram præbes lucem mortalibus ægris,
  Lucia, tu lucis diceris eſſe Dea.

Ad Nemen.

Lumina ſi vertens in te mortalia, Neme,
  Pectora ſidereæ frontis honore rapis.
Nil miror cœlo, Neme, delapſa ſereno
  Nos, quæ Cælicolis grata futura, doces.
Inde Dionæos crines, formamque tuliſti,
  Numina Junonis, Palladiumque caput.
Inde pudicitiam Veſtæ, mentemque Dianæ;
  Et pro luminibus ſidera dempta polo.
Quid Charites ſociæ tibi ſunt, doctæque ſorores,
  Teque volunt decimo compoſuiſſe thoro.
Lumina ſi rapias igitur mortalia Neme;
  Nil miror, rapias cum ſpecioſa Deos.

Ad Jo: Baptiſtæ Parlaſcum.

Cur ego decipiar toties, Parlaſce requiris,
Meque meâ falli credulitate ſinam?
Quære parce: mihi ſemper nam verba dabuntur.
Donec dediſcam candida verba loqui.

Ad Marghbaritam Zupbam.

Palladis ingenio Genius dum invidit, acuto
Ingenio tibi dat vincere, Zupha, Deam.

In Læliam.

Eſt forma, eſtque decor cum nobilitate, pudorque,
Eſt dos ampla tibi, Lælia, ſunt & opes.
Eſt in te ſed enim quoque tanta ſuperbia; tete
Et formam, & dotes perdat, & oris opes.

In Torquatum.

Quod tibi ſint tereti gemmata monilia collo,
Mirantur populi, miror & ipſe ſimul.
Cum rapias etenim, prædeiſque omnia, collo
Num magis apta forent ſtupea vincla tuo?

Ad Dejaniram Paltram.

Si tua vidiſſet quondam Priameius heros
Pectora, ſi mores, Deianira, tuos;
Inter formoſas cum ſis formoſior omnes,
Oraque purpureis ſint tibi plena roſis;
Non Helenes formam celebrarent carmine vates,
Sed ſpeciem, mores, ingeniumque tuum.

Ad Lauram.

Si vinclis tecum queis vinxit Lemnius olim
Cum Mavorte Cyprin vinctus & ipſe forem;
Tunc, mea Laura, Deos accerſeret undique, vellet
Mulciber ut fierem fabula nota polo.

Hoc

Hoc unum ne quis diſſolveret illa, timerem:
  Suavius hic donec conderet urna forem.

Gulielmi Gonzagæ Montisferrati Principis.

Sæcula ferratos montes antiqua ferebant
  A ferro: & merito; luſtra fuere feris.
Corruerat Virtus; tantum fera bella vigebant.
  Juſtitia hinc aberat cum pietate Fides.
Aſt iterum cœlo cum ſit delapſa ſereno
  Aſtræa atque fides, te Gulielme duce;
Quo duce cuncta valent, quo condecorata vireſcunt.
  Omnia, quo populis eſt data vera quies.
Sint priſco procul a ferro; dicantur ab auro
  Jure tui montes: aurea ſæcla vigent.

Ad Eleonoram Auſtriacam.

Quod facies in te cœlo ſit digna ſereno,
  Mortales omnes, Eleonora, ſtupent.
Sed magis atque magis mirantur, cum quoque cernunt
  Virtutes animi vincere cuncta tui.
Sed cum te pateat regno veniſſe ſupremo,
  Quid mirum ſi par forma animuſque polo eſt?

Ad Petrum Maillardum.

In numeros vertiſſe tuos ſua ſpicula Amorem
  Senſimus & nullus, Santo poëta, neget.
Carmina vix oculis poteram cognoſſe, repente
  Uſſit flamma recens corque animumque meum.
Saucius & dixi; veteres jam cedite amores;
  Santonis en vatis me novus urit Amor.

Annæ Guatiæ.

Juppiter omnipotens, rerum bonus arbiter, Anna,
  Cum cuperet terris tradere mira ſuis;

In

In te una poſuit, cœlo quæcumque feruntur
  Miranda, ingenium, conſpicuumque decus.

In Fabianum.

Hactenus auxilio grato mihi præſto fuiſti;
  Nunc temere officium conteris ipſe tuum.
Quæ te cauſſa movet? facti, dic, pœnitet? an me
  Ingratum cenſes, immemoremque fore?
Quod petulans mulctræ jam plenæ lactis abunde
  Capra ſolet pedibus, ſic, Fabiane, facis.

In Cyrnum.

Nomina ſi vatum ſacrorum, Cyrne, peribunt;
  Tunc dabitur vatum laurea prima tibi.
Extabunt vatum ſed dum ſacra nomina, toto
  Extabit nullum nomen in orbe tuum.

In obitum Lauræ Naſiæ.

Ut Lauram vidit Mors effera falce peremptam;
  Majus, ait, noſtro quæ Dea numen habet?
Concidit hoc ictu Pallas, Diana, Venuſque;
  Concidit & quicquid pulchrius orbis habet.

De eadem ad Gaſpar. Beltranum.

Hic qui ſit tumulus, quæ ſint hæc buſta requiris?
  Hoc tumulo, neſcis? Naſia pulchra jacet:
Nec mirere velim, ſi tot modulamina ſentis,
  Quæ mulcent aures nocte dieque tuas
Hîc Muſæ, hîc Charites caram, Beltrane, ſororem
  Dum flent, certatim carmina culta canunt.

In eandem.

Urna quòd hæc ſpiret redolentia balsama quæris?
  Balsama quodque fluant undique mixta roſis?

Hîc

Hîc Lauram Cytherea Venus concluſit ademptam;
Quarta ſoror Charitum quæ fuit una trium.

De eadem.

Hoc incluſa jacet ſub marmore Naſia: ſed quid?
Naſia non jacet hîc; ſed jacet ipſa Venus.

In eandem.

Jam Lauræ tumulum lauri exornate, poëtæ;
Frondibus: hic lauri gloria Laura jacet.

In eandem.

Juno, Venus, Charites, Phœbus, Diana, Minerva,
Relligio, Pietas, Theſpiadumque chorus,
Forma decens, & recta fides, clementia, celſi
Gloria Taurini, virginitatis honos,
Conduntur tumulo, quid prodeſt dicere in iſto?
Hoc tumulo, ſatis eſt dicere, Laura jacet.

Epitaph. Aloiſii Taliani.

Conduntur cineres aliis atque oſſa ſepulchris;
Hic tegitur Virtus, hic Medicina jacet.
Hoc jacet in tumulo Pæon Aloiſius alter,
Hic decus, hic patriæ ſpes columenque jacet.
Viderit hæc ſiccis oculis qui marmora, lætus
Exitium patriæ viderit ille ſuæ.

De eodem.

Qui tumulo dignum Taliani ſcribere carmen
Percupit, hæc ſcribat: Cynthion urna tegit.

Ad Laurentiam Paltram.

Quæ Triviæ, & Veſtæ, quæ contribuere Minervæ,
Junoni & Cypriæ ſæcula priſca Deæ;
Paltra, in te plenè modò repperiuntur in unâ:
Ingenium, ſpecies, cum ſpecieque decus.

De

De Vulcani, & Amoris vi.

Lucida Vulcani fugiant cur lumina amantes,
Quæris? privigni lucidiora micant.
His ducibus fretus, tendit per opaca locorum
Quiſquis amat: magnum eſt lumen amantis amor.

In Lauri corticem.

Non tegis, heu, cortex Daphnes pulcherrima membra;
At Clarii vatis mentem, animumque tegis.

In mulierum formam.

Perſpiciens canos tandem Ledæa capillos
Et ſcabrum rugis os, tremulaſque manus:
Atridum fuerat quæ mens, quæ Neſtoris? inquit,
Hectora quid cœpit, Priamidemve Parim?
Europæ atque Aſiæ, clades quot noſtra tulerunt
Lumina! quæ, facies non bene nota, mala!

Ad Laurentium Tubam.

Soluere ſi noſtrum poſſet Silvanus amorem,
Nil intentatum linqueret ille Tuba.
Soluere tardipedis citius ſed vincula poſſit,
Queis Venerem vinxit, Threiciumque Deum.

Ad Theodorum Sangeorgium, de ſuâ Joannâ.

Si, Theodore, ætas Joannam priſca tuliſſet,
Nullum Penelopes eſſet in orbe decus.
Nec mihi Phyllacides, nec laudaretur Eliſa,
Nec comes abſumpto Laodamia viro.
Occuleret tinctos generoſa Lucretia cultros,
Rejiceret calidas Porcia ab ore faces.
Romaque turrigerâ caput exorbata corona
Diſceret ingenuas diſſimulare nurus.

Scilicet eſt clarus, cui per fera vulnera nomen;
Clarior at caſtus, ſed ſine cæde pudor.

De Venere, & Diana.

Certantem ut ſilvis vidit Cytherea Dianam,
Subridens, curſus quis tibi finis? ait.
Cui Dictinna refert: dubitas quid Cypria? curſu
Non ego Gradivum, ſed ſequor uſque feras.

Ad Nemen.

Ille ſuis jungit Nymphis te Rhenus, at arva
Barbara quis, Neme, te genuiſſe putet?
Tuſcam ego te potius, vates quæ vincis Etruſcos
Dulcibus eloquiis carminibuſque, canam.
Sed Latium ſileat, ſileat jam Græcia tota,
Et cedant Tuſci; tu nova Muſa venis.

Ad eandem.

Non mihi, quod mittam, Neme, nova carmina, debes
Tollere quod nomen nitar ad aſtra tuum.
Quin fateor debere tibi; tua numina namque
Me vatem faciunt & ſuper aſtra ferunt.

In Icari ſimulacrum.

Icare, dum tendis præceps, temniſque parentem;
Quid natis proſit, quid noceatve mones.

In Aſcanium.

Clitorio non fonte ſitim ſedare juvabat
Aſcanium, Bromio qui bene fidus erat.
Illi Threicius potius Lynceſtius amnis
Perplacuit: titubet cernis ut ipſe pede?

De Jacoba Bellonâ, uxore Bonif. Blingeri.

A veteri quantum diſtet Bellona Minervâ
Neſcis? hæc vera eſt; ficta ſed illa fuit.

Ad Eleonoram Auſtriacam.

Carmina ſi poſſent animi celebrare decorem
  Noſtra tui, & mores Eleonora tuos,
Ut finxit pulchros pictura corporis artus,
  Compoſitos vultus, cumque rubore genas;
Abs te quiſque procul Naturæ cernere poſſet
  Ideæ vires, perſpicuum vel opus.

Ad Camillam, in obitum matris.

Deſine jam charæ funus deflere parentis,
  Comprime jam gemitus, mœſta Camilla, tuos.
Corpus inane licet fletum claudatur in urnâ;
  Crede mihi, genitrix non tamen ipſa jacet.
Nam Pietas & priſca Fides, quâ clara refulſit
  Vivens; non tenebras ſentit, at uſque micat.

De effigie pictâ ab Ambroſ. Olivâ.

Quis generare manus pictoris credet Olivæ?
  Et tamen hæ gignunt, pingere cum cupiunt.
His varios natura (vides?) conjuncta colores
  Miſcuit: haud ſola ars tale dediſſet opus.

Ad Marcum Antonium Cottam.

Dum tibi fulgebunt Pario de marmore tecta,
  Et Cererem & Bacchum jugera culta dabunt;
Quiſque tuus fieri cupiet præcarus amicus,
  Atque frequens viſet limina, Cotte, tua.
Sed ſi menſa brevis fuerit, ſi curta ſupellex,
  Crede mihi, ſolus tunc ego amicus ero.
Liber, & alma Ceres non me hac vinxere catenâ;
  Sed Virtutis amor pectora vincta tenet.

De

De Georgio Ripa Ticinenſi.

Permeſſi, juvenes, ripam quid quæritis? illam
Jam Muſæ & Clarius deſeruere diu,
Ticinique colunt ripam: properate, parantur
Nam veſtris illic laurea ſerta comis.

Antonio Ferrario.

Sit licet a ferro nomen tibi, non tamen ipſe
Judice me, Antonii, ferreus eſſe potes.
Ingenium, moreſque tui, pietaſque videſne
Ut patriæ referant aurea ſecla tuæ?

De Lucretia, & Bruto.

Quid deceat matres, docuit Lucretia cultro,
Quidque viros, Brutus tela cruenta ferens.

Mons ferox ad Gulielmum.

Cum procul hinc fraudes, cædes, incendia, furta,
Et nec ſint homines jam ſine lege truces:
Cur fluat hinc nectar, hinc lac, hinc roſcida mella,
Mene rogas? cur vel ſit mihi tanta quies?
Hoc Aſtræa facit cœlo delapſa ſereno;
Regnat ſub forma quæ, Gulielme, tua.

Ad Lauram.

Si te non peramo; peream, mea Laura: ſed cheu,
Si peramo, cur me vis peramando mori?

Ad Herſiliam Comitem Valentiæ.

Si Zeuxis rurſus Ledæam pingere vellet
Non centenæ ipſi virginis eſſet opus:
Tradere tu tantum poſſes, Herſilia, normam,
Cum vincas formâ, luceque mille Deas.
Sed neque te Zeuxis nec Apelles pingere poſſet,
Tantum nulla poteſt ars ſimulare decus.

De

De Joanne Taliana.

Tempora priſca ſuam Venerem coluere; ſed illa
Pulchra licet fuerit, mœcha pudenda fuit.
Nos Janam colimus pro Cypride, cui Cypris ipſa
Formâ, cui cedat caſta Diana fide.

Ad Nemen Draconam.

Deſine jam madidos Phœbeis pandere crines,
Deſine jam radiis, dia Dracona, tuos.
Phœbus ut ipſe tuâ vincatur luce, videſne?
Ut pudet, ut celeres decolor urget equos?

In pumilionem.

Sic me contemnis quia dicor parvulus? infans
Nonne minor nobis, eſt pharetratus Amor?

Ad Gaſpar. Beltranum.

Sæpius eximium ſcribam cur carmina, nomen
Quæ reſonent Nemes, Gaſpar amice, rogas?
Forma, decor, clarumque genus, mens, forma pudorque
Me vatem faciunt, & ſuper aſtra trahunt.

In obitum Margaritæ Valeſiæ.

Tres quondam fuerant Charites, Aglaja, Thalia,
Euphroſyne, Cypriæ numina grata Deæ.
Aurea ſed terris iterum cum ſæcula vellet
Juppiter omnipotens reddere forte ſuis:
Margarin occiduas claram demiſit in oras;
Hæc Charitum, & dixit, ſit volo magna Charis:
Quo velut in ſpeculo, cœleſtia noſcere poſſit
Numina, qui noſtros optat adire thoros.
Hæc populis pacem reddet, regumque potentum
Componet genios, magnanimumque Ducum.
Edet & in terris natum, qui pignus amoris
Extabit noſtri, ſæcula priſca ferens.

De-

Dehinc iterum ad Superos (juro) revocabimus arces,
Gemmâ hac ne careat regia noſtra diu.

Ad Claram Annibaldam.

Cede Minerva, Paris clamabat, cede creata
Saturno, formâ vincit utramque Venus.
At modo ſi claros ſpectaret, candida vultus
Clara tuos; cedat, diceret ille, Venus.

De tumulo Balbi.

Atro qui Balbi tumulum carbone notavit.
Nonne putes ſacras hunc habuiſſe manus?
Non poterant equidem ſcriptis melioribus uti;
Non graphio, aut cartâ, non meliore nota.

Ad Ruffum.

Exoptas quid, Ruffe tuis ingentia votis
Imperia, ac urbes quicquid & orbis habet?
Ah neſcis, quantum ſecum diadema pericli
Adferat; ah neſcis ſceptra quid alta ferant!
Si ſcires, Oſſan potius te ferre juvaret,
Vel grave Siſyphiæ voluere molis onus.
Crede mihi; ſi nota forent tibi ſceptra tyranni;
Aglai malles pauperis eſſe comes.

In Margaritam Valeſiam.

Dum magis atque magis tento celebrare nitorem
Occiduæ Gemmæ, perſpicuumque decus;
(Me miſerum) videor calathis includere Phœben,
Et face Phœbeis addere lumen equis
Fluctibus æquoreis undas ſuperaddere Granæ,
Sideraque immenſi dinumerare poli.
Cum Tuſci, Græcique ſimul, vateſque Latini
Cum Muſis nequeant digna referre Deæ:
Ipſaque laus victam fateatur ſe fore laude
Hujus, & huic cedat quidquid in orbe micat.

Ergo quid faciam? pronus ſine fine tacebo,
Et tantum huic animum, corque dicabo meum.

Lauræ tumulus.

Hic mea Laura jacet; fallor, non eſt mea Laura,
Eſt Venus, heu, jacet hic & pharetratus Amor.
Nam pharetra atque arcus ſunt hic, ſunt ſpicula cæca,
Quæ Superûm poterant figere corda Deûm.

Animus ſpectatur.

Juppiter omnipotens animum, non munera, ſpectat;
Cum Craſſum ſuperet ſæpius Irus egens.

De Neme.

Cum numeros Nemes audiret Cynthius, inquit,
Unde meo decima eſt addita Muſa choro?
Tum mores, geniumque videns, frontemque ſerenam;
Unde ſoror, clamat, Cynthia noſtra venit?

In obitum Margaritæm Valeſiæ.

Margaridos mortem vates non carmine deflent;
Namque Deam norunt non potuiſſe mori:
Sed muliebre decus, formam, ſanctumque pudorem
Quod ſecum abſtulerit, dum ſuper aſtra volat;
Dumque polum radiis luſtrat, mœſtiſſima tellus
Perpetuo tali ſit caritura Deâ.

Ad Laurentium Tubam.

Divitiæ cum ſint irritamenta malorum,
Cum ſecum referant multa Pericla, Tuba;
Cur tamen a cunctis optantur? curve petuntur,
Cur retinet primum ſemper in orbe locum?

De Margarita Valeſia.

Margaris ut primum Valeca venit in oras
Cœlicolum Superis eſtque recepta choris;

Jup-

Juppiter & Pallas, Juno, Diana, Venuſque
 Di que omnes, omnes obſtupuere Deæ.
Utque erat attonitus Titan; nil pulchrius, inquit,
 Terra habuit, Stygiæ flumina teſtor aquæ.
Hæc decus, hæc formam ſecum, ſanctumque pudorem
 Abſtulit, hæc ſancti quidquid in orbe fuit.

Ad Gabrielem Monſericinum.

Me ſolum credis, cum ſolus ſæpius errem,
 Et fugiam tritas, Monſericine vias?
Falleris ah, ſolus tunc ſum, cum forte coronâ
 Me cingit vulgus, turba proterva, rudi.
Nunc videor ſolus: ſed me properante, caterva
 Theſpiadum ſequitur, Cynthius itque comes.

In Maximum.

Ignotus fueras cum nobis, Maxime, certe
 Te fore credidimus non ſine mente virum.
At notus magis atque magis cum forte fuiſti,
 Es viſus minimus; viſus es imo nihil.

In Marghavitæ Valeſiæ obitum.

Quæ nituit terris ceu Phœbe Margaris; en nunc
 Emicat excelſo ſuſpicienda ſolo.

In eundem.

Sol oriens, cœlo ut vidit ſplendeſcere Gemmam,
 Quæ nova ſtella refert, nocte dieque micat?

Ad Clementem.

Tam brevibus ſpaciis hominum conſtringitur ævum,
 Herba ſit ut fugiens ſolſtitialis homo.
Cur tamen, ô Clemens turres, cur mœnia condis?
 Mœnia perparvo tempore danda ſolo.

De Genua urbe.

Cur tot Cæſaribus, tot Tarquiniiſque redundem
 Mene rogas? Brutos non mea terra parit.

Ad Stephanum Guatium.

Aras, ô Guati, ſi ſæcula priſca dicarunt
 Threicio vati falciferoque ſeni;
Degere quod populos una docuere, per agros
 Errabant p iſim qui ſine lege truces:
Nonne erit ingratum ſæclum hoc, ni dedicet aras
 Nunc tibi, qui populos juſque piumque doces?

De Phœbo, & Vulcano.

Cyclopum viſens Vulcanum Phœbus in antris,
 Tune paras, inquit, fulmina ſæva Jovi?
Inſidias, laqueoſque para; galeatus adulter
 Conjugis en iterum candida membra fovet.
Mulciber at contra: quidnam, quid, Phœbe, parabo,
 Retia ſi chalybis non timuere mea?

Ad Joannem Vincentium Stanchum.

Si donantem animum, non munera cernere par eſt.
 Et pretio melior mens bona ſemper erit.
Non pyra ſed certi mitto tibi pignus Amoris;
 Quo te proſequimur, magnificamque domum.
Cordis ut humani referunt pyra noſtra figuram,
 Sic etiam noſtrum cor tibi, Stanche, ferunt.
Accipe noſtrum ergo pariter cor, & pyra noſtra,
 Cumque tuus totus ſim, meus eſſe velis.

Ad Victoriam Bobbam.

Et Cypriam carpſit Momus, Victoria, divam:
 Scommate tum Pallas dilaniata fuit.

Sed

Sed quod nec Veneri fas eſt, nec mille Deabus;
  Nil, quod te poſſit carpere, Momus habet.

Ad Lælium.

Cum careas opibus, cum ſit tibi curta ſupellex,
  Numquid divitibus bella ciere putas?
Falleris, & fruſtra jactas tua ſpicula, Læli.
  Divitiæ ſiquidem vulnera nulla timent.
Hæ vires ſuperant hominum, legeſque verendas
  Temnunt; nonne illis cuncta licere vides?

Ad D. Laurentium Tubam.

Non tibi quæ dederim, Tuba, ſunt ſpectanda benigno
  Vultu; ſed dantis perſpiciendus Amor,
Juppiter omnipotens animum circumſpicit ante.
  Quam data ſit templis victima grata ſuis.

Ad Nemen.

Candida, prædaris modo ſi mortalia corda,
  Non mirum, Neme, moribus, ore, modis.
Natura omniparens cum te formare pararet,
  Traderet ut terris, quæ ſuper aſtra micant,
Furata eſt primum toto duo ſidera cœlo,
  Et capiti impoſuit lumina clara tuo.
Tum rapuit Phœbo radios, pro crinibus eſſent
  Ut tibi, queis fulges, Phœbus ut ipſe micat.
Junoni inceſſus, Veneri os, doctæque Minervæ
  Abſtulit ingenium, Tergeminæque decus.
Et Charites nudas deſerta Cypride juſſit
  Præterea comites eſſe ubicumque tuas.
Cum furtiva quidem, Neme, ſis tota, quid ergo
  Eſt mirum, ſi fur diceris una Deum?

Ad Jacobum Lanam Medic. Valent.

Num ſatis hoc fuerat, dic, ô celeberrime Lana,
  Auxiliis ægros poſſe levare tuis?

Et Phœbus dici merito, & Podalirius alter
  Evaleas, morbos dum pius arte fugas.
Dulcibus aſt etiam verbis vis pellere lites,
  Infeſtant patriam quæ ſine fine tuam?
Civica debetur duplex tibi laurea, proſit
  Membris, atque animis cum tua cura duplex.

In Byrſam.

Orator bellus cum ſis, & bellus amator,
  Quum tibi ſit primus ſemper in arce locus:
Quum ſis ſcurra vagus, quum ſis delator in aula:
  Demiror loculos, Byrſa, vacare tuos.

De Balbo.

Cur magnos habitet montes meus urbe relicta
  Balbus, mene rogas? altius ire cupit.

In Paulum.

Quid facis, ah demens, quid me vis perdere technis,
  Cum te plus natis, luminibuſque colam?
Bis vitam effundis commiſto ſanguine, bis te
  Occidis gladio neſcius ipſe tuo.
Incaſſum ſcelerare manus jam parce, quid inſtan?
  Non tua tela mihi ſed tibi, Paule, nocent.

NICOLAI ARCHII

VERONENSIS.

Imitatio Arioſti.

DUlces lacrimulæ meæ puellæ,
Quas deſiderium pium movebat,
Quæ vultus modo candidos rigabant
Guttatim, & roſeis genis fluebant,
Ac ſi rivulus irrigaret unda

Flores

Flores, purpureoſque, candidoſque,
Ac per mollia prata laberetur!
Tam ſuavi in pluviâ nitens Cupido
Inſidebat, uti ſolet volucris
Ramo vere novo ad novos tepores
Poſt ſolem accipere ætheris liquores,
Geſtire & pluviæ ore blandiendo.
Has inter lacrimas & hunc dolorem
Quaſſabat geminas faces Cupido,
Exire ut faceret novas favillas.

Ad ſuos oculos.

Quid tot procaces lacrimis ſinus fruſtra
Rigatis oculi? quid cruore manatis?
Hoc eſt, quod inquiunt ſapere Phrygas ſerò.
Tum lacrimari, tum dolere oportebat,
Cum vos, ſceleſti, meque perditum iretis.
Quoties rogavi, dicite quoties ſupplex
Per me obſecravi, per meaſque fortunas,
Ut hæc roſetis æqua labra Pæſtanis,
Vultumque cerni lubricum caveretis?
Nil me, ſceleſti, miſeret, aut piget veſtri:
Cordis dolet ſolius: quod modis miris
Pœnas furoris innocuum luit veſtri.

Pedibus ſuis.

Amabo, quo me, laſſuli pedes, fertis
Vix ſuſtinentes ſemimortuum corpus?
An ad cruentum limen, ad fores illas,
Ubi hanc, miſelli, pœne liquimus vitam?
Quid ah quid ultro convolatis ad mortem?
Quid ſponte in acres ponitis manum flammas?
Ni vos (ſed olim viderit ſator divûm)
Tot ejulatns lacrimaſque pertæſi
Utcumque tantis quæritis malis finem.

Tumulo M. Antonii Turriani.

Ante annos ſciviſſe nocet: nam maxima virtus
Perſuaſit Morti, crederet eſſe ſenem.

JO: BAPTISTÆ ARCUTII NEAPOLITANI.

Victoria Naupactiaca.

QUæ Divos celebras, & fortia facta virorum
Dulcibus exornas numeris, æternaque reddis,
Muſa Jovis ſummi ſoboles pulcherrima Clio
Lætitiâ precor in tantâ, quâ maximus Orbis
Terrarum latè, ac ſeptem cum collibus alma
In primis Roma exultat, domus inclyta Divûm
Pro clade ingenti Turcarum, & claſſe ſubacta,
Jonio in magno; rurſus cape condita plectra.
Nam quamquam nullo doctorum carmina vatum
Sunt hodie in pretio, nec habent ſua præmia Muſæ;
Non ingrata tamen fuerit ceciniſſe voluptas,
Et claram Europæ famam extendiſſe per urbes.
Ergo age Diva mihi memores ab origine prima
Quis tanta intulerit Turcarum funera genti.
Ponto Aſiæ in medio ſedet inſula ſacra Diones
Formoſæ natæ, & longè gratiſſima tellus,
Clara viris opibuſque, Cypron dixere Pelaſgi:
Hanc Veneti patres multos tenuere per annos.
Munere ſed vitæ Solymano, & dulcibus auris
Defuncto ſimul imperium ſceptrumque regendum
Sævior accepit Selymus, dum latius optat
Regnorum fines protendere, fœdera rumpit,
Magnanimis quæ cum Venetis percuſſerat olim

Armipotens genitor nullum violanda per ævum.
Tum belli reſerat portas, & claſſe paratâ
Quantam non unquam noſtris audivimus annis,
Impius invadit Cyprum, jamque oppida multa
Cœperat, & paſſim ſpecioſas uſſerat urbes:
Quum Venus hunc miſerans caſum telluris amatæ.
Alloquitur ſic mœſta Jovem: ſi filia verè
Sum tua, ſi de te verè me pulchra Dione
Suſcepit, tua ſi venerans Rex inclyte Divûm
Juſſa ſequor; cur heu pateris tu numina noſtra
Contemni? dilecta mihi (jam deſpice) tellus,
In qua ter centum ſanctè per templa colebar
Uritur, ecquidnam meruit? cur ille triumphat
Audax, contemptor Divumque hominumque tyrannus?
Certè ego, ſi tanti ſunt numina noſtra, recedam
Cœlo, & Tartareas habitabo in gloria ſedes.
Tum pater apprendens dextrâ, dedit oſcula fronti:
Atque ait: iſta quidem juſtiſſima cauſſa dolendi eſt
Nata meus ſanguis: ſed enim temerarius ille
Omnes adverſus Divos, numenque Tonantis
Nil veritus [quamquam magna cum ſtrage ſuorum]
Cypron habet, ferroque & flammis omnia vaſtat.
Hæc ego permiſi, fateor, dum turpia gentis
Chriſtiadum dignis ulciſcor facta flagellis.
Nunc illos toto ex animo quòd pœnitet, ac jam
Mutarunt mores (Stygii per flumina fontis
Obteſtor) terræ faciam, pelagique potentes:
Jam domus Othomani ruat; & quem claſſe ſuperbum
Adſpicis ingenti ſpatioſum currere pontum,
Victorem, atque urbes capere, & regna addere regnis,
Tempus erit, jamque accelerant ea ſtamina Parcæ,
Quum tantis ſpoliatum armis, . claſſe videbis
Exutum, mœrentem animo & .ua fata gementem,
Extremis ſe ſe pavitantem condere Bactris,
Vel qua præcipiti curſu petit æquor Hydaſpes;
Redderturque tibi pauco poſt tempore Cyprus.
Tu modò fac Italæ feriant ſacra fœdera gentes,
Hiſpanæque: tuus labor eſto hic filia mentes
Men-

Mentibus, atque animos animis connectere Regum;
Quo ſimul in Thracum conjuret Roma tyrannum,
Utraque & Heſperia, & Venetum Reſpublica dives.
Dixerat; illa polo Suadâ comitante, loquendi
Artifice, exceſſit, claramque ad Tibridis urbem
Contendit, magnumque Pium, regnator Olympi
Cui dedit in terris aperire & claudere cœlum,
Affatur: viden' ut Scythiæ dominator avitis
Tot regnis non contentus, bella horrida rupto
Fœdere magnanimis Venetis indixerit? & jam
Claram expugnarit Cyprum victricibus armis?
Quin & Corcyræ malus imminet: hac quoque captâ,
Mox illum cernes Siculi ſulcare profundi
Æquora, & huc etiam numeroſa excurrere claſſe.
Surge age: quid ceſſas? tantis obſiſtere cœptis
Te decet inprimis, genitor quem maximus unum
Eſſe dedit Romæ columen, tutamen & omnis
Auſoniæ, pedibuſque tuis regalia ſceptra
Subjecit; tu fac coeant in fœdera fortes
Hiſpani, Venetique, ac ſe ſe ingentibus auſis
Opponant Selymi: dabitur Victoria tandem;
Ne dubita, pater huc alto me miſit Olympo.
  Agnovit Divam ſenior jubet ocyus ergo
Hiſpanos, Italoſque ſimul componere fœdus
Immortale, ſacrum, centum quod duret in annos.
Deduci ingentem claſſem tum mandat in æquor,
Acciri & juvenem clarâ de ſtirpe Deorum
Auſtriaden, belli referentem laude parentem
Divinum, quo non præſtant or alter in armis;
Alciden quamvis, & Græcia jactet Achillem.
Hunc belli eſſe caput tanti, voluitque phalanges
Hiſpanas, Venetaſque, & magnam ducere claſſem
Chriſtiadum Calidi urebat jam terga Leonis
Sol, & pacati ridebant marmora ponti.
Quum Dux Auſtriades Zephyris dat vela ſecundis,
Fratris ab amplexu avulſus, cui plurima parent
Oppida in extremâ Heſperiâ, tranſque æquora latè
Alter cui mundus, tellusque Antarctica ſeruit.

Hiſpanis illum fauſtà quum ſolveret oris,
Filia magnanimi Jovis aurea Cypria, duxit
Per mare in Auſonias oras ad littora pulchræ
Parthenopes, ingens ubi claſſis, & omnia tantis
Opportuna orſis ſtabant jam ritè parata.
Namque bonus regni præſes, pars magna Senatus
Romulei, belli & pacis clariſſimus arte
Pernottus, cujus mirâ virtute regendis
In populis Divus dum vixit Carolus, & nunc
Auſtriades regum rex utitur ipſe Philippus,
Arma, viros, naves, ſimul & quæcumque fuiſſent
Illius ex uſu belli inſtrumenta pararat.
Mox templo in magno ſacris de more peractis,
Olli multa Deos aurata in veſte precatus,
Sceptra, & Pontificis porrexit nomine ſacrum
Vexillum, quo tutus eat per tela, per hoſtes.
Talibus auſpiciis Heros de litore curvo
Parthenopes dat vela Notis, duce Cypride Divâ.
Et jam Pauſilypi colles, Neſidaque pulchram
Liquerat a dextra, Prochytemque ſacrumque Minervæ
Tranſierat montem, & quondam, dum regna manebant,
Teleboum, Capreas armis opibuſque potentes,
Sirenumque domos dulces, ac litus amœnum,
Naturæ gaudentis opus; quum plurima turba
Nympharum regno caput extulit Amphitrites,
Mirantum; quæque illarum pulcherrima Drymo
Sic cœpit; vocem reliquæ tenuere ſorores:
Non has o juvenis fauſto ſine numine ad oras
Veniſti: Poſcunt unum te fata Deorum,
Perdita qui ſceptra Italiæ, & decus omne reponas.
Ergo age, & invictus tanto ne cede labori,
Quamvis Scylla tibi, ſuperandaque vaſta Charybdis,
Leucadiique maris ſcopuli, Patræaque ſaxa.
Quid tua non ſternet virtus? te gloria belli
Attollet cœlo; nam poſtquam claſſe Corinthum,
Actiaque Auguſtis ſemper memoranda trophæis
Attigeris; hoſti occurres, pugnamque laceſſes
Terribilem, crudelem, acrem, quâ nulla fuiſſe
Di-

Dicetur pelago major; licet aſpera multa
Xerxis cum Danais in cœlum bella ferantur,
Et cum Romanis Cleopatræ illuſtre duellum.
Perge age, ne dubita, dextro maris æquora curris
Omine: & his dictis, vitreâ caput abdidit undâ.
Ille iter incœptum properat felicibus Auſtris.
Tertia jamque dies aderat, quum Trinacris oræ
Proſpiciunt longe ſalientem ad nubila fumum.
Lethatur Ducis adventu Sicania tellus,
Gaudiaque exploſis centum teſtatur ahenis
Tormentis: magno reboant cava litora plauſu.
Hic Venetûm bonus occurrit cum claſſe, manumque
Venneriu jungit Dux, & ſacra fœdera firmat.
Jamque ſimul placidas ſulcabant Doridis undas
Heſperii, Venetique Duces, unaque Columnus
Romanæ claſſis Princeps; & ſicubi celſas
Inveniant Cilicum puppes, maria omnia obibant:
Quum prope Brunduſium fuit obvia navis Ibera,
Innumeramque refert claſſem vidiſſe Scytharum,
Attollit qua ſe ponto nemoroſa Zacynthos.
Imperat Auſtriades illuc advertere curſum
Noſtrorum proras, certus committere pugnam.
Ventum erat ad colles Naupacti, ubi maxima gentis
Heraclidarum ſteterant navalia quondam:
Hîc procul ex alto Scythicas videre triremes.
Arma arma ô ſocii exclamat tunc maximus Heros:
Ecce dies toties votis optata refulſit;
Pugnemus; celeri hæc dicens rate ſingula luſtrat,
Componitque acies bello; nec ſegnius hoſtis
Inſtruit ad pugnam naves, noſtriſque propinquat.
Quis claſſem Iſmariæ gentis tunc Ductor agebat
Diva refer, pugnæque modum Genitore Thoante
Ortus Alys, cui Rex Aſiæ commiſerat omnem
Regnorum Europæ molem ac ſæpe horrida bella
Geſſerat eventu felici & Marte ſecundo.
In curvæ ſpeciem Lunæ miro ordine claſſem
Threiciam tumidus ducebat: jamque trecentas
Florentes armis, opibuſque viriſque carinas

Hinc

Hinc atque hinc contra noſtras inſtruxerat audax:
Ipſe quidem torvis oculis, & corpore magno,
Quantus Sicanâ fuerat Polyphemus in Ætnâ.
Et latere a lævo pendebat maximus enſis,
Effulgens, cujus capulum decorabat Jaſpis,
Ingentem dextra clypeum geſtabat, Abantis
Qui fuerat Lyciæ regis, galeaque minaci
Munibat caput, & pectus thorace rigenti
Ex ferro, ſuras ocreis, haſtamque ferebat,
Ad pugnam his acuens Turcarum pectora dictis:
Gradivo quantum Geticis qui præſidet arvis
Debemus Marti, ô ſocii, ſummoque Tonanti!
Qui prædam hanc nobis nil tale putantibus ultro
Obtulerint, gentem imbellem, quam ſæpius olim
Fudiſtis, cunctam & miſere obtruncaſtis ad unum.
Quare alacres committite prœlia, voſque putate
Cum totidem certare, virum ſub imagine, damis.
Maximus Auſtriades contra terno agmine claſſe
Inſtructa ad pugnam Divis comitantibus ibat,
Formoſus facie juvenis, flavoque capillo;
Qualis erat Nireus, Phrygia vel raptus ab Ida.
Huic fabricata manu dederat Cytherea mariti
Arma, quibus contra magnos inſurgere Divos
Vel tutus poterat; conſertam ex ære minutis
In primis loricam hamis, auroque argentoque
Inſignes ocreas, galeamque, enſemque coruſcum,
Cujus erat capulo viridis præfixa ſmaragdus;
Et clypeum: medios alacer quibus ibat in hoſtes,
Bis centum æratas adigens in bella triremes.
Hic omnis flos Auſoniæ, flos omnis Iberæ
Gentis erat: dextra Ligur Auria; Barbariguſque
Legatus Venetum læva; medium agmen agebat
Ipſe Heros, quem circumſtant duo fulmina belli
Hinc Dux Vennerius, Principeſque Columnius illinc:
Atque alii. Tum ſic pelagi formoſa Cythere
Compellat regem: Neptune tridentiger, omnes
Quem ſupra Divos, uno Jove patre Tonante
Excepto, colui, da nunc felicibus Euris

Auſtriades pugnet meus, infelicibus hoſtis.
Sic illa: atque Deus Veneris prece motus amatæ,
Auſtriadæ claſſem felicibus impulit Euris.
Jam fortes utrimque Duces certare parabant,
Quum turmas duri accendens in prœlia Martis
Auſtriades celsâ ex puppi ſic ore profatur:
Si Chriſti vos tangit honor, ſi gloria tanti
Titillat belli, ô ocii, nunc fortiter armis
Tendite in adverſos hoſtes, conferre volentes
Nunc acres in bella manus. Deus æthere pugnat
Pro nobis; ſimul & venti; Neptunus & ipſe,
Sanctus & ille ſenex Romæ qui templa tuetur,
Divorum & mentem novit: mihi maximus ille
Omnia promiſit dextrâ in certamen eunti
Vos eſtote viri tantum, Victoria noſtra eſt.
Imperat his dictis mox claſſica mille, tubaſque
Inflari, ac magno explodi tormenta fragore
Ænea, quo vaſti intremuit domus ardua Olympi,
Oceanuſque imis caput occultavit in antris.
Quis ſtragem illius belli? quis funera fando
Enumeret? magnis animis certatur utrinque.
Turritæ Venetum naves, ſex illa marinas
Inter aquas Caſtella, bonus quas fronte locarat
In primâ Auſtriades, ingentia ſaxa pilaſque
Projiciunt ferri grandes, ſtragem ac miſerandam
Per claſſem dant adverſam, & ſimul omnia turbant.
Tum magnas Turcæ jactant ad ſidera voces;
Exululant, immane fremunt Pſylli, Garamantes,
Æthiopes, Daci, Morini, Ciliceſque Getæque
Occurſant proræ proris; fit maxima cædes.
Auſtriades medios ſic irruit acer in hoſtes,
Ut Leo paſcentes per gramina leta juvencos
Si videat ſtimulante fame petit unguibus uncis
Dilacerans. Alyn ante alios tunc impete vaſto
Aggreditur, roſtroque ratem percuſſit acuto,
Ac tabulas late huc illuc diſiecit in æquor:
Temonemque ipſum, malumque & apluſtria tota
Abſtulit exploſis ingentibus ære cavato

Saxis nigranti miſtâ cum pulvere flammâ.
Neve fuga ſe proripiat tum Barbara puppis,
Grandibus ex ferro tenet harpagonibus arcte
Implicitam, magnis manibus, validiſque catenis.
Aſt Alys intrepidus turba ſtipante ſuorum
Opponit ſe ſe noſtris, & comminus enſe
Obtruncat quicumque manum conferre paraſſet.
Annuit & Barco celeres impellere proras,
Et Ducis a tergo Heſperidum committere bellum.
Præſenſit juvenis fraudem, Siculiſque carinis
Imperat, accelerent curſum, Barcumque repellant.
Jam magnis late reſonat ſtridoribus æther;
Omnia complentur ſonitu, bellique fragorem
Elide cum tota procul audiit alta Corinthus,
Pireneque ſacer Muſis, & pontus uterque.
Invadunt Turcæ Auſtriaden, & ſpicula jactant
Lethali taxo, & Scythicis medicata venenis.
Ille tegens clypeo ſeptemplice tela repellit.
Hoſtilem tandem fortiſſimus inſilit Heros
In puppem, ſequitur ſociorum cetera turba:
Atque Alyn intrepide pugnantem percutit enſe
Qua coſtæ jecur abſcondunt, Erebique coëgit
Ire domum, & meritas Alecto ſolvere pœnas.
Inde Agat obtruncat. Dadagumque, Caramque, Caſamq;
Muſtafamque, uni fuerat cui Barbara gaxa,
Omnis & illius commiſſa pecunia belli.
Quo tamen enſe minus caderet, nil profuit aurum,
Argentumque ſua multum quod puppe ferebat.
Giafferrumque, Oſmanque Perumque trucidat & Affyn;
Et Prouyn, & Ligeryn, uno quos candida partu
Dicitur in magna quondam genuiſſe Libyſſa,
Liriope geminos, concordi pectore fratres.
Nam Provys æratam per coſtas impulit haſtam:
Cui mox auxilium Ligeryn afferre parantem
Adjungit fati comitem, mittitque ſub Orcnm,
Fulmineo medium mucrone in pectus adacto
Cappadocumque Ducis Peribæ, qui fortia letho
Corpore multa virum dederat, perfodit utrumque
Tem-

Tempus, & undivagis projecit piſcibus eſcam:
Atque Amet in totâ regnantem Chalcide ferro
Trajecit medium, Caralymque trucemque Morattum.
Quanta per adverſos hoſtes det funera magnus
Vennerius, dic Muſa Jovis clariſſima proles.
Namque Ducem contra Gyalum, natoſque Dragutti
Tendebat celeri invectus Piſtrice per æquor.
Jamque rates treis illorum combuſſerat igni.
Merſerat atque duas pelago: quum puppe Nearchus,
Cujus erat, torvâ cum fronte, inſigne Leæna,
A tergo prorâ Piſtricem invadit acutâ.
Jamque virum merſiſſet aquis cum puppe decorum,
Ni ſuſtentaſſet dextra Neptunus amica.
Namque ferunt olim Hadriacis quum ſolveret oris,
Vennerium pulchræ Veneri voviſſe, patrique
Neptuno, cui ſtat Venetum Reſpublica curæ;
Si ſoſpes victis aliqua cum laude rediſſet
Hoſtibus in patriam, poſiturum maxima templa
Neptuno in primis, atque Idaliæ Cythereæ.
Hoſtem Vennerius ſic increpat: improbe fraudes
Jam tibi nil faxo proſint, arteſque, dolique.
Dixit, & impellens roſtro ſtridente Leænam
Merſit aquis, nuſquam ſocii, nuſquam ipſe Nearchus
Amplius apparent: tegit omnes cærula Tethys.
Mox & Monſorrem Delphinide puppe volantem
Aſſequitur, teloque caput terebravit acuto,
Myrmillumque necat confoſſo pectore. vaſtumque
Andraleonta, feros Getula per arva leones
Venari ſolitum, rapidaſque occidere tygres.
Aſpera pugnabat dextro Ligur Auria cornu
Prœlia, & ingentem Corinæi Tygrida puppim
Cœperat, ac ſeptem combuſſerat igne phaſelos
Audacis juvenis Chelypi, quibus improbus omnem
Tyrrheni maris aſſiduè vexaverat oram
Mox magnum ſternit Solymæum, acremque Cloanthum
Inſequitur, claris qui tunc regnabat Athenis:
Excedens bello, parva fugit ille celoce
Militiæque Duces Melitenſis, clara propago

Mar-

Martis, in adverſos contendunt fortiter hoſtes,
Et primi pugnas ineunt, Turcaſque laceſſunt:
Non impunè tamen miſeri; namque agmine facto
Inſiluere feri violento pectore Thraces,
Ac latè illorum tinxerunt ſanguine pontum.
Jamque erat in tanto Melitæ prætoria bello
Capta, ſed Hiſpanus properè tunc affuit Heros,
Auxiliumque tulit, ſævoque ex hoſte recepit.
Pone ſequebatur Romani Principis auro
Tota micans puppis, & Chriſti ſigna gerebat:
In qua clarus erat Dux ille Columnius ævi
Priſci relliquiæ, & Romani roboris index.
Abſtulit hic animam piratæ ex pectore Brontis,
Injectoque uſſit tres illius igne carinas,
Luminaque eripuit forti juveni Paralyppo:
Quem genitrix olim Fauno commiſta crearat;
Et nati quum jam cuperet cognoſcere fatum,
Reſpondit genitor: pulchro quem lumine læta
Arridere tibi cernis, ſi bella Latino
Cum Duce congreſſus commiſtat in æquoris undis,
Ipſe quidem patriam vivus remeabit amatam;
Sed tamen hos ipſos oculos amittet acuto
Percuſſus telo, jucunda & luce carebit.
Ergo illum in ſilvis, interque parentis opacum
Tempore ſervarat longo nemus anxia mater,
Nec dabat inde pedem proferre: ſed improba tandem
Sors vicit; nam quum nitido ſe fonte lavaret
Forte per æſtatem, puerum piratica turba
Vidit, & abripuit, crevit puer, ac Solymano
Sic gratus fuit, ut latè regnare per omnem
Juſſerit Arcadiam: quumque omnia fervere bello
Cerneret, inſignis pugnæ ſuccenſus amore,
Ipſe decem primus cum navibus affuit, ac ſe
Addiderat Turcis comitem, magnamque ciebat
Noſtrorum vaſti tunc per maris æquora ſtragem.
Huic oculos telo Ductor Romanus acuto
Eruit, inque fugam vertit, mox eminus haſta
Dejecit magnum transfoſſo gutture Sangam,

Dondomenumq; ferum, atque ingenti corpore Phydrum:
Atque ambos magni fugientes æquore natos
Cœpit Alys vivos, alta ad Capitolia curru
Devinctos poſt terga manus ducturus ovanti.
Hærebat lateri gener huic, Carraſia proles,
Qui Lirim late Princeps dominatur ad amnem,
Clarus avis, & tela truces torquebat in hoſtes,
Conjecta quamvis percuſſus crura ſagitta
Jam foret, & multus manaret vulnere ſanguis.
Ipſe quidem tanti generoſum pectus amore
Dum flagrat belli, deſerta conjuge parvis
Cum natis, Nerei ſulcaverat humida regna,
Ancipitem Martem, & ſoceri vexilla ſecutus.
Illa ſed expectans, & cunctos anxia caſus
Dum timet, heu miſerè morbo correpta, mariti
Præ deſiderio primis intercidit annis,
Ac multas lacrimas patrique, viroque reliquit.
Illuſtres alii Proceres, fortiſſima corda,
Magnanimi juvenes, quos & Tiberinus, & Arnus,
Eridanuſque pater fluviorum, & magnus Iberus,
Et Tagus aurifera celeberrimus amnis arena
Miſerat, in bellum pulchra pro laude ruebant.
Inter quos Princeps Urſinæ maxima gentis
Gloria Paullus erat, clariſque micabat in armis.
Illius robur, grandique in corpore nervos
Obſtupuere Getæ, denſos dum fortis in hoſtes
Irruit, & cornu penetrat per tela ſiniſtrum;
Mammettumque Ducem noſtrorum ſanguine tela
Tingentem, & certo jaculantem ſpicula nervo,
Arreptum dextra interimit, mergitque profundo,
Caſſanumque, Halymumque, & vaſto corpore Staffyn.
Et te, Farneſi juvenis, tum Barbara Claſſis
Obſtupuit pugnantem haſta, tua ſenſit Orontes
Arma ferox, ſenſitque, ferox tua ſaucius arma
Scyroccus, verſa quærens ſibi puppe ſalutem,
Magnus & Urbini natus Ducis enſe coruſco
Fulminat, & toto Scythicas agit æquore naves.
Non illum bello quiſquam ſe attollere contra
Au-

Audebat: ſolus Gurgut, qui regna tenebat
Excelſæ Smyrnæ, claro cum fonte Melete,
Auſus conſeruiſſe manum. & decernere ferro,
Infelix mediis animam exhalavit in undis,
De noſtris etiam pugnantum plurima turba
Fuderunt dulces crudeli funere vitas.
Nam ferus Occyalus (Calabri quem montibus ortum
Fama refert Chriſto luſtrali in fonte dediſſe
Nomina, mox Arabis complexum dogmata vatis
Falſidici, quem cum Libya ſimul omnis adorat
Nunc Aſia, Europæque etiam pars maxima noſtræ,
Abjuraſſe Deum verum, rectaque parentum
Deflexiſſe via) qualis ſub nocte ſilenti
Egrediens ſilva lupus inſidiatus ovili
Dat magnam ſtragem pecoris; ruit æquore toto
Fervidus, inceditque rates, noſtroſque trucidat.
Ille & Cardinei juvenis (quo potior alter
Vix erat Heſperiis aut fortunatior oris;
Quumque tot inter opes potuiſſet ducere vitam,
Maluit Auſtriadæ comes ire, morique ſub armis)
Candida trajecit lethali pectora telo.
Barbarigus multis occiſis hoſtibus, igni
Navibus incenſis partim, partim æquore merſis,
Fortia dum lævo pugnaret prœlia cornu,
Eminus impulſa confoſſus arundine guttur
Occubuit; tanti latuit ſed vulneris auctor,
Nec ſeſe illius jactavit funere quiſquam.
Tum latus, Armenio trajectus ab enſe Soranzus
Bisballuſque, atque Hiſpano qui carmine Divos,
Claraque præſtantum celebrabat facta virorum
Mavorti ſimul & Muſis Toraldus amicus,
Formoſuſque ævi primo ſub flore Quirinus
Occidit, Joniumque infecit ſanguine pontum.
Sacraque gens Melites, audacia pectora, Marte
Durati longo juvenes, quos Barbarus hoſtis
Sæpe ad Byzanti portas, & mœnia vidit,
Ante oculos Selymi captas incendere naves,
Et paſſim populare ſuis cum civibus urbes;

Vulnera per pulchra occubuerunt; ite beatæ
O animæ quo regnator vocat ætheris, ite;
Et capite inſignes palmæ immortalis honores:
Nec, quod marmoreis urnis tellure caretis
In patriâ, dolor hic angat: nam maximus æther
Vos tegit, & quantum rutilâ Sol lampade luſtrat.
Belli anceps fortuna diu ſtetit, æthere donec
Deſpiciens Divum genitor certamina tanta,
Fatorum memor, & Veneri quæ dixerat almæ,
Juſſit ut in bellum deſcenderet acer Apollo,
Exitium, cladémque Getis, & funera portans.
Namque ex Naupacti præcelsâ rupe ſagittas
In Scythicas puppes jacebat, acutaque tela.
Quo terrore feri ſenſim ſe abducere bello
Cœperunt Turcæ, & noſtris dare terga carinis.
Etſi Boſtphorio tum nil fuga profuit hoſti:
Nam velut accipiter pavidas agit ille columbas
Aëra per vacuum, nec deſerit impiger ante
Quam cunctas rapiat victor: ſic maximus Heros
Auſtriades toto fugientes æquore turmas
Inſequitur, tantamque ciet per Dorida ſtragem;
Ut jam ſe rubro mutaverit ille colore,
Brachia, truncataſque manus, & crura, pedeſque,
Et capita adſpiceres ſalſas fluitare per undas,
Perfuſoſque enſes, pharetraſque, & tela cruore,
Intextaſque auro chlamydes, Phrygiaſque tiaras.
Tanto de numero, paucæ evaſere carinæ
Occyalo Duce, cladis iit qui nuncius ipſum
Ad Selimum: capta eſt, abductaque cetera claſſis.
Tunc lauro de more comas fortiſſimus Heros
Præcinctus, tantâ Auſtriades ex hoſte trophæa
Victor in Italiam retulit, duxitque triumphum.
Ibant bis centum, nec habebant ſigna, triremes,
Captæ ex hoſte Ducis poſt terga, omniſque ſonabat
Pontus io victor, Caroli digniſſima proles,
Auſtriades bellator io, paſſimque per urbes
Chriſtiadum Divis actæ ſunt omnibus aris
Immenſæ grates, & debita vota ſoluta.

De Hjeronymâ Columnâ.

Nunc ſume blandam, Melpomene, lyram:
Dicenda nobis eſt Hieronyma
Columna vatum firma, veſtri
Firma chori, Aonides, columna.
Nam ſi decorum eſt, naſcier inclitâ
De ſtirpe quemquam; vix queat altera
Terras per omnes inveniri
Progenie ſata clariori.
Ut cui paternum ſit genus a ſacra
Columniorum gente, Aragoniis
Ab regibus materna origo,
Queis nihil extitit orbe majus.
Si quid venuſtas oris amabilis,
Ille & juventæ purpureus nitor
Veræ mœrentur laudis; una
Prænitet hæc aliis puellis:
Qualis Diones filia, maximi
Jovis voluptas, & decus ætheris
Perenne, Divas inter omnes
Alma Venus ſpecie refulget.
Sunt iſta certè maxima, quis neget:
At una virtus ex Acherontiis
Aufert tenebris, una ſummis
Nos ſimiles facit eſſe divis.
Virtutis olim munere Romulus
Cœlum petivit: fortis & Hercules
Relatus eſt divorum in album,
Concilio Jovis adprobante.
Ævoque noſtro gentibus omnibus
Quas ille rexit, collacrimantibus,
Hanc ipſam ob unam cœli in arcem
Vidimus Auſtriadem receptum.
Præclara virtus, qua mihi ceteris
Præſtat puellis, hæc Hieronymam
Vel ſola quondam collocabit
Sedibus æthereis Columnam.

LUDOVICI AREOSTI

FERRARIENSIS.

EPITHALAMION.

SUrgite, jam ſignum venientis tibia nuptæ
Concinuit procul, ecce venit formoſa, jugato
Qualis olore Venus cum Memphim, aut alta Cythera
Aut nemus Idalium, aut Amathuntis templa reviſit.
Cernitis ut circumque oculos, circumque decorum
Oſque, genaſque, humeroſque & circum virginis omnem
Laudatam ſpeciem volitet Charis, utque ſerenos,
Vibratis levibus pennis illi afflet honores?
Cern tis ut cirrum tenerorum luſus amorum
Obſtrepat? ut calathos certent invergere florum
In comptum dominæ caput, utque hic lilia fronti
Componens niveæ, hic immortales amaranthos
Purpureaſque roſas malis, mirantur eandem
Formam diverſos florum ſuperare colores?
Cernitis ut juvenes obducta fronte Latini,
Queis eſt dicta dies reditus, pilenta ſequantur,
Cur non audimus tacita quid voce volutent,
Reddere, & argutis meditamur commoda dictis?
Sic ad regales thalamos Hymenæa citantes:
Blande Hymen, jucunde Hymen, ades ô Hymenæe.
Adſpicite Herculeos juvenes procedere contra,
O ſocii, jam jam numeris certare paratos?
Sic certe haud temerè veniunt, victoria nobis
Difficilis: lætas nam poſcunt carmina mentes:
Nos triſtes, quid enim niſi triſte efferre paramus,

Cul-

Culmine dejecti tanto, pulcherrima cum te
Externi invideant thalami Lucretia nobis?
Dure Hymen, Hymenæe piis inviſe Latinis.
Adſpice Auſonios meditata requirere vates,
Victrici qui ſæpe caput preſſere corona.
Quare non facilis ſtat nobis palma, ſodales,
Qui prima alterno cantu certamina inimus;
Gloria ſed major quæ multo parta labore
Provenit: hoc agite: huc animum convertite, ne qua
Sit mora cum docto deceat ſuccedere cantu.
Blande Hymen, jucunde Hymen, ades ô Hymenæe.
Omnia vertuntur, quæ quondam maxima Roma
Auſonias inter tantum caput extulit urbes,
Quantum abies inter graciles annoſa geniſtas,
Aut quantum tenues inter vetus Albula rivos,
Seu claris hominum ſtudiis, ſeu mœnibus altis:
Nunc deſerta vacat, veteri depreſſa ruina;
Atque ubi templa Deûm, & Capitolia celsa fuere,
Curiaque, & ſancto ſubſellia trita ſenatu
Flexipedes ſurgunt ederæ, fruticeſque maligni,
Et turpes præbent latebras ſerpentibus atris.
Eſt levis hæc jactura tamen, ruat hoc quoque quicquid
Eſt reliquum, juvet & nudis habitare ſub antris;
Vivere dum liceat tecum, pulcherrima virgo.
Dure Hymen, Hymenæe piis inviſe Latinis.
Omnia vertuntur, modicis quæ mœnibus olim
Hinc viridi ripâ, hinc limoſa obducta palude,
Anguſtas capiebat opes Ferraria pauper.
Anguſtaſque domos, anguſtaque templa Deorum;
Apta tamen tenui populo, tenuique ſenatu
Finitimas inter tantum nunc eminet urbes,
Quantum inter Bacchi colles pater Appenninus,
Eridanuſve inter fluvios, quos accipit infra,
Quoſque ſupra e tota Heſperia Neptunus uterque.
Nunc ubi piſcoſo pellebant gurgite lintrem,
Aut ubi in aprico ſiccabant retia campo;
Regia templa, domus, fora, compita, curia, turres,
Herculeique decent muri, portæque, viæque,

Vixque ſuo populo ampla potenti, & moribus æquis;
Et paribus ſtudiis generi contendere Martis.
At nullos tantum jactat Ferraria cultus,
Quam quod te dominam accipiat, pulcherrima virgo.
Blande Hymen, jucunde Hymen, ades ô Hymenæe.
Qualis in Jonio magno, bacchantibus Auſtris
Nauta, ubi vel Syria, vel Thyna merce gravatam
Illiditque ratem, ſcopuliſque relinquit acutis
Naufragus, & multum per cærula volvitur exſpes,
Nudus & ignota tandem jactatur arena,
Dum vacuam querulis contriſtat fletibus oram,
Haud procul informi in limo radiare coruſcam
Intuitur, quam vertit atrox ad littora, gemmam,
Tempeſtas, ſeque illa, opibus ſolatur ademptis:
Ecce autem mirantem ignes, rutilumque decorem,
Incautumque, potens manus occupat obvia, & illum
Dimittit maria implentem, & nemus omne querelis.
Talis Roma diu caſus ubi flevit iniquos,
Optavitque dolens veterum decora alta Quiritum;
Dum Vaticano flexiſſet lumina colli,
Te vidit clari ſoboles Lucretia Borgæ;
Pulchro ore, & pulchris æquantem moribus aut quas
Verax fama refert, aut quas ſibi fabula finxit;
Atque novo veteres ſolata eſt munere curas.
O ſeptem colles, Tiberis pater altaque priſci
Imperii monumenta graves intendite luctus.
Nuper Ateſtini fratres, proceresſque propinqui,
Herculeus juvenis patria quos miſit ab urbe,
Quod pulchri fuerat nobis, impune tulere,
Externoque decus veſtram vinxere marito,
Dure Hymen, Hymenæe piis inviſe Latinis.
Ut qui perpetuis viret hortus conſitus umbris,
Mobilibuſque nitet per quadrua compita rivis,
Laudetur licet Idææ ſub ſidere capræ;
Seu cum libra oritur, ſeu cum ſata Sirius urit:
Eſt tamen egelidos tauro referente tepores
Gratior: erumpunt tum lento e vimine frondes;
Tum pingunt variis, decorantque coloribus herbas,
Li-

Liliaque, violæque, roſæque, breveſque hyacinthi:
Sic quæ regali fulſit Ferraria cultu
Ædibus aut ſacris, aut auctæ molibus urbis,
Aut mage privatis opibus, luxuque decenti,
Vel ſtudiis primum ingenuis juvenumque ſenumque,
Nunc pulchra eſt, nunc grata magis; cum Borgia tauro
Vecta tuo referes auratis cornibus annum.
Vere novo inſuetos ſubmittit terra colores,
Herculeique nitent nativis floribus horti,
Arte tibi qua quiſque valet blanditur honeſta:
Et nos qui teneris Muſas veneramur ab annis,
Alternis lætos numeris canimus Hymenæos.
Blande Hymen, ades ô Hymen, ades ô Hymenæe.
Dure Hymen, Hymenæe piis inviſe Latinis,
Qui potes e lacrimis miſerorum auferre parentum,
Ardentique viro trepidam donare puellam,
Et procul a patria longinquas ducere ad oras,
Dure Hymen, Hymenæe piis inviſe Latinis,
Blande Hymen, jucunde Hymen, ades ô Hymenæe,
Qui cupido juveni cupidam ſociare puellam
Tendis, qui tacitos quæſtus miſeraris amantum:
Qui Nympham haud pateris viduo tabeſcere lecto,
Longinquaſque urbes geniali fœdere jungis.
Blande Hymen, jucunde Hymen, ades ô Hymenæe,
O quondam gratæ pulchro candore puellæ,
Quæ Phaëthontei colitis vada conſcia caſus;
Quid Latiæ nuptæ jucundo occurritis ore?
Nec ſenſiſtis uti potioris luminis ortu
Veſter hebet, languetque decor ſpectabilis olim;
Arctos ut Eoo veniente Hyperionis axe.
Dure Hymen, Hymenæe piis inviſe Latinis.
O longum incultæ, tenuique in honore puellæ,
Pinguia quæ colitis teſtantia culta labores
Herculeos, ubi multiplicem Dux inclitus Hydram
Contudit ignavis fœdantem flexibus agros,
Virginis adventu Romanæ, exporgite frontem:
Nam pulchra ut rerum facies celatur opaca
In nocte, & picea ſordens caligine nullos
Oble-

Oblectat, torpetque alienæ obnoxia culpæ,
Quæ mox cum thalamo Tithonia ſurgit ab Indo
Apparet, meritaſque audit clariſſima laudes:
Sic vos ingrata reſides latuiſtis in umbra
Heroë Herculeo poſt vincula prima tot annos
Cælibe & Aurora nunc exoriente Latina
Gratæ eſtis, capiturque decor non viſilis ante.
Blande Hymen, jucunde Hymen ades ô Hymenæe.
At vos Romulei vates ne tendite contra:
Jam numeris ſatis eſt luſum; jam tecta ſubimus
Regia; nec pigeat concordi dicere cantu,
Blande Hymen, jucunde Hymen ades ô Hymenæe.

De Lydia.

Hæc certe Lepidi ſunt Regia mœnia, quæ ſic
  Grata mihi paucos ante fuere dies;
Lydia dum patrios coleret formoſa penates,
  Redderet & forma cuncta ſerena ſua.
Nunc ut ab illis immutata! quid illius eheu,
  Illius amota luce decoris habent?
Illius a cara qui me genitrice, domoque,
  Tot valuit meſſes detinuiſſe procul.
Tu ſine me tacitis excedere Lydia portis,
  Tu ſine me potis es rura videre tua?
Cur comitem me dura negas admittere? curvo
  Sarcina ſum rhedæ viſa oneroſa tuæ?
In tua non adeo peccarem commoda demens,
  Arctius ut premerem terga latuſve tuum.
Conductus non deerat equus, non deerat amicus
  Juviſſet mannis qui mea vota ſuis.
Ipſe pedes validis potui decurrere plantis.
  Sive terenda brevis, ſeu via longa fuit.
Ah ego (vita modo ſineres) quam fortiter irem,
  Siſteret ut nullus crura citata labor.
Corruptum nec iter hyeme, & pluvialibus Auſtris,
  Feciſſet juſtas te properante moras.
Sum ſine te biduum an me ultra patieris abeſſe?
  Heu miſerum me, me, quæſo venire jube.

Ecquid habent gelidi montes, & inhoſpita teſqua,
  Ecquid habent ſine me devia rura boni?
Quæſo venire jube: placeant tum luſtra ferarum,
  Atque feris arces montibus impoſitæ.
Tum placeant ſilvæ, tunc ſint gratiſſima ſaxa:
  Dum latus ipſe tegam duxque comeſque tuum.
Tunc juvet audaci lepores agitare Lacone,
  Cæcaque nocturnis ponere vincla lupis.
Inque plagas turdum ſtrepitu detrudere edacem.
  Et quæcumque hyemis gaudia rure ferunt.
Quæſo venire jube, quod ſi mala murmura vulgi,
  Ne cieam veniens, eſt timor: ipſa redi.

De diverſis amoribus.

Eſt mea nunc Glycere, mea nunc eſt cura Lycoris,
  Lyda modo meus eſt: eſt modo Phyllis Amor.
Primas Gaura faces renovat, movet Hybla recentes,
  Mox ceſſura igni Gaura, vel Hybla novo.
Nec mihi diverſo, nec eodem tempore ſæpe
  Centum veſano ſunt in amore ſatis.
Ut ſum ſi placeo, me me ſic utere virgo,
  Seu grata es, ſeu jam grata futura mihi.
Hoc olim ingenio vitales hauſimus auras,
  Multa cito ut placeant diſplicitura brevi.
Non in amore modo mens hæc, ſed in omnibus impar
  Ipſa ſibi longa non retinenda mora,
Sæpe eadem Auroræ roſea ſurgente quadriga
  Non eſt, quæ fuerat ſole cadente mihi.
O quot tentatas illa eſt verſata per artes
  Feſtivum impatiens rettulit unde pedem,
Cum primum longos poſui de more capillos,
  Eſtque mihi primum tradita pura toga.
Hæc mihi verboſas ſuaſit perdiſcere leges,
  Amplaque clamoſi quærere lucra fori.
Atque eadem optatam ſperantem attingere metam,
  Non ultra paſſa eſt improba ferre pedem,
Meque ad Parnaſſum vocat, Aoniamque Aganippem,
  Aptaque virgineis mollia prata choris.

Me-

Meque jubet docto vitam perducere cantu,
Per nemora illa avidis non adeunda viris.
Jamque acies, jam facta ducum, jam fortia Martis
Concipit æterna bella canenda tuba.
Ecce iterum male ſana, inquit, quid inutile tento
Hoc ſtudium? vati præmia nulla manent.
Meque aulæ cogit dominam tentare potentem
Fortunam obſequio, ſervitioque gravi.
Mox ubi pertæſum eſt male grati Principis, illam
Non tulit hic reſides longius ire moras.
Laudat & æratis ut eam ſpectabilis armis,
Et meream forti conſpiciendus equo.
Et mihi ſunt aptæ vires, patienſque laborum
Corpus, & has poſſunt tela decere manus.
Nec mora bellator ſonipes, & cuncta parantur
Inſtrumenta acri commoda militiæ.
Iratuſque pio, celebri ſub Principe miles
Expecto horriſonæ Martia ſigna tubæ.
Jam neque caſtra placent, rurſus nec claſſica nobis,
Ite procul Getici tela cruenta Dei.
Humano ne trucem fœdabo ſanguine dextram,
Ut meus aſſiduo ſub bove creſcat ager?
Ut breve mortis iter ſternam mihi, ut horridus umbram
Horreat immitem portitor ipſe meam?
Atque aliquis placida aſpiciens a ſede piorum
Me procul Eumenidum verbera ſæva pati;
En qui Muſarum liquit grata otia, dicat,
Anxius ut raperet munere Martis opes.
Manibus & ſociis narret me digna ſubiſſe
Supplicia, haud ulla diminuenda die.
Antra mihi placeant potius, monteſque ſupini,
Vividaque irriguis gramina ſemper aquis:
Et Satyros inter celebres, Driadaſque puellas
Plectra mihi digitos, fiſtula labra terat.
Dum vaga mens aliud poſcat, procul eſte Catones,
Eſte, quibus parili vita tenore fluit:
Quos labor angat, iter cupientes limite certo
Ire ſub inſtabili cuncta novante polo.

Me

Me mea nobilitas ſenio deducat inerti,
Dum ſtudia haud deſint quæ variata juvent.
Me miſerum quod in hoc non ſum mutabilis uno,
Quando me aſſidua compede vincit amor.
Et nunc Hybla licet, nunc ſit mea cura Lycoris,
Et te, Phryna, modo, te modo Lyda velim:
Aut Claram, aut Glycerem, aut unam, aut ſæpe ducentas
Depeream; igne tamen perpete ſemper amo.

De Veronica.

Es Veronica ne? an potius vere unica? quæ me
Uris, quæ mihi me tam cito ſurpueris.
Unica nimirum, cui ſoli eſt forma, decorque,
Gratiaque, & quantum eſt, & ſalis & Veneris:
Quæque ſimul caſta es, ſimul & pulcherrima ſola.
O ſola, o vero nomine digna tuo!

De Glycere & Lycori.

An Glycerem pluris faciam, pluriſne Lycorin,
Si Cherinte ſcio dicere, diſpeream:
Moribus hæc, atque hæc placet; & placet utraque cultu:
Parque illis lepor eſt, gratia, parque Venus.
Hanc amo, depereo illam; quin amo, depereoque
Utramque; & rurſus utraque vita mihi.
Quæres fortaſſis, qui poſſim? neſcio: tantum
Novi ego, quod geminas ardeo, amo, pereo.

De Julia.

O rarum formæ decus, ô lepidiſſima verba,
O bene deductum pollice, & ore melos!
An Charitum quarta? an Venus altera? an addita Muſis
Eſt decima? an ſimul hæc, Gratia, Muſa, Venus?
Julia quin ſola eſt, qua cantu Muſa, lepôre
Gratia, qua longe eſt victa decore Venus.

De Trivultia.

Quod genere & ſenſu præſtes, Trivultia, multis;
Eſt decus, at decus id pluribus eſſe vides.
Quod prior innumeris tua ſit nullique ſecunda,
Forma; tamen non eſt unica, rara licet.
Quod ſis caſta, etſi non eſt te caſtior ulla,
Tecum alia, atque alia eſt caſta puella tamen.
Quod docta, atque ſciens Muſarum: es ſola; ſed olim
Deiphobe, & fidicen Lesbia talis erat.
Quod generoſa eadem, dives, formoſa, pudica,
Doctaque ſis; nulla eſt par tibi, nulla fuit,

De Venere ſe armante.

Arma, Venus, Martis ſunt hæc: quid inutile pondus,
Mortali bellum ſi meditare, ſubis?
Nil opus eſt ferro, ferri cum nuda potentem
Exueris ſpoliis omnibus ipſa Deum.

De puero formoſo.

Exanimum Paphio puerum miſerata pheretre
Eheu talis, ait, noſter Adonis erat!

Ad Philiroem.

Quid Galliarum navibus, aut equis
Paret minatus Carolus, aſperi
Furore militis tremendo
Turribus Auſoniis ruinam;
Rurſus quid hoſtis proſpiciat ſibi:
Me nulla tangat cura, ſub arbuto
Jacentem aquæ ad murmur cadentis,
Dum ſegetes Corydona flavæ
Durum fatigant Philiroe, meum,
Si mutuum optas, ut mihi ſæpius
Dixiſti, amorem, fac corolla
Purpureo variata flore

Aman-

Amantis udum circumeat caput,
Quam tu nitenti nexueris manu;
Mecumque ceſpite hoc recumbens
Ad citharam canito ſuave.

De Julia.

Qualem ſcientem carminis, & lyra
Sappho ſonantem molliter aurea,
Expertem amorum, atque integellam
Floris adhuc nimium caduci,
Vocavit altis è penetralibus
Pubentis agri conſpicuus nitor,
Herbæque, floſculique hiantes
Flatibus egelidis, Favoni:
Mox dithyrambos Aeoliæ impulit
Teſtudini committere ſpiritus
Strepens per altas ilices, &
Murmur aquæ prope defluentis:
Qualemne doctam Calliopem modos,
Cui rex Deorum ſiſtere tinnula
Permiſit amnes voce, flavæ
Juppiter ob meritum parentis,
Audivit olim libera cælitum
Jamjam fugatis menſa gigantibus
Manum Tonantis, & Deorum
Præſidium ad citharam canentem;
Audivi eburno pollice Juliam
Chordas moventem Threjiciæ fidis,
Et arte jucundos magiſtra
Ad numerum ſtrepitus citantem:
Et ora vernis æmula floribus
Solventem acutis vocibus in modum,
Nervoſque vocales decenter
Carminibus ſociantem Etruſcis
Cantuſque preſſo gutture mobiles
Ducentem ad auras, per tremulas prius
Flexaſque, conciſaſque fauces,
Murmure nunc tacito volutos;

Nunc

Nunc plena in aurem voce refractulos,
Quibus nigranti cedit ab arbore
In roſcidis quicquid viretis
Vere canit volucrum tepente.
Ut ut canoros quæro iterum modos,
Ut ut mihi me ſurripuit melos;
Nec mecum adhuc ſum, adhuc hiulco
Neſcit abire animus labello:
Nec ſi ſciat, vult mitti, adeo & bona, &
Grata tenetur compede: jam mihi eſt
Adempta libertas, nec hauſtu
Elyſiæ reparanda Lethes.
Si tale Siren ſtirps Acheloia
Nautis canebat prætereuntibus,
Nil miror averſas carinas
Sponte cavas adiiſſe rupes.
Neſcis, tu Ulyſſeu, qui fugis illitis
Cera Pelaſgis remigis auribus
Inter puellarum choros tam
Dulce canentium obire felix.

Ad Alfonſum Ferrar. Ducem III.

Extollit clamor patrem, par murmure laudat
Dicta Jovis tacito jam jam labentis ad ægros
Terrigenas, animis adeo cœleſtibus hæret
Cura, licet totiens recidivæ in crimina gentis.
Orbe jacet medio, ſuperis tunc hoſpita tellus,
Cum longo innocuis habitata eſt gentibus ævo,
Qua Peluſiacos aditus, perque ora Canopi
Amne petit gemino ſinuoſa volumina ponti
Nilus, & latum cogit ſuccreſcere campos,
Aridaque humenti fecundat jugera limo.
Juppiter hîc claro delapſus ab æthere juſſit
Numina cuncta epulis poſitæ diſcumbere menſæ,
Lætus ut unigenæ celebret natalia Divæ.
Conveniunt ſuperi, tenuit mora nulla vocatos.
Inde maris, terræque Deos ſimul impiger omnes
Mer-

Mercurius monuit Phariis accedere menſis,
Quos pater omnipotens hilari inter pocula fronte
Accipit, & meritum cunctis largitur honorem:
O fortunati quorum ſuccedere tectis
Dignata eſt hæc ſancta cohors, nondum impia triſtes
Hauſerat implacidi Buſyridis ara cruores,
Tum neque polluerat fraterna cæde Typhaon
Gramina, nec lacrimis fueras quæſitus Oſyri.
Interea Eoas volitat vaga fama per urbes
Cœlicolum viſos mortali lumine cœtus
Ducere Niliacis pariter convivia terris.
Tum numerum ex omni properantem parte videres,
Hoſpitis ut præſens veneretur numina tanti.
Pars aderat Vulcanus huic ſeptemflue proles
Nile tua; haud Phariis probitate ignota colonis
Affuit & Libya genitus, qui ſidera torquet.
Deſervit claræ urbis opus ter maximus Hermes,
Legifer hinc Moſes, illinc pia turba frequentat,
Caſta quidem, ſed rara tamen, namque inclyta virtus
Negligit infauſti fœdata exanima vulgi.
Hos habuit Jove nata ſuis penetralibus: urbes
Ex illo monitu ſuperum cultura, miniſtros:
Tum primum a ſilice antiquum genus exuit ægram
Segnitiem, cæpitque rudes deponere cultus,
Paulatim ignipedum quis curſus frœnet equorum
Quærere, quæ mundi fuerit naſcentis origo,
Mentibus obrepens deturbet cura quietos
Utque ſimul fragiles artus proſtravit Anance,
Nulla perenne ſibi formidet funera nomen.
Dexter eris rediens hominum juſtiſſime cæptis.
Namque tuam nunc forte tenet cura altera mentem:
Quod procul Inſubrum judex delectus in oris
Concilias, ſolitaque animi probitate revincis
Pace Deum populos inimico Marte furentes:
Seu ſophia ulciſci bello, ſeu pace tueri
Flagitet, herculeam vel opem ſi poſcat utrumque,
Juſta quis invicto ſumet te fortius arma?
Qui tot parta refers propria virtute trophæa

Vel quis pace frui tribuet ſapientius alter?
Qui mediam Latii ſervaſſe laboribus urbem
Solus inexhauſta caneris virtute, tuum ſic
Fortunata diu jactet Ferraria munus,
Quo rediviva ſuas reparet Tritonia laudes.

AD ALBERTUM PIUM.

Fama tuæ matris crudeli funere raptæ
Dudum terrifico noſtras Pie perculit aures
Murmure ſed me adeo ſtravit dolor improbus inquam
Me me Alberte tuæ motus quoſcumque ſequentem
Fortunæ, ut ſubito correptus frigore membra
Torpuerim, ut gelido titubans vox hæſerit ore,
Ut ſtupor inſolitus mentem defixerit ægram,
Deprenſus veluti ſub querno tegmine paſtor,
Cujus glandiferos populatur fulmine ramos
Juppiter, ut rutilo reteguntur lumine ſilvæ,
Et procul horrenti quatitur nemus omne fragore:
Labitur ille impos mentis, rigor occupat artus,
Stant immoti oculi, ora immeta, immobile pondus:
Quod tum me cenſes potuiſſe effingere carmen,
Ardentique tuo ſolatia ferre dolori
Vulnere pæne pari miſere graviterque jacentem?
Aſt ubi jam ſe ſe deſertis ſedibus infert,
Triſtia qui celeri obſedit præcordia curſu
Sanguis, & excluſos vocat ad ſua munia ſenſus.
Hæc tibi quæ forſan tarda, intempeſtaque ſordent
Ne refuge, haud duri canimus ſolatia caſus:
Sed potius tacitos renovantia carmina fletus,
Ipſe tuis lacrimis lacrimas miſcere, gravique
Uſque etiam cupio tecum certare dolore.
An quicquam dignum lacrimis, an flebile quicquam
Impia pectoribus poterunt immittere noſtris?
Seu venit in mentem venerandæ gratia frontis,
Qua me, quaque alios quoſcumque benignus amares
Ex ipere illa tui merito ſtudioſa ſolebat,
Seu ſubit illius gravitas condita lepore

Elo-

Eloquii, qua ſueta tui placare tumultus
Eſt animi, quondam cum ageret fortuna ſiniſtræ
Cum rebus malefida tuis, ut limina ſupplex
Exutus regno tereres aliena paterno:
Et quamvis per te multum tibi conſulis ipſe
Nec documenta parum ſophiæ, quibus impiger omne
Impendis ſtudium, proſint, tamen uſque fateris
Juverit auditæ quantum te cura parentis,
Sive pudicitiam tumulo ſpectamus eodem
Exanimem condi, probitas ubi clara, fideſque
Relligio, pietaſque tua cum matre teguntur.
Heu morum exemplar, columen, tutela bonorum
Pica jacet veteris demiſſi ab origine Pici,
Laurentis Pici, qui te Saturne parentem
Rettulit, antiqui tu ſanguinis ultimus auctor
Pica atavis generoſa, animo generoſior alto
Pica potens opibus, virtute potentior ipſa,
Inditium cum ſæpe ſui, tum protulit ingens
Prudentis vis illa animi, decor ille modeſti,
Extincto genitore tuo, cum ſola relicta eſt,
Et formoſa, & adhuc vel in ipſo flore puella,
Te puero nondum bimo commune tenente
Regnum cum patruo, & populi Carpenſis habenas.
Ah male diverſis amborum flexibus a[illegible]s.
Te puero, pueroque ſimul cognomine patris
Fratre Leonello, cujus vix ſedula nutrix
Invalidum denis numerabat ſolibus ævum,
Tunc tibi, tuncque tuis adeo Pica optima rebus
Cavit, ut illi etiam deberi gratia poſſit,
Quod validus ſceptris, & honore fruaris avito.
Tuncque adeo bene conſuluit probitate pudori:
Tunc, & perpetuos quoſcumque exegerit annos,
Ut decus id, laudes hæ ſint, ea gloria parta,
Quæ rediviva ſuas reparant poſt funera vires.
Hinc optare proci connubia tanta frequentes
Aut genere, aut opibus freti, dein poſcere fratres
Primores populi ambire domeſtica matrum
Conſilia, & crebros monitus adhibere faventum.

Mille petunt, petit ante alios, & fervidus inſtat
Ille Bianorei procerum ditiſſimus agri
Rodulphus Gonzaga potens majoribus armis,
Inclytus, Italia, & toto celeberrimus orbe,
Tum cupiunt fratres tedas crepitare ſecundas,
Et ſibi Rodulphum geniali fœdere jungi.
Ergo illam precibus tangunt, rationibus urgent,
Utilitate movent ſobolis, cui maxima tanti
Accedat tutela viri, ſeu mollius ævum
Claris formari exemplis, ſeu regna tueri
Conſiliove, opibuſve, armiſve popoſcerit uſus:
Quid faciat? teneræ jam primum commoda prolis
Anxia pertentant teneræ præcordia matris,
Sic tua nimirum veſtræ ratione ſalutis
Cogitur a viduo genitrix diſcedere lecto.
Cujus, ubi ſupra muliebrem provida captum
Plenius inſpecta prudenti a conjuge mens eſt:
Sic regni, ut thalami conſors eſt ſumpta virago.
Tum genitrix tua, cui clare eſt data copia agendi
Juſtitiæ vindex incorruptiſſima ſacræ,
Dura malis, clemens miſeris, gratiſſima juſtis,
Propoſitique tenax, atque imperterrita recti,
Perque gradus cunctos virtutis clara refulſit,
Clara refulſit, anus pariter ſubeunte marito.
Clarior at multo vacua cum triſtis in aula
Magnanimi immatura viri poſt fata relicta eſt.
Namque diem multa Gallorum cæde cruentus
Extremum cum laude obiit Mavortius heros
Ad vada purpureo ſpumantia ſanguine Tarri:
Tempore quo ſpoliis Rex agmina onuſta Latinis,
Rex Carolus magni Caroli generoſa propago
Ad gelidas Sequanæ ripas populator agebat.
Matribus, & trepidis lux deteſtata puellis.
Illa nimis lux ſæva nota ſignanda perenni:
Præ cunctis ſed Pica tibi ſæviſſima luxit.
En vidua, & tutrix iterum mœſtiſſima prolis
Bis geminæ ſuperas melioris pignora ſexus:
Namque duo, & totidem diverſi parva fovebas.

An pupillarem prius eloquar auxeris ut rem?
An cultu aſſiduo natorum ut corda paternos
Indueris mores? certe rumore ſecundo
Utrumque, & multo laudari carmine dignum
Prætercam, ſed & iſta, ſed & connubia natæ
Atque his plura ſciens, nec poſſem ſingula, nec fas
Dicere, vel rudibus præſertim nota colonis,
Limpidus ochneis quacumque aut Mincius arvis
Inter arundineas it flexo limite ripas:
Quaque ſinus, Benace, tuos imitatus apertos
Fluctibus, & fremitu, & ſpumantibus æſtuat undis.
Aut Venetas quacumque Padus perlabitur oras,
Multa mole minax, multoque labore docendus,
Pinguibus & cultis, & aprico parcere ruri.
An quiſquam ſumma virtutum deneget arce
Inſediſſe tuam, generoſe, Alberte parentem?
Aut virtus ſermo merus eſt, & inutile nomen,
Aut opere, & claro penitus dignoſcitur actu,
Cum medio rerum immerſabilis enatat æſtu.
Heu heu quæ ſceleri debentur digna nefando,
Talia virtutum ſi præmia Pica reportat?
Sed quid inepta tuos renovabit muſa dolores?
Sed duce me in lacrimas iterum cur ibis inanes?
Sed quid hians medicæ tractabo neſcius artis
Vulnus opis quicquam nil poſt laturus amicæ?
Sed quid ego ereptæ crudelia fata parentis
In medium proferre loquaci carmine nitar?
Cum neque ſuccurrat ratio ſolaminis ulla,
Qua tot deinde queam fluctus, quos ipſe citarim
Imprudens, animique graves componere metus,
At reticenda nec eſt ea mors, cui maxima virtus
Cauſa fuit, nec enim vas exitiale cicutæ
Vult Aniti latuiſſe reus, nec virbius axes
Ancillæ, nec Pica feros quibus occidit auſus.
Liberius jam jam res ut ſit acta docebo,
Unde queant magnum venientia ducere ſæcla
Exemplum: humano leviter quam fidere quiſquam
Ingenio poſſit, documento nec fuit illa

Abſque aliquo moriens, cujus dum vita manebat
Omne olim fuerat ſtudiis imitabile factum.
Illa ſevera adeo cultrix, Italique pudoris
Cuſtos, illa adeo vindex labentis honeſti
Extitit, ut facto turpi curaret ab omni,
Et levibus licet oprobriis, pulchraſque ſodales
Ancillaſque, domumque omnem ſervare pudicam,
Ne dum ſe ſimilemque ſui caſtiſſima prolem,
Cui dum ſe digno ferventius hæret, & inſtat
Propoſito, in ſe ſe muliebris ſuſcitat iram
Flagrantem ingenii, quod amor furiavit iniquus
Et male ſuada Venus, quid non veſana libido
Merſa cupidinibus mortalia pectora cogit?

AD HERCULEM STROZZAM

Audivi, & timeo, ne veri nuncia fama
  Sit, quæ multorum pervolat ora frequens.
Scin verum quæſo? ſcin tu Strozza? eja age fare,
  Major quam populi, Strozza, fides tua ſit.
An noſter fluvio miſere? heu timeo omnia: at illa
  Dii prohibete, & eant irrita verba mea.
Et redeat ſociis hilari ore, ſuaſque Marullus
  Ante obitum ridens audiat inferias.
Fama tamen vatem ſinuoſo vortice raptum
  Dulciloquam fluvio flaſſe refert animam,
Scin verum quæſo? ſcin tu Strozza? eja age fare
  Major quam populi, Strozza, fides tua ſit.
Ut timeo, nam vana ſolet plerumque referre
  Fama bonum, at niſi non vera referre malum.
Quamque magis referat ſævum, crudele, nefandum
  Proh ſuperi, eſt illi tam mage habenda fides,
Quod potuit gravius deferri hoc tempore nobis,
  Qui ſumus in Phœbi, Pieridumque fide?
Quam mors divini (ſi vera eſt fama) Marulli
  Juppiter ut populi murmura vana fluant.
Scin verum quæſo? ſcin tu Strozza? eja age fare,
  Major quam populi, Strozza, fides tua ſit.

Nam

Nam foret hæc gravior jactura mihique, tibique
  Et quemcumque ſacræ Phocidos antra juvent.
Quam vidiſſe mala tempeſtate (improba ſæcli
  Conditio) clades, & Latii interitum.
Nuper ab occiduis illatum gentibus, olim
  Preſſa quibus noſtro colla fuere jugo.
Quid noſtra? an Gallo Regi? an ſervire Latino?
  Si ſit idem hinc atque hinc non leve ſervitium.
Barbaricone eſſe eſt pejus ſub nomine? quam ſub
  Moribus? at ducibus Dii date digna malis.
Quorum quam imperium gliſcente Tyrannide tellus
  Saturni Gallos pertulit ante truces,
Et ſervate diu doctumque, piumque Marullum;
  Redditeque actutum ſoſpitem eum ſociis.
Qui poterit dulci eloquio, montiſque ſeveris
  Quos muſarum hauſtu plurimo ab amne tulit,
Liberam, & immunem (vincto & ſi corpore) mentem
  Reddere, & omne animo tollere ſervitium.
Sit ſatis abreptum nuper fleviſſe parentem,
  Ah grave tot me uno tempore damna pati?
Tarchoniota aura ætheria veſcatur: & inde
  Cetera ſint animo damna ferenda bono.
Scin verum quæſo? ſcin tu Strozza? eja age fare,
  Major quam populi, Strozza, fides tua ſit.
At juvat hoc potius ſperare, quod opto Marullum
  Jam videor læta fronte videre meum.
An quid obeſt ſperare homini dum grata ſinit res?
  Heu lacrimis ſemper ſat mora longa datur.

AD ALPHONSUM
Ferrar. Ducem III.

Cum deſperata fratrem languere ſalute
  Et nulla redimi poſſe putaret ope,
Dis vovet Hyppolytus Getico dum currit ab orbe
  Manibus ipſe ſuum, vivat ut ille caput.
Vota Deos faciles habuere, Alphonſus ab orco
  Eripitur fratris fratre obeunte vices.

Morte tua Pollux redimis ſi Caſtora: munus
Accepturus idem das nec obis, ſed abis.
Quod dedit hic numquam accipiet, nec luſus inani
Spe reditus avidi limina Ditis adit.

JANI FRANCISCI GONZAGÆ EPIT.

Quæ fuerant vivente anima olim, mortua membra
Abſque anima tandem claudit humata lapis.
Corporis affecti ærumnas novus incola cœli
Spiritus hîc gaudet depoſuiſſe graves.
Quare animam Jani, ſeu corpus flere viator
Fruſtra hoc, ſero illud, vanus uterque dolor.

FRANCISCI AREOSTI EPIT.

Hic Franciſcum Areoſtum, uxor, natuſque ſuperſtes
Nataque confectum compoſuit ſenio.
Quanti vis equitem precii tot & aſpera vitæ
Emenſum illæſis uſque rogum pedibus.
Qui claram ob probitatem efferri totius urbis
Singultu & lacrimis ad tumulum meruit.

AD ALBERTUM PIUM.

Alberte proles inclyta Cæſarum,
Utraque nam tu gente propagini,
Oſtendis Auguſtos fuiſſe,
Nobile principium tuorum:
Hac luce mecum lætitiam cape,
Sed quæ ſit omni liber a compede,
Ne ſit mero frontem ſeveram
Exhilarare pudor Falerno.
Nimirum amamus ſi genio diem
Sacrare, cum ſint digna licentia
Exuberantis gaudii, atque
Immodicum petulantis oris.
Quæ mane nobis nutius attulit,
Fidelitatis nuntius integræ

A Gal-

A Gallico, qui nuper orbe
Principibus rediit Latinis.
Vidiſſe dixit Lugdunii meum
Gregorium, illum cui per Apollinem.
Uterque noſtrum debet ample,
Quamvis ego magis, & magis te.
Tu litteræ quod multum Echioniæ
Calles: tenentur primi aditus viro
Huic, aſt ego plus debeo, nam eſt
Siquid ineſt mihi clari ab illo.
Parantem ajebat quam citius pote
Transferre ſe ad nos, cui timui miſer
Vale ultimum dixiſſe, cum olim
Ad gelidas eveheretur alpes.
Jo redibit, qui penitus rude
Lignum dolavit me, & ab inutili
Pigraque mole gratiorem
In ſpeciem hanc Pie me redegit.
Jo videbo qui tribuit magis
Ipſo parente, ut quid dedit optime
Mihi eſſe, cum tantum alter eſſe
In populo dederit frequenti.
Virum boni Di rurſus amabilem
Amplectar, an quid me eſſe beatius
Poteſt beatum, o mi beate
Nuntie qui me hodie beaſti.

GASPARIS ARGILENSIS.

DE PASTORE.

Mane ut erat, vili ſurgens de gramine paſtor,
Ibat, & impaſtas ſic agitabat oves:
Ignavum procede pecus; jam ſurgit in altum
Phœbus, & arentes lumine ſpargit agros.
Tu tamen huc illuc lentis mihi paſſibus erras,
Immemor ad flammas me properare meas.
Aut mecum gradere, aut nullo cuſtode relictum,
Protinus a rabidis dilaniare lupis.

POMPEJI ARNOLPHINI

LUCENSIS.

THYRSIS.

In obitum JULII Bruti.

Fiſtula quæ dulces Paſtorum ludere Amores,
Et ſolita es curas pellere corde graves:
Hunc decet inſueta profundere voce querelas,
Edere nunc triſti triſtia verba ſono.
Aſpice, ut obſcuris ſe involvunt cæca tenêbris
Sidera, & aſſuetum Luna recuſat opus:
Utque diem Phœbus ferrugine tinctus Ibera
Ante horam medio merſit in Oceano:

Ut-

Utque Æthra in pluviam ſe colligit: utque fragore
Intonat: & venti per nemora alta fremunt.
Scilicet extinctum primo ſub flore juventæ
Daphnin & ipſa Deûm numina magna dolent:
Daphnin delicias paſtorum, & gaudia ruris,
Aonii Daphnin ſpemque decuſque chori.
Quem mors immiti confixit ferrea telo:
Nec lyra, fulgentes profueruntve genæ.
Proh ſcelus indignum, fata ah crudelia, ſecum
Omnia quæ nobis eripuere bona.
Nam quis erit, faciles culto qui carmine Nymphas,
Aut canat agreſtes, numina blanda, Deos?
Quis ducet lætas per gramina aprica choreas?
Ecquis odoratis ſparget humum foliis?
Daphnis deliciæ Paſtorum, & gaudia ruris,
Aonii interiit ſpeſque decuſque chori.
Qui ſi forte lyram plectro pulſabat eburno,
Dulciaque ex imo pectore verba dabat:
Cernere erat duras motare cacumina fagos,
Et ſæva indomitas ponere corda feras,
O quoties illum gelida ſub valle canentem
Paſcua miratæ deſeruere boves.
O quoties miſtæ Faunis, Satyriſque Napææ
Securæ blandos conſeruere choros!
Quin etiam celeres frænarunt flumina curſus,
Atque feri rabiem depoſuere Noti.
Teſtis Arar, tacitis qui præterlabitur undis;
Et Rhodanus, rapido qui ſecat amne viam.
Nunc miſer ille tacet: namque horrida Parca canentem
Ante diem campos miſit ad Elyſios.
Daphnis deliciæ Paſtorum, & gaudia ruris,
Aonii interiit ſpeſque decuſque chori.
Quid tibi nunc, formoſe puer, quid carmina proſunt?
Parnaſſi ſacras quid coluiſſe domos,
Omnia ſi tecum fata, invida fata, tulerunt,
Vatibus heu doctis fata inimica nimis?
Heu miſerande nimis tibi nunc ſub nocte profunda
Claudit perpetuus lumina feſſa ſopor.

Quid

Quid viridi cinxiſſe juvat ſua tempora lauro,
  Illa licet ſpernat fulmina ſæva Jovis,
Spicula ſi mortis valido contorta lacerto
  Contemnunt leges, pulcher Apollo, tuas?
I nunc carminibus confide, i, carmina jacta:
  Scilicet hæc mortis frangere tela queunt.
Daphnis deliciæ Paſtorum, & gaudia ruris,
  Aonii interiit ſpeſque decuſque chori.
Daphni tuum interitum Nymphæ flevêre decentes,
  Et manibus flavas diripuere comas,
Et nuda infeſtis laniarunt pectora pugnis,
  Unguibus & roſeas diſſecuere genas.
Pan Deus Arcadiæ calamos confregit agreſtes,
  Et nemora implevit quæſtubus alta ſuis.
Te te etiam vatum fleverunt præmia, Lauri,
  Et violæ, & quicquid florida prata ferunt.
Echo etiam hæc crebris iteravit verba querelis,
  Aonii periit ſpeſque decuſque chori.
Vos jam vos claro perſolvite juſta ſodali
  Paſtores, cinerique ultima dona date.
Texite pars virgis crates, & molle feretrum,
  Nec pigeat multa compoſuiſſe roſa
Par puerum triſti ſublimem in ſtramine ponant,
  Atque humeros oneri ſuppoſuiſſe juvet.
Addant ſe ſocios, pulcher quos Daphnis amabat,
  Quos ſuus in vita dulcis alebat amor.
Quorum alii cytharam auratam, fragileſque cicutas,
  Curvum aliique pedum, & languida ſerta gerant,
Pocula nec deſint, nec præmia victa canendo,
  Præmia, quæ doctus plurima Daphnis habet.
Poſt pecoris quondam felix tutela ſequatur
  Harpalus, & domini triſtia fata gemat.
Daphnis deliciæ Paſtorum, & gaudia ruris,
  Aonii interiit ſpeſque decuſque chori,
Sectetur tandem mœſtam longo ordine pompam
  Impexa hirſutas ruſtica turba comas.
Interea Nymphæ, placidis qua leniter undis
  Serpit Arar, Dryadum dulce levamen Arar,

Den-

Denſior & rapidos qua populus alba calores
  Defendit, pulchris conſpicienda comis:
Funereas ſpargant frondes, molleſque hyacinthos,
  Flenteſque exanguem conſtituant tumulum.
Tityrus hic mœſta compellet voce ſodalem,
  Verſibus & Daphnin tollat ad aſtra ſuum.
Hinc tepidi lactis latices, vinumque ſepulchro
  Inferat, & ſacro contegat oſſa thoro:
Carminaque inſcribat dulcem teſtantia amorem,
  Garrula quæ ventis ſilva agitata ſonet.
Hic jacet ante diem crudeli funere raptus
  Daphnis Aquitani gloria prima ſoli,
Daphnis deliciæ Paſtorum, & gaudia ruris,
  Aonii Daphnis ſpeſque decuſque chori.
Hæc Thyrſis, mœſtæ reſponſant undique valles,
  Dum deflet mœſtis Daphnin arundinibus.

Ad Alexandrum Sfortiam Cardinalem, Felſin. & Flamin. Legatum Pontificium.

O decus Italiæ, & magnæ ſpes maxima Romæ,
Cujus purpurea cinguntur tempora vitta,
En tibi vernantes alieno tempore flores
Felſinei effundunt colles, Rhenuſque bicornis
Altior inſurgens pleno provolvitur alveo,
Et fortunatum tanto ſe Principe jactat:
Qui regere imperio populos, pacemque tueri
Novit, & Aſtream ſummo deducere Olympo:
Per quem cana fides, tantiſque objecta periclis
Relligio, ſolio tandem redduntur avito.
Aurea quiſnam ergo ſuſpiret ſæcula? Divi
Ecce iterum noſtros dignantur viſere cœtus.

In puerum pene mortuum.

Contigerat virga puerum Cyllenius atra
  Clam Phœbo, ad Stygios compuleratque lacus:
Id metuens, ne ſi maturos impleat annos,
  Illius eloquio mors det acerba manus.

At

At Phœbus, puerum a teneris quem eduxerat annis,
  Infantemque ſuo foverat uſque ſinu,
Ætherea exanguem revocans ad ſidera, dixit,
  Ludi, non lædi ſit potuiſſe ſatis.

In Cloridem.

O modo me nitidis ſpectet mea Chloris ocellis.
  Phœbe vale, æternum Calliopea vale.
Phœbe vale: hæc etenim ſi quem placido aſpicit ore,
  Ille poteſt Phœbum vincere carminibus.

De Hippolyto Capilupo.

Hippolytum quondam extinctum pia munera Phœbi
  Dianæ caſto reſtituere ſinu,
Extinctum Hippolytus culto nunc carmine Phœbum
  Suſcitat, Aonio reſtituitque choro.
Miramur Divos mortali reddere vitam?
  Miremur vitam reddere Diis hominem.

Ad Julium Syrenium Theologum.

Jule, decus Mundi, cœlo demiſſe ſereno,
  Ut doceas, quæ nos ducat ad aſtra, viam:
O mihi Syrenum cantus ſi Muſa dediſſet,
  Foviſſetque ſuo Calliopea ſinu,
Ut poſſem dignis tua facta intexere chartis,
  Verſibus & laudes æquiparare tuas.
Tunc ego non flavas volvit quas Hermus arenas,
  Gemmiferi optarim non mihi Gangis opes:
Quandoquidem illa tuum quæ præfert pagina nomen,
  Sola poteſt cunctas vincere Olympiadas.

In Franciſci Panigarolæ Conciones.

Dum Jovis ætherii leges mandataque nobis
  Miro animi ſtudio Pannigarola refers:

Quiſ-

Quiſque ſui oblitus narrantis pendet ab ore,
  Cogitur & ſceleris pœnituiſſe ſui.
Nec mirum: proprias tibi nam Cyllenius alas
  Præſtitit, & faciles in tua vota ſonos;
Queis potes aſſiduè ſuperas volitare per oras,
  Abditaque æterni prodere ſenſa patris.

Tityri reditus. Pro Lælio Arrigonio Mantuano.

Nymphæ, Felſineus vitreo quas gurgite Rhenus
  Claudit, & auratas abluit amne comas.
Nunc agitare leves per gramina aprica chorêas,
  Nunc decet & ſertis implicuiſſe caput.
Fatidicæ tandem linquens ſacra mœnia Mantûs
  Tityrus Auſonii floſque decuſque ſoli.
Et redit; & ſecum comitata Cupidine parvo
  Ipſa Venus colles deſerit Idalios.

Ad Cæſarem Arevium Lucenſem.

Cæſar, quem Muſæ Phœbei numinis inſtar
  Miratæ, mira relligione colunt:
En fruſtra imbelli cythara, rudibuſque Camœnis
  Aggredior laudes commemorare tuas.
Namque prius Libyco latitantes gurgite arenas,
  Et poſſim æquoreas dinumerare feras:
Atque foret levius nutantia ſidera mundi,
  Et geminos humero ſuſtinuiſſe polos.
Ergo ſi taceo, vel ſi non digna repono,
  Utraque damnando crimine culpa caret.

In Jo: Auſtriaci Effigiem.

Alter adeſt, forti referat qui pectore Achillem:
  Quis referat docto carmine Mæonidem?
Parva loquor; deſint vires, & carmina Homero,
  Quin etiam Phœbus non ſatis apta canit.

Hunc

Hunc nam ſi ſpectes, quidquid veneranda vetuſtas
Intonat, id nugas dixeris eſſe leves.

In Academiam Liberam.

Ingredere o quiſquis Muſarum captus amore
Optas Phœbæa nectere fronde caput:
Has etenim ſedes, ſpretis Aganippidis undis,
Ipſe pater Phœbus, Pierideſque colunt.

Ad Laurentium Gambaram.

Grande decus vatum, Zopi, cui laurea circum
Tempora cana nitet, cui Pindi cultor Apollo,
Aonidoſque Deæ doctiſſima carmina pangunt,
Ut poſſis ſolus dignis celebrare Camænis
Farneſium, & dignas Heroi texere laudes,
Romula cui tellus divûm impertitur honores:
En unquam claro ſe ſe diffundet Olympo
Illa dies, tua cum veſtigia certa ſequutum
Me tandem ſacro Parnaſſi in vertice ſiſtas?
O ego quos cantus, quæ tunc ego carmina dicam?
Quas tibi tunc referam tali pro munere grates?
Interea invito conſcriptos numine verſus,
Et paſtoralem, quæſo, ne deſpice Muſam.
Ille etiam Phœbo genitus Rhodopejus Orpheus,
Quem memorant cantu immites placaſſe Leones,
Vulſiſſe & veteres imis radicibus Ornos,
Frenaſſe & rapidi currentes fluminis undas,
Et prius immotos traxiſſe ad carmina montes,
Cum primum juvenis plectro tentaſſet eburno
Auratam patris cytharam, primoſque dediſſet
Ore ſonos, riſum adſtanti moviſſe parenti,
Purpureoque genas, fertur, pinxiſſe colore.

Ad

Ad Camillum Boſium.

Cur ſemper libris noctesque dieſque fatigas
Mentem, animumque tuum?
Nec potis eſt quiſquam doctis te avellere chartis
Ardui Ariſtotelis?
Omniaque evolvis divini ſcripta Platonis,
Socraticamque domum?
Nonne vides varias iterum redeuntibus annis
Semper ineſſe vices?
Ver ſequitur æſtas, æſtatem pomifer annus,
Brumaque cana ſubit.
Sic quoque tu, Boſi, ſapiens miſcere memento,
Gaudia triſtitiis;
Nec te commoveant paucorum exempla virorum.
Socraticuſque rigor.
Sed duce natura potius, Genioque miniſtro
Utere, quanto licet.
Non ſemper glacie conſiſtunt flumina acuta
Fertilis Armeniæ;
Uſque nec Jonias tempeſtas concutit oras
Fluctibus imparibus.
Nec ſilvis Boreas lætum decerpit honorem,
Graminibuſque decus.
Tu contra libris ſemper ſtas obrutus altis,
Lætitiamque fugis:
Deque die ſpernis fallaci demere ludo
Particulam ſolido.
Lucifer exoriens, & mergens ſe Heſperus idem
Oceani in gremio,
Te reperit ſacros perpendere mente labores,
Et ſapientum opera.
Demens, heu nimium demens, nimiumque ſevero
Ingenio juvenis: [mum
Contrahere immenſam ſpem animo quid nos juvat, al-
Si rapit hora diem?
Vivimus incerti, nam cras properantibus horis
Forte erimus cineres.

Surge age rumpe moras igitur, te hiſque eripe tandem
Sollicitudinibus.
Deſere dilectam nimium tibi bibliothecam,
Quinquatribuſque cole.
Nunc eſt potandum, nunc bacchanalia gratis
Concelebranda jocis;
Nunc genio indulgere licet, nunc Cæcuba curas
Dulcia longe abigant
Nunc valeant procul hinc veteres, rigidique Catones,
Et Numa cum Curio:
Nunc furere eſt tempus, nunc ebria tempora cingat
Populus Herculea.

De Aurietta Auria.

Auria bellatrix clypeum tractabat, & haſtam,
Fœdaque cogebat vertere terga Getam.
Vidit, & armatæ deceptus imagine formæ,
Bellonam Armipotens credidit eſſe Deam.
Mox ubi ſanguinea victricem excedere pugnam,
Loricamque gravem depoſuiſſe videt;
Et Tyria ornatam aſpexit procedere palla,
Idaliam demens tunc putat eſſe Deam.
Advolat, & tenero circundare brachia collo
Ardet, & aſſueto membra fovere ſinu.
Illa negat, vultuque Deum, dextraque repellit,
Adjicit, & ſævas tincta pudore minas.
Tunc demum intactam ſe ſe offendiſſe Dianam
Credidit, audaces continuitque manus.
Sic Veneris formam, Bellonæ fortia facta,
Dianæ mores, Auria ſola refert.

De Cloride.

Candidior nivibus Chloris mea, frigidiorque eſt:
Atque eadem pectus torret acerba meum.
Sic mihi ſic nivibus flammæ, flammiſque nives ſic
Inſolito junctæ fœdere bella movent.

Na-

Natura has rerum ſtuduit componere lites:
  Unius in miſeri ſcilicet exitium.

Ad Tryphonem Bentium.

Benti, ſic tibi Juno Juppiterque
Æque, ac Pierides novem ſorores,
Et Phœbus pater, & Minerva Pallas
Opes contribuant ſuas benignè;
Sic æque invideant beatiores,
Et æque invideant boni poëtæ,
Hi ſuaviloquis tuis camœnis,
Illi turgidulis tuis crumenis:
Ut me perpetuo tibi obligaſti
Non tantum omnigena eruditione,
Qua cunctos ſuperas mage eruditos,
Quam morum probitate, candidoque,
Et præſtante animi tui nitore;
Quo ſic Socraticum ſapis leporem;
Ut ſæpe in dubium voces apud me,
An Tryphon mage Socratem æmuletur,
Socrates magis an ſuum Tryphonem.

In Verſus funebres.

Hos ſibi verſiculos, vivat ſi Egnatius ille,
  Mercatos multo redderet ære ſuos.

De Leone roſam unguibus prerepente, qui gentis Paſquæ eſt inſigne: ad Octavianum Paſquam.

Eſt roſa flos Veneris, Leo Martem in prælia ducit:
  Et Deus hic fortis, mitis at illa Dea eſt.
Servandum hinc animum forti ſub pectore mitem
  Clara ſuæ gentis ſtemmata Paſqua docent:
Gentis Paſqua tuæ, multos quæ invicta per annos
  Fortunæ, & ſenii vulnera nulla timet:

Exurgens veluti ramis felicibus arbos,
  Spernit Hyperboreas fronde virente minas.
Sic illi æternum, parcat Jovis ira tonantis,
  Octavi, & cultu ſurgat in aſtra tuo.

In Ocymi emblema: pro eodem.

Ocyma, quæ teneris ſpectas viridantia ramis,
  Pictaque formoſis luxuriare comis:
Tacta ſolent leviter ſuavem diffundere odorem,
  Atque eadem tetrum mittere preſſa nimis.
Hæc olim Inſubridum (quis credat?) Principis iram
  Fregere, & patriæ depoſuere jugum.
Conſilio, Marcheſe, tuo: tu munere parvo
  Quippe doces magnos imperitare duces.
Nunc tibi materno conjunctus ſanguine Paſqua
  Stemmata jure ſuo vendicat illa tibi.
Diſce hinc quiſquis ades, quid ſæpe occaſio præeſt,
  Omnibus & rebus diſce adhibere modum.



BENEDICTI AVERANII

FLORENTINI.

AD FERDINANDUM

Etruriæ Principem.

QUalis erat, quum Regna puer Latonia Phœbus
Viſeret, aut fontes, Aonis ora, tuos;
Quem circum Nymphæ, circumque Heliconides omnes
Duxerunt agiles per juga læta choro,
Blandaque divino cecinerunt carmina plectro,
Carmina quæ rapidos detinuere Notos;
Talis adeſt Princeps; hilares mihi ludite Muſæ;
En venit, & tenero pulchrius ore micat.
Nunc vos arguto voces inflectere cantu;
Nunc decet Aoniæ tangere fila lyræ.
Veſtris ille choris, & dulci carmine gaudet;
Gaudeat, & facili combibat aure modos,
Ut quondam ingentum proavorum exempla ſequutus
Ornet Apollineas, & tueatur opes.
Illum Pieridumque chorus colat omnis, & omnis
Vatum Phœbæis turba verenda ſacris.
Vera cano, venerande Puer: tibi Caſtalis unda
Serviet, & Pindi non leve Numen eris.
Otia tu placidis facies tranquilla Camœnis.
Vatibus ingenium, materiamque dabis.
Te quicumque bibent Cyrrhæ felicius amnes,
Non humili cupient concinuiſſe lyrâ.
Tu modo Pieridum votis aſſueſce vocari,
Obſequium & placido lumine cerne meum;

Quæ tenues elegos luſit tibi parvula, tecum
Creſcet, & haud parvum Muſa movebit opus.

In ejusdem Natalem.

Jam lux Eois lætiſſima naſcitur undis,
Quæ te olim Auſoniæ ſpemque, decuſque tulit.
Natali formoſa tuo Florentia gaudet,
Et pro te ſupplex annua vota facit.
Me quoque ſacra juvat Genio celebrare potenti
Libantem annoſo pocula plena mero,
Pegaſides Nymphæ pia numina vatis adeſte,
Si vos dilecti Principis urit amor.
Vos, dum thura damus, niveâ cum veſte venite,
Et nitidas molli cingite flore comas;
Nec tam ferte ſacris, quas fert Panchaia merces,
Nec tam Mopſopiis dulcia liba favis,
Quam de Caſtalio jucundius amne petitum
Nectar, & Aoniis dona beata jugis;
Et docto reſides impellite pollice chordas,
Et Genium lætis concelebrate choris.
Hinc Ferdinandum ſonet utraque nobilis Arni
Ripa, ſonent Floræ mœnia lata ſuæ.
Huic faciles Divos, & candida fata precari,
Euboicoſque annos, Neſtoreoſque decet.
Hanc tamen egregie par eſt optare beatam,
Ominibus fauſtis & celebrare diem.
Hæc eſt illa dies, qua non affulſit Etruſcis
Lætior, aut votis ulla petenda magis,
Qua caput inſeruit felix Etruria Cœlo,
Et Tyrrhena ſtetit Principe fulta Domus,
Grata domus Phœbo, cui ſemper maxima vates
Cura fuit, doctas & coluiſſe Deas,
Et claras augere opibus regalibus artes,
Et priſcum tenebris eripuiſſe decus.
Quare, Pierides, dulcem teſtemur amorem,
Teſtemur celebri gaudia noſtra die.
Vos meminiſſe decet, quæ carmina Phœbus Apollo
Præſagâ fertur concinuiſſe lyrâ.

Na-

Natus eras, Auguſte Puer, Tyrrhena ſonabat
  Undique gratantum vocibus Aula piis;
Lætitiaque animos ad ſidera, ſpeque ſuperbos
  Tollebat pulſo regia Flora metu;
Quum populos inter lætantes lætus Apollo
  Fatidico tales protulit ore ſonos.
Salve, Magne Puer, quamvis inſignis avorum
  Gloria ſe titulis tollat ad aſtra ſuis,
Majorum eximiis vinces virtutibus acta,
  Et magis ipſe tuâ laude canendus eris;
Nam ſic Imperii moderabere frena potentis,
  Ut redeat Tuſcis gloria priſca tuis.
Tecum ſancta fides, tecum clementia, tecum
  Aurea pax gentes, & Themis alma reget;
Tyrrhenoſque Ceres, & dulcis amabit Jacchus,
  Et bona perpetuas copia fundet opes;
At monſtrum infelix livorque, & turpis egeſtas
  Inviſum condet ſub Phlegethonte caput.
Nec tibi vis animi deerit, nec vivida bello,
  Quæ facile hoſtiles dextera frangat opes,
Utque geres laudanda, illos mirabere, Princeps,
  Heroum digno qui decus ore canunt,
Hinc & Apollineas artes, Muſaſque fovebis;
  Hinc vetus ingeniis reſtituetur honos.
Hæc cecinit Phœbus, nec ſancta oracula Phœbi
  Irrita præcipites diripuere Noti.
Nam manifeſta fides, en Principis anteit annos,
  Quæ tenero virtus pectore adulta viget:
Jam colit egregias ſtudiis ardentibus artes,
  Jam ſequitur Phœbi, Pieridumque choros.
Moribus his validam, Superi, donate juventam,
  Et ſenium vivax, perpetuumque decus;
Nataliſque dies, quo nunc Etruria gaudet,
  Felici redeat candidus uſque pede.

IN EUMDEM
Laudatur venationis ſtudium.

Dum tu, Magnanimi Proles auguſta Parentis,
Ferdinande, moves arma inimica feris;
Nec tantùm gaudes imbelles figere damas,
Cervorumque ſequi lata per arva greges,
Sed cupis horrendos invadere comminus apros,
Et placet e forti gloria parta ferâ;
Vibrantem tenerâ victriciâ ſpicula dextrâ
Vidit Nympharum læta Diana choris;
Et mirata decus formæ veſtigia preſſit,
Laudavitque agiles ad ſua dona manus.
Hinc ait: Etruſci ſalve ſpes altera Regni,
Progenies Magno digna Parente, Puer.
Quam lætor, dum te video pulcherrime rerum
Florentem ſtudiis, conſpicuumque meis.
Nam coluiſſe meas quis poſſit dignius artes?
Quis tantum Nymphis, & mihi ferre decus?
Par tibi fortunæ eſt tenero maturius ævo
Ingenium, egregiis mens generoſa bonis,
Et pudor ingenuus, probitaſque, & nobilis ardor,
Quo mea, quo Phœbi munera lætus amas.
Nec puer Aſcanius tantum indole claruit altâ,
Miſit in hoſtiles quum fera tela globos.
Segnior Hippolyto virtuſque, & dextera forti,
Nec vigor in niveo corpore tantus erat.
Tu ſeu tela vibras agili contorta lacerto,
Impiger & pugnæ jam ſimulacra cies,
Sive premis curſuque feras, telisque fugaces,
Inque meas artes incubuiſſe juvat,
Oſtendis claro te natum e ſanguine Regum,
Altaque virtutis das documenta tuæ;
Seu celerem ſublimis equum compeſcis habenis,
Sive jubes volucri carpere prata fuga;
Seu docilem gaudes in gyrum flectere curſum,
Natus Amyclæâ Matre videris Eques.

Jam

Jam quum Phœbeas animum convertis ad artes,
Et ſacer Aonidum pectus adurit amor,
Flagrantem ſtudio miratur Delius ipſe,
Et ſtupet ingenium Calliopea tuum.
Sed quamvis felix te ſemper gloria tollat,
Condecoretque ſequax gratia, quidquid agis,
Nil te Magne Puer, tantum decet ars mea, quantum,
Quam Reges, magni quam coluere Dei,
Quum juvat umbroſas indagine claudere valles,
Turbataſque ſequi per juga ſumma feras,
Altius inſurgis, tractantis & aſpera tela
Divinum egregio fulget in ore decus.
Tunc roſeos vultus, & lumina blanda Napææ,
Tunc & Apollineas obſtupuere comas.
Ipſe manus, celereſque pedes laudavit Apollo,
Et ſolùm telis tela minora ſuis.
Perge, Puer, tales nec tu contemne labores,
Ferdinande, meos neve relinque choros.
Hæc tibi magnarum virtutum elementa futura,
Hæc tibi manſuræ ſemina laudis erunt.
Scilicet his olim ſtudiis exercita virtus
Crevit, & Heroum vexit ad aſtra decus.
Hac primam in ſilvis exercuit arte juventam,
Qui puer Aſtyagi jam metuendus erat;
Ille, pharetratam qui Perſida victor, & Indum,
Et tenuit ſceptris ultima Bactra ſuis.
Ipſe etiam Æacides Grajûm fortiſſimus Heros,
Quo duce barbaricas Græcia fregit opes,
Dardana Peliacis meditatus bella ſub antris
Erudiit fortes hac puer arte manus;
Et qua concuſſit Neptunia Pergama dextrâ,
Gaudebat trepidas hac agitare feras.
Parva loquor; Phœbo placuerunt talia, Phœbum
Venantem ſaltus detinuere mei;
Utque facis, capreaſque puer, cervoſque ſolebat
Figere, & hanc illi præda triumphus erat.
Hinc eſt aucta Deo virtus, hinc vertit in hoſtes
Arma, quibus pavidas fixerat ante feras;

Et quum veſano tellus concuſſa tumultu
  Ipſa daret Natis impia tela ſuis,
Non timuit vaſtâ tendentes mole Gigantes
  Pelion Oſſæis impoſuiſſe jugis;
Et ſtetit Enceladum contra, Latonia tela
  Auſus Phlegræis oppoſuiſſe minis,
Altaque fulminei defendit regna Parentis
  Impiger, atque ipſo vix genitore minor.
Huic ſimilis formâ, Puer, es, pulcherrime, talis
  Ille oculis, roſeo fulſit & ore puer;
Et quas nunc ſolers artes colis, ille colebat,
  Et qua nunc præſtas indole clarus erat,
Et virtute parem finget te ſerior ætas
  (Si modò fas hominem compoſuiſſe Deo)
Utque minas fratrum non horruit altus Apollo,
  Titanum & diro ſanguine tinxit humum;
Sic tibi non animus, non dextera ſegnis in hoſtem,
  Armarit ſi quos in tua regna furor.
Etruſci colles, Cœlo gratiſſima tellus,
  Quam placidus vitreis irrigat Arnus aquis,
Quæ vobis Magni lætiſſima munere Coſmi
  Aurea pax floret, floreat illa diu,
Et vos flava Ceres, & vos pulcherrimus Evan
  Muneribus certent uſque beare ſuis,
Ingeniiſque, opibuſque, & ſanctis moribus ornet,
  Augeat atque omni Juppiter altus ope;
Et procul abſit amor cædis; Tyrrhenaque ſemper
  Neſciat hoſtiles terra beata minas.
Sed quoniam conſtans nihil eſt Mortalibus uſquam,
  Verſat & inſtabiles fors, variatque vices,
Et furiis Mars ſævus, & implacabilis ardet,
  Æternam & pacem gentibus eſſe vetat,
Si quid fata parent, ſi quid fortuna minetur,
  Rumpat & armipotens otia veſtra Deus;
Felices tanto vos Principe, quanta triumphis
  Creſcet materies, lauriger Arne, tuis?
Theſſala non tantum ſeſe jactavit Achille,
  Nec Theſeæ tantum Cecropis ora ſuo;

Hoc

Hoc quantum ſe ſe tollet ſublimis alumno
  Magnorum Tellus mater Etruſca Virûm.
Scilicet hic, veterum qui maxima facta virorum.
  Semideûmque decus vincere poſſit erit.
Nec minùs egregias artes, quibus aurea floret
  Pax, & tranquillum pacis amabit opus,
Addere virtuti ſtimulos, & præmia laudi,
  Suppliciique metu continuiſſe malos,
Mitibus imperiis gentes frenare ſuperbas,
  Utque ſuis Regni conſuluiſſe bonis,
Et facere ingeniis, & amicis otia Muſis,
  Clara nec in tenebris facta jacere pati.
Hæ Ferdinando tranquilli pectoris artes,
  Hoc ſtudium placidæ nobile mentis erit.
Gaude Magnanimûm Genitrix Florentia Regum,
  Tuſca videt placido lumine Regna Deus;
Nam quæ tranquillo felix Etruria Cosmo
  Laudibus, atque opibus floret adaucta novis;
Non minùs & Nati virtutibus inclyta creſcet,
  Non minùs alta ſuum tollet ad aſtra caput.
Magne Puer, quum firma Virum te fecerit ætas,
  Tunc populis condes aurea ſæcla tuis:
Tu lux Auſoniæ, tu ſpes fidiſſima gentis,
  Exemplum & magnis Regibus unus eris.
Felix illa dies, quum tu plaudente Senatu
  Aurea cum Magno ſceptra Parente geres;
Et Genitor tantæ partem deponere molis,
  Gaudebitque humeris impoſuiſſe tuis,
Te lætum aſpiciet tunc Æthere lætus ab alto,
  Monſtrabitque artes Juppiter ipſe ſuas,
Queis populos frenare queas, & condere leges,
  Publicus unde tibi concilietur amor.
Hæc tibi contingent olim, nunc mollior ætas
  Aptior eſt noſtris, Pieridumque choris;
Hos cole, ut & vigeat mens doctas culta per artes,
  Et firmet gratus fortia membra labor.

Amo-

Amoris contemptus.

Quid mihi, ſæve Puer, vulnus crudele minaris?
Quid petis immiti ferreus igne ſinum?
Imbelles depone faces, depone ſagittas,
Et tua victus Amor, corda ſuperba doma.
Tu licet Idaliis armes nova tela venenis,
Et graviora mihi nectere vincla pares,
Et tecum fratres, & tota Amathuſia regna,
Et Venus ardentes ventilet ipſa faces;
Me numquam vinces, numquam, Puer improbe, coges
Fortia materno ſubdere colla jugo.
Nempe tuis mea mens non eſt obnoxia telis,
Quæ Cypriæ Numen ridet inulta Deæ.
Nec mihi ſunt duro circumdata pectora ferro,
Nec mihi Sithonio corda ſepulta gelu;
Me mea Calliope, curiſque Minerva pudicis
Non ſinit invitum ſuccubuiſſe tibi.
Illa mihi flammis animum felicibus urit,
Hæc regit, & Cyprias aurea vincit opes.
Quid tibi, quid mecum eſt? non ſum tua præda, Cupido.
Nec poſſum caſtris utilis eſſe tuis.
Me Phœbo vigiles juvat uſque impendere noctes,
Et Veneri caſtas præpoſuiſſe Deas.
Otia te, lectuſque juvat genialis, & umbra,
Luſuſque, & nimio menſa proterva mero:
Tu levis in molli recubas violaque, roſaque,
Inque puellarum, deſidioſe, genis.
Hîc regnant arcuſque tui, celereſque ſagittæ,
Hîc tibi jactandas dat Cytherea faces.
Nec tamen hinc omnes uris violentus, & omnes
Cogis vincla pati, ſervitioque premis.
Scilicet hæc Cyprii eſt immenſa potentia Regni,
Hæc eſt illa arcus vis metuenda tui;
Si quem forte juvat laſciva licentia, ſi quis
Idalium properat ſponte ſubire Jugum;
Aut multo madidus gaudet conviva Lyæo,
Protinus ille tuo ſaucius igne gemit;

At

At quicumque tuos ignes, tua ſpicula temnit,
  Et fugit inſidiis gaudia plena tuis,
Inſanas non ille faces, non vulnera ſentit,
  Nec dominæ duras excubat ante fores;
Deſpicit ambroſios vultus, & lactea colla,
  Oraque Pæſtanis invidioſa roſis;
Nequidquam crines, nequidquam lucida fulgent
  Lumina tranquillis æmula ſideribus;
Et blandi riſus, & quos Venus afflat honores,
  Et Charites fruſtra dulcia bella movent.
Scilicet haud humiles quæ volvunt ſobria curas
  Pectora, non facies ulla movere poteſt.
Quid Cephalum memorem, qui te contempſit amantem,
  Candida purpureo, quæ vehis ore diem?
Non Laërtiaden cepit formoſa Calypſo,
  Nec Circe blandis inſidioſa modis.
Pulchra erat Ægidæ Conjux Minoia, caſti
  Non tamen Hippolyti pectora flexit amans,
Ah quoties lacrimis, precibuſque, & ſupplice formâ
  Vincere tentavit Creſſa puella Virum:
Illa truces fletu poterat placare leænas,
  Et poterat vultu ſollicitare Jovem;
Non potuit Juvenis mentem lenire, fugaces
  Ut Phædræ vellet poſthabuiſſe feras.
Reſpuit illecebras, & dona Cupidinis Heros,
  Et ſtetit indomito in pectore dura ſilex;
Sæpe Amor injectis præcordia figere telis
  Contendit, rapidas ſuppoſuitque faces;
Infelix fractas vidit ſua tela ſagittas,
  Protinus extinctas ingemuitque faces.
Gratia magna tibi domitrix Dictynna ferarum.
  Nempe tuo ferus eſt numine victus Amor.
Tu, Dea ſurgentes vetuiſti creſcere flammas,
  Et laſciva pium lædere tela ſinum.
Te Duce Theſides ſilvas tendebat in altas,
  Fortis & horrendis bella movebat apris:
Te duce gaudebat cervos agitare fugaces,
  Et captas altâ claudere valle feras.

Ars tua laſcivas componit, Delia, curas,
Et contempta Venus vincitur arte tuâ.
Ipse ego ne poſſem ſentire Cupidinis ignes,
Venator coierem ſacra, tuosque choros;
Sed me Calliope, me Rex Heliconis Apollo
Detinet, & ſtudiis culta Minerva meis.
Pace tuâ, Dictynna, magis Tritonia Virgo
Me movet, & blandis Calliopea modis.
Candida Calliope placido me lumine vidit
Naſcentem, blando continuitque ſinu.
Et me Pallas amat, cujus & dulcibus implet
Pectora, nativas ſollicitatque faces,
Nec ſinit immitis dominæ me ſæva timere
Imperia, aut vinclis inſeruiſſe manus.
Et me tollit humo ſublimem, & ſemina rerum,
Naturæque vias quærere Diva jubet.
Te ſequor, o veneranda, tuo me numine plenum,
Socratico nectar ducere fonte juvat.
Ite procul curæ, penetralia viſere Mundi,
Æthereoſque orbes me rapit acer amor.
Aſpiciam, quæ vis immenſum volvat Olympum,
Quæ Siren dulci temperet Aſtra ſono;
Cur micet horrendo feralis crine Cometes,
Quo trifidam accendat Juppiter igne facem.
Hinc ego Caſtaliamque undam, Phœbæaque Tempe
Inviſam, & ſilvas, Pinde canore, tuas.
Et me Pindaricos fas quippe accedere fontes,
Et fera Mantois bella tonare modis;
Ut magno pugnas, & Reges ore canentem
Me meus attonitis audiat Arnus aquis,
Miratuſque ſuum civem grave dicere carmen
Imponat noſtris laurea ſerta comis.
Sic ducam Idaliâ victor de plebe triumphum,
Impoſitoque premam te pede, turpis Amor.

Ut

Puellæ Laus.

Ut quæ vere novo Paphiis roſa naſcitur hortis
  Pulchrior, & Dominæ tincta cruore ſuæ;
Et ſpecie vernis, & grato præſtat odore
  Floribus, & late conſpicienda nitet,
Hac Nymphæ cupiunt flavos redimire capillos,
  Hanc gerit ornatis & Venus ipſa comis.
Sic formoſa nites æquales inter, & omnes
  Sic roſeis vincis, culta puella, genis;
Splendida nam Charites tibi munera mille dederunt,
  Et formam Cypris juſſit habere ſuam;
Illa tibi niveaſque manus, & lactea colla,
  Intactâ ſinxit candidiora nive,
Purpureas imitata roſas & labra, genaſque,
  In quibus & formæ flos. & amoris ineſt;
Flaventeſque comas, formoſaque lumina fecit,
  Æmula luminibus ſideris eſſe ſui.
Hæc Cytherea tibi dedit aurea dona; quis autem
  Enumeret, faciles quæ tribuere Dei?
Magnanimam mentem finxit tibi Juppiter auctor,
  Ingeniumque ſagax docta Minerva dedit;
Affudit Juno capitique, humeriſque decorem,
  Ut non pulchra magis, quam veneranda fores;
At quæ formoſo ſtat blanda modeſtia vultu,
  Te decet, & flammas ſemper amoris alit:
Inſidet & roſeo Dea Suada loquentis in ore,
  Eloquiumque alto e pectore dulce trahit.
Ipſe tibi vocem Phœbus dedit, ipſa canenti
  Tradidit argutam Calliopea lyram;
Et rigidas victor mentes domat, aſpera bella
  Dum movet, inque genis excubat acer Amor.
Singula quid memorem? formam tibi Numina Divum
  Cœlicolum formis cuncta dedere parem;
Et fecere piam, fecerunt pectoris alti
  Præſtantem egregiis, ingeniique bonis.
Hinc omnes uris, cunctorum hinc cauſa malorum es,
  Quæ parit, & nobis nutrit acerbus Amor.

Nam

Nam velut humano generi Pandora ſuperbis
  Muneribus Divum perniciofa fuit;
Sic tibi, quæ faciles tribuerunt munera Divi,
  Ah miſeris luctum perniciemque ferunt.
Illa ſed emiſit damnoſo e vaſe malorum
  Agmina, tu pulchris candida luminibus.
Nam quicumque tuos adverſus ſpectat ocellos,
  Ah crudele miſer vulnus amoris habet,
Illius & mollis populatur flamma medullas,
  Et deſiderio pectora victa gravi;
Et ſemper lacrimas, ſemper ſuſpiria ducit,
  Et ſemper curis anxius uſque gemit,
Et furit infelix, intabeſcitque, nec umquam
  Illum blanda quies, aut ſopor altus habet,
Caligant oculi, feſſos tremor occupat artus,
  Et concuſſa gravi turbine corda micant.
Tantum, pulchra, malum, Virgo, es Mortalibus ægris,
  Exitio quorum forma reperta tua eſt.
Nec tamen incuſo fulgentia lumina demens,
  Nec faciem damno, cara puella, tuam;
Nam quis Cœlicolûm formas odiſſe protervus
  Audeat, aut magnos incr-puiſſe Deos?
Non tamen ora licet Cœleſtum impune tueri,
  Et viſi damno ſæpe fuere Dei.
Ipſe oculis caruit, vidit qui Pallada vates,
  Candida dum puro in gurgite membra lavat;
Spectantem, Actæon, te corpora nuda Dianæ
  Sævior immitis perdidit ira Deæ;
At miſeram Semelen votis culpanda ſuperbis
  Dum videt ora Jovis, fulmineamque facem,
Mors rapuit, magnique exuſſit fulmen amantis,
  Et cecidit quamvis grata puella Jovi.
Quæ ſi vera ferunt vates, auguſta nec umquam
  Cernere magnorum profuit ora Deum;
Non miror formam qui te Cœleſtis habentem
  Aſpiciunt, ſubito triſtia damna pati.

In

In laudem Divæ

MADGALENÆ PACTIÆ

HYMNUS.

Calliope, noſtris felix allabere ceptis,
Et tu, Phœbe, novas in carmina ſuffice vires;
Magnum opus aggredior; nunc o felicibus ora
Solve modis, mentemque auris audacibus imple,
Nunc animum trepidantem alto ſe credere Cœlo,
Hærentemque ſolo ſublimem attolle: volatu
Æthereo duc o volucrem per devia mentem,
Et mecum molire viam, qua nubila vincam,
Arduaque immenſi tranem penetralia Mundi.
Aut (quoniam non Pierides, non altus Apollo
Audet opus tentare) meis, pulcherrima, votis,
Diva, fave, Civem quam nobilis Arnus adorat.
Ignarumque viæ, ſuccumbentemque labori,
Ductrix magna, rege, & præſenti Numine firma
Attonitum vatem; tibi enim, tibi, maxima Virgo,
Ordior audaci modulari carmina plectro.
At dum ſuavis Amor rapido me concitat Oeſtro,
Et reſonare juvat laudum decora alta tuarum,
Mens oppreſſa labat ſub pondere, neſcia quo ſe
Vertat, & in tanto caligat lumine rerum:
Nam quam te memorem? quo facta ingentia dicam
Ore? quibus numeris immenſam evolvere nitar
Virtutum ſeriem? quæ digna exordia ſumam?
Quid prius admirer? genus alto a ſanguine ductum,
Egregias laudes, & nomina clara parentum,
Fortunamque domus, & pulchræ frontis honores?
An dotes animi, ſplendoremque indolis altæ,
An decus ingenii, mentiſque capacis acumen?
Hinc trahor, & revocat virtus, quantumque minores
Luna faces vincit puris argentea flammis,
Tantum alias vincit laudes pulcherrima, tantum,

Pactia, te veteres tollit ſuper Heroinas.
Te pietas teneris lactentem fovit in ulnis,
Et pudor, & probitas, & Numinis alma propago
Gratia, Relligioque animum vinctura pudicum,
Virginis & cunas circumvolitaſtis Amores,
Et decor, & magnæ labris immulſit Alumnæ
Nectar. & æternam Ambroſiam Sapientia nutrix,
Et teneros artus, greſſuſque modeſtia finxit.
Mox ubi prima ætas puerili floruit ævo,
Non te deliciæ molles, non blanda voluptas
Cepit, & illecebris fortiſſima pectora movit;
Non ſtudium formæ, non comere cura capillos,
Non ludus cordi, non fregit inertia mentem,
Non luxus mollis, nec opum veſana cupido;
Unus amor turpes animi ſedare tumultus,
Pectoris indomiti ſævas arcere procellas,
Degenereſque metus, cordiſque immania monſtra
Comprimere, & cæcos frenare Cupidinis ignes,
Et terris mentem eripere, atque attollere Cœlo;
Nec non in luctu vigiles producere noctes;
Et veniam orare, & precibus placare Tonantem.
Hîc ego Mœonium quamvis æquare canendo,
Aſcræumque Senem poſſem, citharamque, modoſque
Ipſe mihi vatum princeps donaret Apollo,
Obruerer laudum numero, & ſub pondere tanto
Deficerem; tenui quid nunc ingratus avenâ
Facta canam ſuperis ipſis miranda, Deoque?
Quid ſacras memorem curas, animumque pudicum?
Quid mentis robur, quid pectora neſcia vinci
Dulcibus illecebris, quid caſti incendia cordis?
Mitia Divini quid amoris ſpicula, quid te,
Crudelis pietas, quæ ſævam in vulnera dextram
Armas, & teneros flagris immanibus artus
Dilacerare jubes, & fundere ſanguinis imbres?
Ah nimium crudelis amor, ſic lactea membra,
Sic teneros lanias artus? en verbere duro
Languet formoſæ flos vividus ille juventæ,
Qualiter aſſiduis Pæſtana roſaria nimbis

Purpureum decus amittunt, aut lilia pallent,
Turbidus immiti quæ grandine verberat Æther.
Nec ſatis hoc? etiam ſuperis inhiantia menſis
Abſtinet ora cibis, epulaſque exoſa Virago
Deterit exiguas vires, etiam altus Olympi
Rector pœnarum ſæva inſtrumenta miniſtrat;
Et ſertum horrendum, dumiſque immane cruentis
Virgineo imponit capiti, ſociamque doloris
Eſſe jubet, quem hauſit quondam, quum funere acerbo
Humanum eriperet genus atri e faucibus Orci.
Quid querar? hæc Cœli ſunt vulnera grata, medelam
Tela ferunt, quæ vibrat Amor Divinus, & inſons
Pectus amaritie, quam Numen amabile miſcet,
Gaudet, & exultat; ſed quis furialia monſtra,
Tartareamque aciem, totumque Acheronta moveri
Virginis in cladem, ſtygioſque immane colubros
Intentare piæ ferat agmina ſæva ſororum?
Tu tamen has contra furias, contra omnia tela
Inconcuſſa manes, horrendumque impigra bellum,
Et rabiem perfers ſurgentis in Æthera Ditis;
Nec te ullæ facies, non torto verbere terret
Tiſiphone, & diro bacchata furore Megæra,
Hydræque, Scyllæque, horrendoque ore Chimeræ.
Ac velut Æthereas ſe tollit Olympus in arces;
Ventorum ſi quando minæ intonuere, fremitque
Nubibus, & nigrâ denſum caligine Cœlum;
Ille manet, ſævas Caurorum & deſpicit iras,
Fulmineaſque faces, tempeſtatemque furentem,
Et puro fruitur Sole, & lucentibus aſtris;
Sic, præſtans animi Virgo, Phlegethonta refuſum
In tua damna domas, tantis interrita monſtris.
Salve, bellatrix, ſalve, o clariſſima victrix,
Et palmis lætare tuis; hinc ſcilicet altæ
Mentis opes crevere tibi, hinc patuere beati
Templa ſerena poli, & menti ſe ſe obtulit ultro
Æternum, immenſum, & non enarrabile Numen.
Dum langues flammis, & dulci ſaucia telo,
Hîc tibi ſe pandit vis alti immenſa Tonantis,

Immenſum lumen immenſique ardor Amoris,
Qui nectit cum Prole Patrem, Natoque; Patrique
Idemque, atque alius, Numenque, & ſpiritus ingens;
Fecundo Pater obtutu æternamque, paremque
Progenerat Prolem Proles immenſa, Paterque,
Dum pariter redamant, igniſque reciprocus ardet,
Æquævum ſpirant. & compar flamen utrique.
Scilicet hic Sol, æternâ qui luce beatas
Irradiat mentes. & flammis urit Amoris;
Hic fons, qui Superos æterno Nectare paſcit,
Unde voluptatis Divinæ vena redundat
Sed quò, Muſa, ruis? ſatis eſt tentaſſe verendas
Virginis Auguſtæ laudes, quid ſidera ſupra
Tendis? in immenſam quid figis lumina lucem?
Mentibus & Superûm vix intellecta beatis
Audaci tentas arcana evolvere cantu?
Deſine, non ſemper felix audacia vincit.
At tu ſidereo, Virgo gratiſſima Regi,
Aſpice dilectos felici lumine cives,
Auxilioque tuere tuos, atque Æthere ab alto
Hoſtiles iras, & tela inimica retunde;
Et ſi ſerta tibi, ſi maſcula thura dicamus,
Concipimuſque preces, & centum ponimus aras,
Ne ſine veſanas rapere irrita vota procellas.

IN EQUITEM VINCENTIUM AULLAM PATRICIUM PISANUM,

Quum Juris utriuſque Laureâ donaretur.

Juſtitiæ domus alta, domus non pervia fraudi,
  Ardua polluto non adeunda pede;
Stat Dea, fulmineo quæ territat enſe profanos,
  Et faciles aditus præſtat amica piis,
Sontibus horrendum ne templum tentet inire,
  Tangere neu turpi ſacra verenda manu,
Degeneres atro volvit qui pectore curas,
  Cui mens ex humili ſurgere neſcit humo:

Cui

Cui ſcelus, & fraudes, & n xia crimina cordi,
  Et furit in ſævo pectore cædis amor;
Et ſcelerata fames auri, turpiſque voluptas
  Exagitat flammis quem, Cytherea, tuis;
Qui premit inſontes, virtutemque impius odit,
  Et miſeris facilem ferre recuſat opem.
Mens pura Ætherei, mens non oblita Parentis
  Cui viget, obſcuram ſpernit & ales humum;
Et quem cana fides, & quem Sapientia vulgo
  Eximit, & morum candor ad aſtra vehit;
Nec facibus victrix Erycina potentibus urit,
  Nec rapit attonitum ſplendor avarus opum.
Non vulgi levis aura movet, nec iniqua jubentis
  Tranſverſum populi turbidus ardor agit;
Illi Auguſta Deæ ſedes patet, ille Sacerdos
  Eligitur magni Numinis, ille comes:
Illi ſacrarum cedit cuſtodia legum,
  Et vindex æqui eſt, & decus ille fori;
Et populis aptus tranquillâ pace regendis,
  Et bonus eſt Patriæ condere jura ſuæ.
Hinc tibi, Vincenti juvenum lectiſſime, lauri
  Ipſa Themis gaudet nectere fronde comam,
Juſtitiæque altum Penetrale recludere, & altam
  Mentem, & ſecretæ myſtica ſacra Deæ.
Felix, nobilitas quem lumine clara ſuperbo,
  Lumine ſed virtus nobiliore beat;
Celſius & famâ, tituliſque extollit avitis
  Vis animi, ſtellis inſerit alta ſuis!
Tu ſtudium Themidis primis complexus ab annis
  Auſus es ignotas impiger ire vias,
Et legum abſtruſas penitus luſtrare latebras,
  Et laudum abrupto in vertice ferre gradum.
Nec piguit tenerâ duros ætate labores
  Ferre, neque ad curas incubuiſſe graves;
Eſt ſtudio longas inſomni ducere noctes,
  Et ludo æſtivos eripuiſſe dies.
Nec te deliciis laſcivi Mater Amoris
  Flexit, & illecebris blanda juventa ſuis.

Aſpera nequidquam meditatus bella Cupido
  Intulit ardentes in tua damna faces.
Non ſic Hippolytum pharetratæ cura Dianæ
  Juſſit Acidalii ſpernere tela Dei;
Aut ſic Palladiis Laërtius artibus Heros
  Circæâ ſprevit mixta venena manu;
Reſpuit & veſtros, proles Acheloia, cantus,
  Cœliferoque Deam fugit Atlante ſatam;
Edocuit Cyprias ut te contemnere flammas
  Et Themis, & Clario juncta Minerva Deo.
Quid memorem, ut denſo præceps nihil agmine pubes
  In commune trahat candida corda nefas?
Illa voluptatum ſtimulis agitata protervis
  Heu nil jam vetitum, nil ſibi turpe putat;
Sponte cupidineis dat brachia victa catenis,
  Geſtit & Idalium cæca ſubire jugum.
Fruſtra jam leges effrenem, & jura coërcent,
  Legem illi tantum ponit iniquus amor.
Una Venus tenerâ victrix cum prole triumphat.
  Florentes annos edomat una Venus.
Jam ſquallent deſerta ſitu Parnaſſia Tempe,
  Mœrent Phœbæis antra canora modis.
Nec quiſquam Aoniis haurit de fontibus undam,
  Nec quiſquam e Pindo laurea ſerta petit.
Teque fugit vacuâ regnantem, Pallas, in aulâ,
  Et doctas pubes ridet inepta Deas;
Et tenebras vitæ claro præponit honori,
  Quem paris invictâ, Phœbe ſuperbe, lyrâ.
Hæc exempla movent juveniles improba mentes,
  Hæc etiam flectunt pectora dura ſenum;
Non vicere tuum, Vincenti candide, robur,
  Aut in nequitiam publicus error agit.
Scilicet in niveo morum tibi pectore candor
  Stabat, & inſigni cum gravitate pudor,
Et teneræ cuſtos invicta modeſtia formæ,
  Et virtutis amor, flagitiique metus.
Nam tibi Cæſareas penitus cognoſcere leges
  Cura quidem, & Latii jura vetuſta fori;
Quo-

Quoque modo gentes validis frenentur habenis,
  Ne juſtum excutiat plebs violenta jugum;
Cura ſed illa prior, molli dare jura juventæ,
  Moribus & legem conſtituiſſe fuit;
Atque animum frenare tuum, motuſque rebelles
  Mentis, & imperio ſubdere mirus amor.
Hinc tibi non faſtus opibus fortuna ſuperbis
  Attulit, aut clara nobilitate domus.
Præcipitem flammis non ira furentibus egit,
  Fortia non fregit pectora luxus iners.
Non ſtudium formæ, non cultus mollior æquo
  Femineis compſit membra decora modis.
Læta nec in ſeram convivia ducere noctem
  Mos fuit, aut multo permaduiſſe mero.
Ingenium ſed come fuit, ſed dulcis amicis
  Candida ſimplicitas, intemerata fides:
Alta quies animi, vitæ pulcherrimus ordo,
  Et placidus morum, perpetuuſque tenor.
Et fuga deſidiæ, patientia firma laboris,
  In ceptis conſtans mens operoſa tuis.
Et fandi ſolers, & tempora noſſe tacendi
  Ingenium, dulces ingenuique ſales.
Obſequium, poſſis quo blandius uſus in omnes
  Caucaſeâ duros flectere caute ſinus,
In conſanguineos pietas, reverentia patris,
  Diſſidio in fratres non violatus amor.
Aſt aliæ magnis laudes Heroibus æquant;
  Ardua relligio te ſuper aſtra vehit;
Admovet illa Deum Mortalibus, illa beatis
  Una poteſt mentes inſeruiſſe choris;
Qua duce felici complexus pectore Numen
  Delibas magnis gaudia nota Deis;
Atque humiles curas pennâ fugiente relinquis,
  Exuis, & ſi quid mens tua fæcis habet.
Hinc ea cognato fruitur pulcherrima Cœlo,
  Purior & Cœlo, ſideribuſque nitet.
O Themidis proles, quæ lucida regna petiſti
  Ætheris, ut fugeres impia corda virûm,

Et mortale genus, terraſque exoſa furentes
  Vix unquam placido lumine noſtra vides,
In juvenis mentem delabere, Diva, pudicam;
  Hæc erit & Cœlo gratior aula tuo;
Hîc nihil abjectum, nil non cœleſte videbis,
  Quodque oculos nequeat, Diva, tenere tuos.
Hîc tibi (ne Superûm fulgentia templa requiras,
  Aonidum blando quæ regit ore cohors)
Non deerunt Muſæ comites, non carminis auctor
  Qui juvenis mentem Phœbus, ut Aſtra, movet;
Pieridum fontes, vatum felicia Tempe,
  Cultrix Phœbæi turba canora jugi;
Et vos perpetuo victuri carmine manes,
  Attica quos tellus, quoſque Latina colit,
Vos mihi nunc teſtes, quanto ſuccenſus amore
  Diligat Aonidum, ſuſpiciatque choros.
Ille per aëriaſque vias, Cœloque minantem
  Inceſſit rupem, Phocidos ora, tuam.
Inde tulit claram Cyrrhæâ fronde coronam,
  Quæ Themidis lauro quam bene juncta viret!
Et vix conſpicuus primævo flore juventæ
  Luſit Apollineâ carmina digna lyrâ
Hunc puerum tecum miratus, Phœbe, canentem
  Facundâ Majæ filius auxit ope;
Et mulcere dedit vel ferrea pectora linguâ
  Auſoniâ, & Grajo dulcius ore loqui.
Sic Etruſca tibi, Romanaque gloria fandi,
  Rarus & Argivi contigit oris honos,
Et triplici poſſis incedere laude ſuperbus,
  Ennius ut triplici corde ſuperbus erat.
Sed tibi, Vincenti, magnum Cyllenius Ates,
  At tribuit majus Pallas amica decus.
Pallas amica dedit cognoſcere ſemina rerum
  Quattuor, & miris corpora nexa modis.
Aureus unde ſibi Titan alimenta miniſtret,
  Sidera perpetuum ſex jubar unde trahant.
Stet medio tellus immota volubilis axis,
  An vaga immoto ſe magis axe rotet.

Cur

Cur tonet, horribileſque ruant e nubibus ignes,
  Solis & adverſis luceat arcus equis.
Quæ regio ſubjecta rotis Hyperionis, & quæ
  Squalleat indomito ſemper aduſta gelu,
Oſtendit poſitus Aſtrorum, arcanaque Mundi,
  Ingenio Cœlum ſuppoſuitque tuo
Oſtendit Siculi miranda inventa Magiſtri,
  Et quidquid formis Græcia docta docet.
Hæc te Caſtaliâ docuerunt Pallas in umbrâ,
  Et Majâ genitus, Pierideſque Deæ.
Artibus inſtructum, doniſque Aſtræa Dearum
  Prodire in ſolem, nunc aciemque jubet.
Imperat, & magni Demoſthenis arma movere,
  Civicaque in medio bella ciere foro.
Quantus eris! quum tu legum tutela, ſaluſque,
  Quumque fori ſplendor, luxque ferere togæ;
Portus & innocuæ turbæ, ſcopuluſque nocentum,
  Juſtitiæ templum, juris & ara ſacri.
Tunc tibi fulmineæ torrens facundia linguæ
  Proderit, & doctas excoluiſſe Deas.
Ut potiare tui lato Sapientia Regno,
  Utque regas alios lingua diſerta dabit.

IN DISCESSU FRATRIS.

Parthenopen Frater mihi nectare dulcior ibit,
  Mantoi Tempe Vatis amica tubæ.
Muſa (mihi quando non fas) comitare migrantem,
  Sed propera; naves aura ſecunda vocat:
Vitrea ſopiti ridet pellacia Ponti,
  Non Hyades terrent, Plejadeſque ratem.
Non tempeſtatem pluvio meditatur Orion
  Igne, nec Olenium protulit ore jubar.
Eſt feſtinandum, quando favet æquor eunti,
  Inſtabiles riſus mobile marmor habet.
Quiſquis, ubi lætæ favet indulgentia ſortis,
  Non properat verſas heu gemet ille vices.
Vade, licèt claudo properes, Elegeia, greſſu,
  Vade, ſuis pennis te vehet ales Amor.

Quid

Quid mandem tibi, quæris? iter ne deſere fratris,
  Dulcibus alloquiis tædia falle viæ.
Tranquillamque Thetyn, ventoſque precare ferentes
  Germano, & Pylios, & ſine fæce dies.
Si quando flebit, patriis quòd vulſus ab ulnis
  Delicias liquit, candida Flora, tuas,
Hac importunum ſolabere voce dolorem,
  Sed fac, vox dulci lætiùs ore ſonet.
Quid fles? haud crimen patriâ te pellit ab urbe.
  Non eſt cauſa tuæ collacrimanda viæ.
Non ad Hyperboreas hiemes, urſamque nivalem,
  Caucaſeumque jugum te via dura feret;
Flevit ubi in cædem fecundum vivere pectus,
  Primus ab Æthereâ qui tulit arce facem:
Non petis Æthiopas, quos urit inhoſpita Solis
  Flamma, nec ad Libyes litora tendis iter;
Vis Auſtri molitur ubi tumulumque, necemque
  Hoſpitibus, crebrâ & dipſade turget humus;
Non Ithaci tentas errorem, iramque, minaſque
  Et maris, & terræ, Cœlituumque feres:
Non te ceu Veneris Natum terraque, ſaloque
  Errantem Conjux ſæva Tonantis agit:
Non te veſani furor impius urget Oreſtis
  Ad ſacra Barbaricæ ſanguinolenta Deæ.
Parthenope tibi meta viæ eſt innoxia Siren,
  Quæ Charis Heſperii, deliciumque ſoli eſt.
Ridentes viſes agros pulcherrima Tempe,
  Tempe quæ Mundi mitior aura fovet,
Sebetuſque rigat liquidus lapſus Mæandris,
  Qui caſto purum provocat amne vitrum.
Undantem populis, tectiſque frequentibus urbem
  Conſpicuam, & gazis Regna ſuperba petis.
Nec tamen æternùm Florâ cariturus abiſti;
  Luminibus reducis pulchrior Arnus erit.
Sic mage grata parens Nato eſt, Natuſque parenti,
  Quum repetit patrii limina cara laris;
Plurima quem vidit peregrinis meſſis in oris
  Suſpirantem urbis dulcia tecta ſuæ.

Queis

Queis fruimur ſemper, non tanta eſt gratia rerum;
Ni ſitias, fontis vix tibi ridet honos:
Si ſlaret ſemper genitabilis aura Favoni,
Non deſiderium gigneret illa ſui:
Si nunquam invideant tranquillum nubila Cœlum,
Non humus innubem poſceret uda Jovem:
Blandiùs arridet placidi clementia Ponti,
Ventorum ſævæ quum poſuere minæ:
Tantale, ſi poſſes ramum captare fugacem,
Nonne foret Divûm dulcior eſca dape?
Si Danai ſoboles refugis ſua compleat undis
Dolia, lætitiam quam ferat illa quies?
Quum miſer ad patrias Arces remeavit Ulyſſes,
Vix cœpiſſe reor gaudia tanta ſinu.
Tu quoque quum reduces referes ad patria greſſus
Tecta, voluptatis copia major erit.
Quod ſi fortè mei, Patriæque oblivia potet
Illecebris captus, Parthenopea, tuis;
Increpita blande, cerâ dic obſtruat aures,
Qua Laërtiades blanda pericla fugit.
Commoda tunc Floræ memorabis, & Orbis ocellum,
Et Charitum dices, Cœlituumque domum.
Me quoque commenda, cauſamque tuere Parentis,
Si patrocinio noſter egebit amor.
Quod ſupereſt, ſacram ſi quando acceſſeris Urnam,
Qua cubat Aonii Rex Maro, luxque Chori,
Inclina frontem, manibus da lilia plenis,
Et pluviam roris prodiga funde Syri;
Hunc mea dicta refer: Latiæ ſpes altera linguæ,
Sol vatum, domini fama, ſitiſque Tibris,
Cujus honos Orbem Phœnice perennior implet,
Miratur cujus Calliopea tubam,
Nominis urit amor me ferventiſſimus, odi
Vulgus, & Aonias te duce carpo vias.
Quando erit, ut docto Muſarum concitus æſtro
Non humili poſſim carmen hiare tubâ,
Nympharumque cohors noſtrum ſitibunda canorem
Audiat, & bibulis pendeat Arnus aquis.

Tu

Tu ſine, Cyrrhæos operoſo pollice flores
  Carpam; nam Cyrrhæ laurea ſceptra geris;
Caſtalii permitte mihi tu nectaris hauſtus,
  Tu mea laurigeris tempora necte comis;
Te duce non vepres, quos patres Pimpla roſarum
  Educat, horreſco, nec juga juncta Polo.
Vos almi cineres, ſcintillam augete caloris
  Caſtalii, noſtro in pectore ſi qua latet.
Sic vobis ſit terra levis; neque diſſipet Auſtri
  Turbo, quos clari nominis aura levat.

AD AMICUM RUSTICANTEM.

Ut pede felici noſtris conatibus adſit,
  Et faciles afflet pronus Apollo modos;
Non mihi Caſtalio latices e fonte bibendi,
  Laurus & Aoniis uſque petenda jugis;
Quum jucunda tuum præſcribit epiſtola nomen,
  Carmina Cyrrhæo largius amne fluunt:
Ocyus ut properent ad te, cariſſime, docti
  Sponte ſuâ coëunt ad loca juſſa pedes:
Claudicet alterno quamvis Elegeia greſſu,
  Phœbæi pennis ire videtur equi:
Clauda licet magnum non abnuit Apenninum,
  Duraque tam molli ſcandere ſaxa pede.
Ad te nempe venit, pretium tu grande laboris,
  Tædia longinqui callis, amice, levas.
Scilicet ut magnæ major Carthaginis ultor
  Edomat indomitas Hannibal igne vias;
Candida Theſæo qui fœdere pectora jungit,
  Victor Amor durum lampade mollit iter.
Perge leves agitare pedes, Elegia, placentis,
  Crede mihi, merces ampla laboris erit.
Te feſſam excipiet jucundo Rillius ore,
  Portus erit longæ dextra, ſinuſque viæ.
Sive agiles Dryadum mirabitur ille choreas,
  Et calami luſus, Pan Tegeæe, tui?
Seu liquidæ propter ſacrum caput abditus undæ
  Alituum dulces combibet aure modos;

Seu

Seu volucres viſco, ſeu callidus illice fallet,
Et laqueis, telo ſive tonante petet;
Seu tendet ſilvas audax venator in altas,
Sævaque fulmineis bella movebit apris;
Seu vario florum gemmantia prata colore
Spectabit, denſis & nemora alta comis.
Denique quidquid aget, ſi non oblitus amicum eſt,
Geſtiet adventu terque, quaterque tuo.
Verum ubi te cupidis exceperit obvius ulnis,
Si quid agam, quæret, talia dicta dabis:
Vivit amicitiæ non immemor ille, nec unquam
Effluit oblito pectore dulcis amor.
Te colit abſentem, tu nobilis hoſpes, amicæ
Arbiter, atque animæ mentis in arce ſedes,
Teſtis ego patriæ pandam penetralia mentis,
Mentis, quæ genuit me tenuitque diu.
Illic impreſſam vidi morumque tuorum
Effigiem, vultus effigiemque tui.
Eſt locus, humani qua verticis altior orbis
Inſurgit veſtris æmulus, aſtra, globis.
Nam ſi mens rapidum moderatrix volvit Olympum,
Hîc dominatricis Regia mentis ineſt.
Veſtibulum ante ipſum primâ rationis in arce
Multiplicis formæ vulgus inane volat:
Hîc ſimulacrorum ſeries, exercitus ingens
Imperiis paret, mens operoſa, tuis.
Quidquid alit tellus, genitales æquoris undæ
Quidquid monſtriferis progenuere vadis,
Quidquid Junonis Regnum ſpirabile ſervat,
Igneus & quidquid format, agitque vigor,
Exprimit hîc animi vis dædala; qualiter orbi
Oppoſitum vitreo corpus imago refert.
Naturæ vaſtam capit anguſtiſſima molem
Sedes, parva licet, grandior axe patet.
Cuncta amplectentem complectitur Æthera, humumque,
Aëriaſque domos, undiſonumque ſalum.
Rerum denſa cohors, quum mens vigil imperat, audit
Imperium proprio juſſa manere loco.

Aſt ubi membra ſopor letheis irrigat undis,
Et regnatricis grande quieſcit opus.
Sæpe ciet varios concîta caterva tumultus,
Turbatur monſtris irrequieta quies.
Aëra teſtudo velocior alite findit,
Tardaque telluri fulminis hæret avis,
Deſinit in piſcem ſpecioſæ forma Diones,
Jungitur & ſonipes Gryphibus, agna lupo.
Ex undis ignes naſcuntur, & ignibus undæ,
Gramina fert Cœlum, ſidera gignit humus.
Has umbras inter rerum ſublimis amicæ
Imperitat menti mentis imago tuæ.
Prodit ubi hæc animi penetralibus, incedenti
Dat ſimulacrorum plebs venerata locum,
Decedit Regnatrici, nam ſubmovet agmen
Mobile telorum falce ſatelles amor.
Ergo licèt variâ perturbet imagine rerum,
Et mentem curis turbidus æſtus agat;
Si cari ſpecies objecta refulgeat oris,
Curarum nubes, triſtitiamque fugat.
Sic ubi terribili Cœlum vapor abſtulit umbrâ,
Qui ſimulat miris horrida ſpectra modis;
Quum centumgeminos nubes imitata gigantes
Hinc, illinc facies torva minatur equi;
Inde Chimærarum, Centaurorumque catervæ,
Oraque Geryonum, tergeminique canis;
Si mites afflat Boreas tranquillior auras,
Threjicias animas, agmen inane fugit;
Nuſquam nimboſis conduntur ſidera monſtris,
Et Phœbus lucis tela ſerena vibrat.
Arbiter hinc mentis regnas, hinc ſemper in ore es,
Hinc abſens animo nocte, dieque redis.
Non aliter, quamquam nubes tegat invida Solem,
Non viſi Clytien ſideris ora movent;
Seu Titan oritur, medio ſeu fervet Olympo,
Seu Tarteſſiacis ille propinquat aquis.
Hæc, quæ te poſcunt, Elegeia, teſte probari
Sunt, & quæ noſtro rectius ore ſones.

Si

Si quæret, quas docta mihi dent otia curas,
  Tunc hæc dicta memor, ceu loquar ipſe, dabis.
Me juvat ingenio Mundi percurrere molem,
  Icario quamvis ardua more petam;
Me rapit attonitum rerum pulcherrimus ordo,
  Aurea me nitidis uritis, aſtra, globis.
Cur ferus accendat bellorum incendia Mavors,
  Quærimus, & placido cur micet igne Venus.
Cur immortali torpentes frigore flammas
  Æquoreo numquam proluat Urſa vado.
Agmina nimborum præceps effundat Orion,
  Pleiades, atque Hyades, Oleniumque jubar.
Non exauditos cieant revoluta ſonores,
  An tacitos ducant ſidera muta choros.
Cur ſeptemgeminos Mundi ſeptemplicis ignes
  Obverſos Cœli vis rapientis agat.
Horreat infauſti cur flamma cruenta Cometæ,
  Quæ vis fulmineas flammet, agatque faces.
Cur lapidum effundat violentus Juppiter imbres,
  Grandine cur nubes verna flagellet humum.
Unde ſacros fontes magnæ dent ubera matris,
  Et fluat alterno Thetyos unda ſalo.
Nec vitæ normam, documentaque diſcere morum
  Non animo dulcis, dignaque cura meo eſt.
Ut beet intactam culpæ Sapientia mentem;
  Fortunam virtus ut domet una feram.
Quænam meta boni, num dulci præſtet honeſtum,
  Quis ſit amicitiæ, quis pietatis amor.
Quæ mea mens haurit tranquillæ gaudia venæ,
  Admirata ſuum quum videt ipſa decus!
Quum ſummi pulchram ſe cernit imagine Patris
  Perpetuum æternâ mente vigere ſatam;
Regnatricem animæ ſe verticis arce ſedentem
  Cogitat, ut Regno jura det æqua ſuo;
Poſſit & irati flammas compeſcere cordis,
  Et quas accendit fœda cupido faces.
Inde vetuſtatis memores evolvere faſtos,
  Helladis, & Latii nos monumenta juvat.

Nec

Nec non Mantoi meditamur carmina vatis,
Barbiton & Calabri. Pindaricamque Lyram,
Candida quæ culti modulatur Muſa Tibulli,
Quæque tenebroſo Perſius ore canit.
At quamquam Aonidum pulchro mens ardet amore
Non favet ingenio Muſa vocata meo.
Aret vena mihi, quæ largius amne fluebat,
Phœbææ nutrix ingenioſa facis.
Non afflat Clio facundas amplius auras,
Defluxere meis laurea ſerta comis.
Infelix omen, dum fila ſonora laceſſo,
Excidit attonito lapſa repente Chelys.
Dum ſtupeo, fractæque lego teſtudinis artus,
Adſtitit ecce oculis Pieris una meis;
Illa Chelyn lævâ pendentem parte gerebat
Flaventes myrto vincta, roſiſque comas.
Errabat collo dare crinis idoneus auræ
Luſum, inerat roſeis gratia mira labris.
Quamvis ira decus placidis turbaverat oris;
Vel rigor in dulci fronte decorus erat.
Aurea lux tremulis flammas vibrabat ocellis,
Candida purpureus pinxerat ora color.
Ad ſummos cyclas uſque pedes demiſſa fluebat,
Cujus non facies, non color unus erat,
Nunc gemmam Heliadũ referens, nunc illa ſmaragdum
Æmula nunc flammis, clare pyrope, tuis,
Cærula berylli nunc lumine fulgurat Indi,
Nunc varias pulchras, Margari pulchra, vices,
Quam variis lucet radiata coloribus Iris,
Quam multo Chloris flore colorat humum:
Quale, vibrat Titan adverſum ubi candidus ignem,
Oſtentat colli blanda columba decus;
Talis erat cyclas, Charitum pulcherrimus ordo,
Et jocus, & riſus, & comes ibat amor.
At poſtquam intravit noſtros irata penates
Diva, jocus, riſus, juſſus abivit amor.
Hæc ubi me torvo ſpectavit lumine, tales
Indignabundo protulit ore ſonos:

Pro-

Proditor Aonidum, Parnaſſi transfuga, pone
  Ocyus immeritam munera noſtra lyram.
Phœbæis ingrate choris, ſpem pone coronæ,
  Non tegit indignas Delphica ſilva comas.
Nequidquam tentas facundum haurire fluentum,
  Nequidquam Phœbum, Pieridaſque vocas.
Non tibi Caſtalides, tibi non arridet Apollo,
  Surda quid increpitas Numina? culpa tua eſt.
Quum ſacra Muſarum, quum Phœbum rite colebas,
  Implebat pectus non levis aura tuum.
Ipſa propinavi Cyrrhæi pocula fontis,
  Fontis Lethæas non metuentis aquas:
Crinibus ipſa tuis frondem Peneida legi:
  Ipſa tibi Phœbi lucida plectra dedi.
Quum te Caſtalio tulit impetus alite ferri,
  Frenavi manibus Pegaſon ipſa meis.
At nunc immemorem cepere oblivia noſtri.
  Sic Lethes tibi, non Aonis unda placet,
Quum tua ſollicitis pandas præcordia curis,
  Miraris, ſi non afflat Apollo ſinum.
Ille fugit mentem, quæ fœdo turbida fluctu
  Phœbæam excludit ſemisepulta facem.
Ut Sol non hilarat fecundâ lampade terras,
  Humida ſi Cœlum contegit ala Noti;
Numen idem Phœbus ſacro non concitat igne
  Pectus, ubi mentem nubila cura premit.
Adde, quod hæc mæſti quum tergere nubila cordis
  Muſarum Choreis poſſet amica Pales,
Otia non ſequeris, tranquillaque gaudia ruris,
  Nec te Nympharum pulcher adurit amor.
Immemor heu laudis, meritorum oblite meorum,
  Sic fugis Aonio Numina grata Deo?
Neſcis heu, quantum, villarum pura voluptas
  Alliciat doctos, commoveatque choros.
Hîc ubi tranquillo devolvitur unda ſuſurro,
  Et parat inſtratum floribus herba torum,
Quam juvat ignavi neſcire ſilentia plectri,
  Quam juvat Orphæis ducere ſaxa modis?

Interea volucrum reſponſant carmine valles,
  Conſona ſilvarum dum quatit aura comas.
Tityrus & ſaturos inter lætiſſimus agnos
  Indocto flammam concinit ore ſuam.
Ingeminant Dryades plauſum, ſitibundaque Najas
  Carminis auditi promit ab amne caput.
Circumdat volucrem Saliaris Hamadryas orbem,
  Mænadas Ogygii Numinis ardor agit.
Hæc inter quantus Muſarum ſpiritus implet
  Pectus, & afflatu concitat uſque ſuo,
Scilicet ingeniis fugiendum ignobile vulgus,
  Et quas urbs curas ambitioſa parit.
An non quum traheret Vates Rhodopeius Hæmum,
  Frenaret lapius, Neſte, vel Hebre, tuos,
Fœda profanati fugit commercia vulgi?
  Inde ſacrâ terras movit, & aſtra chely.
Ipſe lyræ princeps ſilvas dignatus Apollo
  Ambroſio lætos ore beavit agros.
Tunc riſit tellus florum fecunda, tuumque,
  Phœbe, jubar ſtellis devenerata ſuis.
Invidere ſolo Phœbæum ſidera plectrum,
  Concentus rapidi conticuere poli.
Quid Maro ſol vatum, Latiæ lux altera linguæ,
  Quam legit ſedem, ut grande moveret opus?
Parthenopes Tempe qua jucundiſſima rident,
  Arma Phrygum cecinit, Dardaniumque Ducem.
Perpetuis mens nempe aſtris cognata beatos
  Concentus recolit tunc hilarata poli,
Quum tacuit ſtrepitus curarum, animique tumultus,
  Deliciiſque beat pectus amica quies,
Tu tamen hæc vitas tranquilli gaudia ruris,
  Quis te Pieridum credat amare choros?
Quid querar hæc? Muſis inimica volumina Baldi
  Diceris ah demens præpoſuiſſe meis.
Tu divina potes penetralia linquere Cyrrhæ,
  Tu potes inſani jurgia ferre fori?
Mollius ingenium quid duras flectis ad artes,
  Otia quid curis temnis amica meis?

Ah

Ah cave, triſte rotat telum indignatus Apollo,
Dextra licet Charites, & pia plectra gerat.
Hæc ſævo febris tua pectora torruit æſtu
Ira, Machaoniæ quem domuere manus.
Lædere ſi pergis, qui nunc te fulgure terret,
Vibrabit læſus fulmina juſta Deus.
Dixerat; iratam dictis lenire parabam;
Averſata meas reſpuit illa preces.
Ad Cœli rediit, cantu quem temperat, orbem;
Aſt ego conticui, depoſuique lyram.

In Effigiem Redii.

Ars potuit Redii ſolers effingere vultus
Muta, ſed eloquium dulce referre nequit.
Quod ſi noſſe cupis, doctos evolve libellos,
Edidit ingenii quæ monumenta ſui;
Hinc animo mores, candorem & concipe magni
Pectoris, hæc ſpecies nam decet una Virum.

AD LEOPOLDUM IMPERATOREM AUGUSTUM.

Rex Thracum obſeſſam dum ſperat barbarus urbem
Threjicio captam ſuccubuiſſe jugo:
Dum pia ſe flammis hauſturum templa profanis,
Templa Sacerdotum ſparſa cruore putat.
Tracturumque nurus, formoſæque agmina pubis,
Jamque ſuam prædam Regna Latina vocat;
Accipit Odryſias adverſo marte phalanges,
Robur & Imperii procubuiſſe viros;
Et pavet, & captus, Cæſar, ſibi pæne videtur,
Et dat præcipiti regia terga fugæ.
Quanta tua eſt virtus? qui olim injecere catenas
Tot Ducibus Reges, en tua vincla timent.

Nomen in extremas horrendum extenderat oras
  Thracia gens terris impoſitura jugum,
Hanc Scytha fretus equis, hanc fretus acinace Medus,
  Hanc & odoratâ fruge ſuperbus Arabs,
Hanc Reges, Europa, tui, populique tremebant,
  Et Libyæ fortes, Æthiopumque Duces.
Quocumque infenſus converterat arma Tyrannus,
  Terror ibi, & cædes, excidiumque fuit.
Auſpiciis, Leopolde, tuis nunc victa quieſcit,
  Et timet hoſtiles barbara terra minas.
Sic qui victor erat, te vincitur auſpice, vincunt
  Sic victi, & cunctis, Cæſar, es una ſalus.

Dacia, quæ populis, quæ feta furentibus armis
  Romuleos bello terruit una duces;
Tandem Trajani ceſſit captiva triumpho,
  Subdidit & ſcro colla ſubacta jugo.
Hanc premis imperio, victor Leopolde, potenti,
  Et domitam cogis jam tua ſigna ſequi.
Quam bene Trajanum Leopoldo laurea jungit;
  Optimus hic nempe eſt, optimus ille fuit.

Eugenii ductu Libyæque, Aſiæque phalanges,
  Et pereunt vires, Biſtonis ora tuæ;
Barbaricam ſtragem tumido vehit amne Tibiſcus,
  Inque tuas, Iſter, decolor exit aquas.
Phænicum extinxit memorandum Scipio bellum,
  Fudit ubi Pœnos, Hannibalemque trucem;
Eugenius pacem parit altâ ſtrage Scytharum,
  Victor & in Cœlum te, Leopolde, vehit.

LEO-

LEOPOLDI CARDINALIS MEDICEI Antiquitatis ſtudium.

Canitiem ſacram ponat veneranda vetuſtas,
  Et lacrimas tumulo det, Leopolde, tuo;
Quandoquidem nulli plus, quàm tibi, debet, iniquis
  Eruta quo tenebris vindice Diva fuit.
Relliquias priſci nam temporis undique, Princeps,
  Colligis, & Veterum nomen, & ora colis;
Ingeniumque virûm, quorum monumenta perire
  Non ſinis, antiquis moribus ipſe refers.

EJUSDEM Amor Litterarum.

Aonias opibus Divas regalibus auges,
  Nec minùs ingenio, judicioque juvas;
Et tibi dulce vias, & quærere ſemina rerum,
  Et quidquid cæco nox tegit atra ſinu.
Nec mirum eſt utramque tibi, doctiſſime, curam
  Commendant mores, conciliantque tui.
Cum doctis meritò placuit Sapientia Muſis;
  Hæ, Leopolde, canunt, quæ facis, illa docet.

In effigiem JOANNIS Sarmatarum Regis.

Sarmatici Regis qui martia conſpicis ora,
  Inclyta magnanimi facta revolve Ducis.
Pannoniæ campis quam victo Oriente locavit,
  Illa eſt fulminei major imago Viri.

IN FONTEM.

Hanc ſi Narciſſus lympham ſitibundus adiſſet,
  Ad Stygias ævi plenior iſſet aquas.

IN FUNERE

VICTORIÆ ROBOREÆ
Magnæ Ducis Etruriæ.

SAPIENTIA.

Quæ fugit una rogi nigram Sapientia flammam,
  Cur buſtis, Princeps, aſſidet ægra tuis?
Cur gemit, & ſacrâ tractat feralia dextra,
  Nec dignum tanto Numine munus obit?
Jam ſibi mortalis, jam mortua nempe videtur,
  Attulerit ſævas quum tibi Parca manus.

FORTITUDO.

En generoſa comas virtus, Regina, totondit,
  Inferiaſque tibi relligioſa tulit.
Quin etiam, quamvis adverſis neſcia vinci,
  Ingenti lacrimas clade ſubacta daret;
Sed reputans, animi tuleris quo robore lethum,
  Cogitur exemplo fortior eſſe tuo.

PIETAS.

Sum Pietas terris expulſa nocentibus olim,
  Sed, Regina, tuo ſæpe recepta ſinu;
Quæ te ſiderea ſubl mem in ſede locavi,
  Ut per te ſedem præbuit Aula mihi.
Nunc monumenta colo; heu poſtquã tibi lumẽ ademptũ,
  Pæne mihi Cœlo gratior urna tua eſt.

JUSTITIA.

Compoſuit lites junxit Victoria cives,
  Defendit leges, edomuitque nefas;
Nunc Cœlo potitur, Cœlum quid flemus adeptam?
  Hac Themidis proles ceſſit in aſtra via,

Illa

Illa ſed humanum genus indignata reliquit;
Hæc ſua tranquillo lumine Regna videt.

De CHRISTO *Cruci affixo.*

O dolor, immani confoſſum cuſpide pectus,
Et lacera aſpicio Numinis ora mei.
Cui tantum licuit, quis bellum inferre Tonanti,
Aut potuit dira plectere morte Deum?
Crudeles furiæ, ſcelerumque inſana cupido,
Veſtrum opus hoc, veſtra vulnera facta manu.
Auctorem vitæ vos funere mergitis atro,
Dum properat rebus conſuluiſſe meis.
O quàm letifera eſt veſtri violentia teli,
Quæ vitæ Patrem perdere ſæva poteſt!

De eodem.

Cerne Dei vultus, transfixaque pectora dumis,
Quodque altum in ſacro pectore vulnus hiat;
Et lacrimas effunde, imo & ſuſpiria corde,
Crudeles obitus & miſerare Dei.
Sic tibi, divino quæcumque in pectore cernis
Vulnera, Divini vulnus Amoris erunt.

IN EFFIGIEM

D. GUIDONIS GRANDII
Geometræ celeberrimi.

Ne ſperne effigiem, quæ magnum ingentis Olympi
Menſorem, quamvis parva ſit illa, refert.
Nec tamen hac metire Virum, qui quantus haberi
Debeat, hic monſtrat major imago liber.

JO: AURELII AUGURELLI

ARIMINENSIS.

Poëtas divino furore excitari, & prope felices eſſe.

COElеſtis intus excitat vates vigor:
Ultraque ſemper promovet:
Illic ut illos ſiſtat, unde moverant;
Cœloque cives aſſerat.
Donecque ſedes incolunt mortalium
Hac obliti caligine;
Virtus tenebris una ſolos eximit
Ardente Sole purior:
Splendore cujus tutiores ambulent,
Ferantque lucem ceteris.
Hinc non honorum, non opum cordi faces
Volens edaces admovet,
Ad ſacra certo qui ſemel ritu pedem
Muſis dicata contulit:
Vitat ſed ægrum vulgus, odit anxii
Curas ineptas ordinis.
Æque dolori, gaudioque deditus;
Neutro retentus læditur.
Optat frequenter, nec cupit: cavet, neque
Pavet timore territus.
Ergo aut patentes circuit Mundi plagas,
Floremque rerum colligit;
Dum multiformis interim coloribus
Natura doctis pingitur:

Aut

Aut quid decenter expetatur omnibus,
 Jugi labore quæritat.
Cultiſque mores mentibus probos ferens,
 Inculta quæque præterit.
Aut ſæpe lætos inter admiſſus choros
 Ludit latenter Virginum;
Ad quos aperte progredi nullis datur;
 At ire clam, pauciſſimis.
Illic, amœnæ vallis in receſſibus,
 Frondentis alte populi
Æſtum ſub umbra vitat, aura leniter
 Remurmurante frondium.
Illic virentis floridum campi ſolum
 Innoxius perambulat.
Vel ad ſonorum vitreæ lymphæ caput
 Curis ſolutus ſternitur:
Grato vel antro, jam Deo plenus, ſedet;
 Lyraque Muſam ſuſcitat:
Antro, quod hederæ veſtiunt circum ſacræ,
 Lauruſque obumbrat myſtica:
Heroas unde tum, viroſque laudibus,
 Divoſque dignis concinit.
Quid hoc beatius? quis huic opes ſimul
 Omnes furori comparet?

Gratiarum convivium.

Invitat olim Bacchus ad cœnam ſuos
 Comon, Jocum, Cupidinem.
Diſcumbit una Liber, atque Amor; Jocus
 Comoſque contra proxime
Illis decentes ſubminiſtrant Gratiæ
 Grati ſaporis pocula:
Succoſque miſcent, & venena temperant
 Multi viciſſim palmitis.
Inuſitato proluunt ſe nectare
 Plene ſodales uvidi.
Ac forte juſto plus parum dulcedine
 Lactante capti ingurgitant.

Hic

Hic inter ægros incipit verbis Deos
    Ridenda primum rixula.
Graves Amori Bacchus objectat dolos,
    Quibus frequenter utitur
Illi Cupido vana ludens gaudia,
    Blæſaſque voces exprobrat.
Como Jocus riſus leves: Comus Joco
    Sales ineptos objicit.
Mox in capillos, atque ocellos advolant,
    Manuſque nectunt parvuli,
Adſunt ſorores illico tres perditis,
    Pacemque ſuadent optimæ
Tandem ſagittas, & pharetram clanculum
    Bacchus Cupidini involat.
At vi nitentem florida Jocus coma
    Como coronam diripit.
Sic inde ſciſſis crinibus cedens Amor
    Matri fit obviam ebrius.
Comus facetos ad viros ſe proripit
    Per angiportum devium.
Bacchus, Jocuſque contrahunt fœdus, brevi
    Mox deſiturum tempore
Aſt ut propinquans ſordidum natum mero
    Venus madentem conſpicit:
Irata ſecum, limpidum ad fontem manu
    Apprenſum & hærens attrahit.
Huic rore puro protinus lavat ſacri
    Crines ſolutos verticis.
Pectitque & ægre extricat, ac dat undique
    Collo nitenti pendulos.
Sed forte oberrans roſidam manus cutem
    Contingit acri pectine
Tum læſus ille ſubdit accenſam pio
    Facem parentis pectori.
Ambuſta at ipſa (ut erat) in undas proſilit
    Secum trahens Cupidinem.
Fons unus ergo ſic levatos diſpari
    Ambos calore liberat.

Ad JULIUM ANTONIUM Cheregonium; in durum amorem Aldulæ.

Jule, rure, domi, foro, urbe, miles
Annoſus poſitis quieſcit armis
Grandævi renuunt boves aratra:
Putris in tenui phaſelus alga,
Secreta pariter ſenet quiete.
At quæ ſolvet amore me Senectus?
Non ſi Neſtorei mihi dabuntur
Tithonive dies, miſellus unquam
Tantorum inveniam modum laborum.
Heu, duro ſatius fuit tyranno
Servire, & gemere in tuo, Perille,
Tauro condite, Gorgoniſve vultu
Obdureſcere, paſcere & rapacem
Crebro pectore Caucaſi volucrem;
Quam ferre imperium malæ puellæ,
Nam ſolus licet ambules beatus,
Et pleno teneas amore faſtus;
Pondus nulla tamen diu puella
Habet, multivola & maligna, & audax:
Nec ſic flamine ſubmoventur undæ,
Ut mentem huic variæ premunt procellæ,
Obſiſtam tamen, & levem & ſuperbam
Prece, & muneribus miniſque nitar
Firmam tempore reddere & benignam.
Sic molli lapides cavantur unda,
Sic rubigine conteruntur enſes.
Quod ſi tam validum ac potens acumen
Non profecerit; attamen protervo,
Nulla ſolvet amore me ſenectus.

In Amorem.

Eriſne, carnifex Amor, ſatur noſtri
Cruoris umquam? an improbas manus ſemper
Mo-

Movebis? atque ſaucium hoc iecur tantum
Petes iniquus? & memor parum juris;
Quod arma ne quis inferat, monet capto.
Tibi frequenter heu, manum dedi victus,
Et ulcus ipſe millies revelavi,
Ubique putre redditum die longa.
Nec ulla lenit id medela, nullumque
Levamen intus ardor excitus ſentit,
Sed uror uſque: nec ſatis tibi viſum
Ferire pectus impio probum ferro;
At uris, ignis admovens faces diri.
Fero tamen lubenter hæc miſer cuncta,
Volenſque (credat hoc quis?) & fovens ignem
In igne verſor, ut feram ferunt quandam
Camino ineſſe ſæpe, nec pati, ignito;
Inter ſed ire quo magis queat flammas,

Ad C. nuper initiatam.

Quo, virgo, tendis omnium pulcherrima?
  Quo te miſella ſubtrahis?
Ubi decorem protinus tantum, velut
  Effecta vecors, occulis?
Heu quo repente, quo fugis? quo te tibi
  Aufer? malorum neſcia,
Quæ te petent, te different, in te undique
  Facto ferentur agmine.
Ubi parentes impie temnens gravi
  Dolore feſſos deſeris?
Quibus cor una eras, & una ſpiritus,
  Eraſque prorſus omnia.
Hoſtilis ecquid improbe quicquam magis
  Manus patrare quiverit;
Quam ſi foventis filiam matris ſinu,
  Aut patris amplexu auferat?
Opes inepta divitis tantas domus;
  Sumptuſque tantos deſpicis?
Ornatus, annos qui tenellos, qui genus,
  Qui te decebat, ſpernitur?

Quam

Quam triſtis omnis heu juventus linquitur
Sed inter omnes triſtior,
Ætate ſi quis florida tuas puer
Optarat ardens nuptias:
Qui te, tuoſque prole felices diu
Pulchra nepotum redderet.

Reſponſio pro C.

Tentare quid tot impius piam modis
Vates puellam juverit?
Quæ vovit uni protinus ſe maximo
Conſtanter orbis Principi:
Ex quo beata hæc cuncta, quæ jactas, fore
Brevi caduca noverat:
At firma contra, quæ ſequatur, omnia;
Nulloque læſa tempore.
Sunt iſta, quæ tu colligis, quidem bona;
Vitæque prorſus commoda:
Sed implicata pluribus paſſim malis,
Plus fellis & mellis minus
Habent; nec uno perſeverant ordine:
Incepta ſed vix, deſinunt.
Nec illa caros ſic parentes deſerens,
Ut reris, errat impia.
Hos namque tanta caritate amplectitur,
Quam magna natæ convenit.
Nomen ſed illis anteponit optimi
Rerum parentis omnium:
Facitque ſolum id maximi; præque unico
Nil eſſe ducit cetera.
Ergo, parentes quam ſibi ablatam, putent.
Vero parenti redditam.
Perculſa quin & triſtibus tandem modum
Ponat juventus lacrimis.
Quæ namque, ſpretis invidia mortalibus,
Nupſiſſe Divo virginem?

Ad

AD SEBASTIANUM MEDULUM.
De amore conjugali.

Tu ne putato dulcius quicquam tibi
Poſſe evenire cariuſve Medule,
Quam ſi fidelis mutuo reſpondeas
Amore Virgo, quæ venuſtis moribus,
Raræquæ formæ vinculis te cœperit.
Sed nulla major extat & patet fides,
Amor nec ullus firmior, quam conjugis,
Quæ vix adulta patriam linquit domum.
Caroque felix degit in ſinu viri.
Hanc ipſa namque ventilat facem Venus:
Ut vivat, utque creſcat hanc ſemper fovet.
O quid vis unquam deligat beatius,
Quam ſic amata re potiri proſpere?
Ut e propinquo hanc ſpectet, hanc ut oſculo
Donet licenter, huic ut amplexum ferat,
Unique molli fas ſit ut cubet thoro.
Quid ſi faceta dulcibus juvet jocis,
Et te jacentem tollat, & triſtem levet,
Ac mox decenti prole te reddat patrem,
Bleſaque circum voce nati luſitent?
Nec litterarum ſtudia prorſus quippiam
Ullove pacto, ut arbitrantur, læſerit.
Sed una curas auferens domeſticas
Ardentiorem te per illa duxerit.
Hæc te putabit alteram ſe protinus,
Hanc temet eſſe, cum putabis alterum:
Quin illa tuque jam duo, nunc unici
Vivetis uno ſub favore ſpiritus.

AD MARINUM LAMBERTUM.
Amoris laus.

Quid hoc Marine, & unde ſuſpicer dari?
Fidelium eſſe Amantium, ſub altero

Ut alter uſque vivat, & cor invicem
Agat colentis in colente pectore?
Quid iſtud eſt quoque, ut magis velit nihil,
Et optet hoc, quod ardet: ac nihil putet
Honoris, atque res amata, dignius?
Quid ut valore nullius capi queat,
Amore nullius, pudore nullius,
Sed una ſemper ante forma prodeas;
Ametur & colatur una maxime?
At ipſa, forte ſi petire contigit,
Tamen relinquit hæc ſui cupidinem.
Procul recedat hæc, idem hoc facis quoque,
Manet repoſta mente Amantis unica:
Nec alteram ingredi ſinit, ſed ejicit,
Inepta ſi qua forſan hic erat prius.
Amante prorſus eſt venuſtius nihil:
Amore namque fervidus nitet, velut
Domus renidet igne læta ſplendido.
Amore conſtat omne quod vides, Amor
Decentis unus omnis eſt boni Pater.

Ad HIERONYMUM BONONIUM.

Adeſto, diva, Pieris, volens mihi,
Diu tuere munus hoc, quod affero
Tuo decente nunc in æde præſidi,
Opus quod ipſa nam magis probaveris
Eo quod ille qui Deas colit, volet
Piis perenne nuncupare vatibus?
Tabella ſi qua diis dicetur illita
Potentis artis inditis coloribus,
Videre pictor alter hanc ſtatim ſolet
Amicus ante, quam probanda protinus
Vel improbanda proferatur inſciis.
Peritus ergo cum propinquat artifex.
(Quod auctor ipſe forſitan nequiverat.
Amore captus interim rei) videt,
Quid illa peccet, aut quid elegantibus

Referta poſſit exhibere gratiis.
Idem poëta, judicis gerens vicem,
Aget ſodalis in recente carmine,
Idem, Bononi, onus libellus hic tibi
Meus, tuo ſed exaratus omine,
Dabit ſubire, me expetente amiculo,
Polibis æquus, elevesque ſordium
Erit quo intus & foris faberrime,
Nec ipſa fraude gloria inquinabitur,
Ubi micare quid tibi videbitur.
Locare carmen haud poteſt ineptius
Poëta, qui unicis dicat potentibus,
Prius nec auris erudita quæritur.

Ad LUDOVICUM MARCELLUM.

Marcelle, quo non alter eſt beatior,
Si, quod beatum eſt, ipſe tecum penſites:
Tibi frequenter, urbe vel ruri velis,
Ludunt decentes hinc & inde Gratiæ.
Tuam frequentat optimus civis domum;
Peritus omnis arte quavis artifex;
Muſis amicus omnis, & vates pius.
Ædes honeſtis commodis pares tuis,
Lautis renident undecumque ſumptibus.
Urbana profert hæc tibi ſe gratia.
Ruralis æquè nec moratur altera:
Ubi virentis prædium collis petas
Utcumque amœnum, ſive rupis horridæ
Antro, vel unda limpidi fontis juvat
Spectare Nymphas, vel ſacro paſſim Deos
Luco vagantes, cum tibi puriſſimis
Pomona replet fœtibus: mitis ſinum,
Cum Flora ſertis floridis ambit caput.
Et læta cornu prodit amplo copia.
Duabus ergo ſic beatus Gratiis
Videre multis: at mihi dives, potens,
Benignus: iſta ſic fatemur ſingula:

To-

Totum negamus illud, ut beaveris
His te: ſed ampliore commodo, quod his
Contentus omni degis ambitu procul;
Nec plura quæris lib r, & vivens tibi:
Sororque inhærens ſic duabus tertia,
[Quæ vera doctis creditur felicitas]
Hæc una reddit te beatum gratia.

AD MARCUM MAUROCENUM
Ab amore dehortatio.

Putabis omnium miſerrimum, qui amat;
Amore ſi quidem gravi teneberis.
Tibi beatus hic item videbitur;
Favebit aura ſi tibi Cupidinis,
Fit inter hæc, quod ambigat nihil: premit,
Vel elevat; probatque ſemper alterum
Amor, ſuprema non tenêre neſcius.
Nimis dolebis ergo, vel levi nimis
Ferere gaudio, ſed & metus quoque
Et ægra te Cupido coget acrius
Amara quæque & execranda perpeti.
Id ipſe ſentiens, brevi periculo
Cave puer, nec ulcus altius putre
Agi, ſedereve id diutius ſinas.
Tenella ſi qua duxeris, manum ſtatim
Sequentur apta: ſi ſubinde dureant,
(Ut aſſolent) inepta prorſus hæſerint.
Tenebit hinnulus, ſemel quod hauſerit,
Diu; nec ille verbera, aut minas timens
Lupata vector obſtinatus audiet.

Ad Chryſillam, virginum exemplar.

Micare ſi cui non videntur ſidera,
    Nitere nec Phœbi ſoror;
Forſan nec illi Phœbus ipſe fulſerit,
    Per quem renident omnia.

Cui tu venuſtis non vidêris moribus
   Ornata ſupra ceteras,
Hic non, Chryſilia, quid modus ſit, quid pudor,
   Nec quid venuſtas noverit.
Exemplar eſſe ne moreris omnibus,
   Nec ſe morentur ceteræ,
Quin te ſequantur, eminens cœleſtium
   Munus datum mortalibus.
Ut una cœlo graditur e tribus Dea,
   Quæ Paride præſtat judice,
Illamque Divæ circuunt, volentibus
   Junone ſic, & Pallade:
Sic multa te ſequentium ſemper cohors
   Circumferatur virginum;
Decuſque de te tale fauſtum contrahant,
   E Venere quale ſidera.

Ad BERTUTIUM LAMBERTUM. Homines non eum, quem deberent, finem quærere.

Sæpe ego, Bertuti, compreſſo in pectore riſu,
Mortales miror volvi per inania curas:
Interdum, ne quis vitio mihi vertere poſſit,
Haud veritus, ſi qua ingenio permittere curem,
Illuc immiſſis adeo delabor habenis,
Vix ut ſurgentes valeam cohibere cachinnos.
Nam quoties animo ſcrutor, quo tendere noſtrum eſt,
Pæneque diverſum video ſpectantia ſignum
Omnia, quæ nobis aptantur ſpicula cornu;
Apparet toties manifeſtè, qui ſtupor intus
Humanas habeat mentes; quæ tramite recto
Propoſitum nequeuntque ſequi, nec cernere finem.
Principio inſevit nobis natura perennes
Igniculos, quibus accenſi conquirere rerum
Semina poſſemus, nec non per lubrica firmos
Ferre pedes, verique invento inſiſtere calle.
Hinc varie expulſis artes fulſere tenebris;
Quæ regerent certum per iter mortalia corda.

Nam-

Namque aliæ quantum poſſit promittere ſola
Cognitio, tanto contentæ lumine præbent
Se nobis comites, ſeu per concreta perenni
Materiæ, motuque obnoxia, ſive per illud
Quod mens ex iis ſeducit, fingitque remotum:
Seu per ſenſilibus vere ſemota tenendum
Eſt iter, & pura cœleſtis mente petendum.
Aſt aliæ his etiam cognatæ, quid ſumus ipſi,
Et quod opus nobis proprium, & qui denique finis,
Expediunt, ducuntque pios, veroſque per actus
Humanum genus, ut ſemet virtutibus inde,
Ingenuiſque domos curis, & moribus urbes
Expleat, ac juſtis mortalia legibus æquet;
Unde ſcatet plene liquidi fons purus honeſti:
Ex quo quid noſſe, & quantum decet, ac quibus uti
Conveniat, quæve elargiri, quidque periclis,
Sive labori eſt præbendum, qua parte decori
Danda opera, haurimus: nec non ut candida nobis
Relligio, & cultus divini Numinis inſit:
Qua ſine nil horum; eſſe poteſt, nec profore quicquã.
Quæ cum ſic habeant, quemnam de millibus unum
Invenias, qui tanta, ac non contraria curet?
Quem non præcipitem cunctarum inſcitia rerum
Sic agit, ut nuſquam titubet, nulloque feratur
Errore? at contra quis non ad parvula quæque
Hæret, & offendit minimis obſtantia rimis?
Quis non alterius quæ ſunt, iis certat abuti,
Seu fas, ſive nefas? Ergo quis honeſta benignus
Nunc opera inventus? quis inerti e pectore triſtem
Segnitiem pellit? quis non vel turpia quæque
Et facere, & fari conſuevit? denique cui non
Vana ſuperſtitio mentẽm ſuſpendit inanem?
Quid? quod avarities, & honorum inſana cupido
Mortales adeo miſeros exercet, agitque
Per ſcelera, & fraudes, per vim quoque perque ferinos,
Et nocuos uſus omnes, quo ducta furore
Non ſibi non aliis ullo ſub tempore parcit.
O diras hominum peſtes, & vulnera vitæ!

Nec me animus fallit, quam non hæc poſſe probari
In vulgus videantur: ita tamen ipſe teneto,
Nullam æque ingeniis ſublimibus eſſe fugandam
Perniciem, quam quæ miſera ſub pectoris ampli
Ambitione latet, ſenſim namque illud edendo
Dejicit, atque animi cogit mox eſſe puſilli.
Nec minus his fugiendus amor ſceleratus habendi:
Quo nil ſordidius, nil & quod ad ima ruentes
Nos adigat magis, ex altoque exturbet honeſto.
Felices nimium Mortales, cernere ſi ſe
Interius poſſent! neque enim per devia quoquam
Errarent, ſed iter rectum, certoſque regreſſus
Inſtituant illuc, unde olim accedere terras
Poſſe datum eſt illis, & eodem poſſe reverti
Rurſus pro meritis, ubi mens converſa ſuperne
Principio rerum ſummo, proprioque propinquans
Inſinuet prorſus ſolam ſine corpore ſoli;
Felicique illic vita, vacuaque laborum,
Exemptaque libidinibus, curiſque fruatur.
Hic erat ille animi riſus ſpernentis aperte
Humana, & ſe ſe occulte tollentis in altam,
Quam quærit, ſperatque viam; qua ſemper anhelet
Inventa, donec placidæ per munera pacis
Corporea exutus turbarum labe quieſcat.
Hæc ego, non ut iter, Bertuti, notius extet
Id tibi, cum tu eadem per te ſapis omnia, ſed quo
Parvula ſignificem vacuæ conamina mentis,
Utque mea ſi forte aliquid prodeſſe virili
Jam valeo, tentem currenti ſubdere calcar.

Hortatur Andream Caſtrum, ut inanes hominum curas rideat.

Caſtre, meos inter pars non temnenda ſodales
Quem mihi conſtanti devinxit pectore ſidus;
Sidus, quod nobis æqualem temperat horam;
Unde tenax ſemper dependet, & una voluntas;
Jam dudum cupio tecum ridere, quod ambos

Nos juvet, & nobis; ſi quicquam eſt utile, proſit.
Eſtne quod exoptent homines magis, atque beatam,
Felicemque diu certatim ducere vitam?
Nil porro invenies, quæras licet; & tamen iſthuc
Vivere quod cupimus, non umquam vivimu ipſum,
Nam bene cui tantum eſt, ut ſi tecum ipſe parumper
Conſideat ſubito non ſit tibi mille querelis
Aurem laturus, tamquam infelicior omni
Tunc agat, & nulla non conditione minor ſit?
At ſi pauper erit, quamquam fortaſſe ſuamet
Culpa mendicat, fatis tamen imputat, & ſe
Sideribus plane natum mentitur iniquis,
Pars autem, ſi quid paulum, minimumque recedit
A recta curſus, qua ſe prius ire paraſſent;
Protinus exclamant ſecum infeliciter actum.
Eſt quem nulla diu delectent gaudia, nullæ
Blanditiæ; cuncta uſque adeo faſtidit, & illud
Quod cupiit jam, mox renuit ſtomachoſus, & odit.
Sic omnis queritur tantumdem, ac dum dolet, omne
Amittit, propter quod ſic triſtatur, & ipſam,
Cui tam ſemper hiat, feſtinat perdere vitam.
Hinc ego diſrumpor riſu quod vivere ſemper
Quæramus, numquam interea comitante dolore
Vivere contingat; niſi tu fortaſſe vocaris
Id vitam, triſtis quod circumplectitur angor.
Hic igitur riſus meus arridere viciſſim,
Te cupit, atque graves animo deponere curas,
Ut placido mecum ſtudeas defungier ævo;
Quod ſupereſt tantum, permittens cetera Divis
Quo ſe cumque dabunt, quibus hæc mortalia curæ.

Jocus.

O qui me tanti voluere in luminis auras
Prodire, & tenebris exemptos noctis opacæ
Vitare obſtantes ſcopulos, & ducere tandem
Fluctivagam in tutum, maria alta per omnia, cymbam:
Deinde per apricos late loca proxima campos

Ire, quibus verni ſpirant viridantibus æqua
Temperie Zephyri, quibus & cum floribus herbæ
Non æſtu, non vi concreta frigoris arent.
Et nocuæ abſiſtunt volucres, nec lubricus ullis
Innatat anguis aquis, nec humi mala vipera ſerpit.
Nulla nec obſiſtit fera quæ violenter aduncis
Unguibus ingluviem, rabidis aut dentibus, explet.
Plurima, ſed querulis avium concentibus arbos
Directa in numerum reſonat, nemorique canora
Umbrifero & vitreis reſpondet fontibus Echo.
Hic calathos replet fruticis Pomona beati
Fœtibus, inque ſinus florum Dea veſte reducta
Texit odoratis reſidens violaria ſertis:
Quas inter fecunda Ceres ſpaciatur, & illi
Ruralis pleno colludit Copia cornu.
Tum lento Charites videas incedere paſſu
Permixtas Nymphis variè ludentibus ampla
Planicie: at Satyros illis intendere paſſim
Inſidias, contra Satyris illudere Nymphas.
Interea volitans circumque ſupraque Cupido
Intendit ſolidum cornu, exhauritque pharetram.
Luſibus alma parens illi comitata, Jociſque
Reſpondet paribus curis; ſeque inſerit ultro.
Exercet viridi choreas in gramine Bacchus,
Ambroſio intonſos perfuſus odore capillos.
Pampinea inſertis ornatus fronde corymbis:
Exultatque hilaris Genius, geſtuque ſoluto
Invitat reſides animos; tum pocula feſſis
Lemnius exporgens, large Deus ipſe miniſtrat;
Et facie informi riſus, & diſpare greſſu
Commovet, haud renuens ludenti parcere turbæ.
At multo imprimis ſenior prolutus Jaccho
Silenus ſomnoque oculos ſubeunte gravatus,
Forte ut erat pando recubans, ſummotus aſello
Labitur; hunc Faunique & monticolæ Satyriſci
Circumſtant fremitu ingenti: pars tollere prona
Inſtat humo, fuſum viridi pars tempora circum
Exanimæ infundunt refoventis corpora rores.

Adcurrunt veſte undanti, paſſiſque capillis
Naides in riſum effuſæ, Dryadeſque puellæ
Hi ſuper impoſitum dorſo capitique ſub Antrum
Sublimem feſſi referunt, ubi diva Voluptas
Præſidet umbroſo ſub amœni culmine collis.

Ad JO: ANTONIUM SCHOLAM.
Exhortatio ad Virtutem.

Cur, Schola, radicem perhibent Virtutis amaram
Eſſe, ſed illius mira dulcedine plenos
Latius effuſa pendere ex arbore fructus?
An cum ſola queat facere & ſervare beatos,
Hæc eadem, voluit præ ſe quoque ferre labores?
An vero in culpa eſt animus? qui mollis & æger,
Expertem morbi cauſatur, & improbus ipſam
Virtutem vitio, cogente libidine, miſcet.
Namque capeſſenda nihil in virtute laboris
Uſquam erit, ardenti tibi ſi generoſa voluntas
Adfuerit; quæ dura valet mol eſcere, nedum
Suavia complecti ſtudioſo pectore poſſit.
Principiis ſi forte tibi gravis illa videtur;
Haud ita credideris vere, ſed ſenſibus intus
Corruptis aliam tunc apparere, nec illa
Indutam ſpecie, qua debuit eſſe videri.
Ac veluti affectis quamquam ſint dulcia guſtu
Adpoſita, ingratus ſenſum deludit amaror:
Sic quibus ulcus ineſt animo, quod dira cupido
Fecerit, ij nequeunt oppreſſæ mentis acumen
Exercere, ut norint quantum diſiuncta labore
Æternum ſociâ coëat virtute voluptas.
Tu genus hoc hominum, mala ne contagia ſerpant,
Evitato prius, quàm duci robore firmo
Incipias, & adhuc teneræ ſunt pectore vires.
Namque exempla tibi ne ſint aliunde petita;
Ipſe domi quæ imiteris habes, ſeu ducere vitam
Doctrinæ juvat in ſtudiis, ſeu rebus agendis
Exercere velis, famamque extendere factis.

Hinc avus, hinc præſtò ſit avunculus, & tibi calcar
Currenti adjiciant, ille ut ſuſpendat in altum
Egregiè mentem noſti, ſi quando per ignes
Accenſam æthereos cœleſti lumine replet.
Hic verò ut latis humeris ingentia rerum
Pondera ſuſtineat, quotiens eſt juſſus obire
Munera, quæ nulli melius mandaverit unquam
Pontificis ſummi majeſtas, nec quibus alter
Aſſuerus plura diverſo geſſerit orbe.
Hic tibi ductores igitur, ſub lumine tanto
Præcipuum callem oſtentent, quò pergere tutus
Arboris ad ſummum, atque acri radice relictâ
Virtutis valeas dulces contingere fructus.

ALOVISO ALEOTO. Ut rus ſe conferat.

Ver redit; & mare nos adiens tranſmittit hirundo:
Tu tamen Urbis adhuc, Aleote, negotia curas;
Nec venit in mentem Panſacci gratia collis;
Ut ſe vere novo paſſim pulcherrima profert;
Quo te multiplici geſtit conſcendere cultu.
Urbe tibi, atque tuis, & amicis plurima tractas,
Poſthabeas tua amicorum velut omnia rebus.
Grande quidem munus; quod te vulgo excipit unum,
Et te, dum terris agitas, cœleſtibus addit.
Rure alis & refoves valido cum corpore mentem;
Apta quies, faciliſque labor cum temperet illis.
Cuncta hic læta die: ſunt grata hic omnia nocte:
Cum defeſſa levi requierint membra labore.
Parva cavo, dum ſævit hyems, formica ſub arcto
Conſumit, quam tota æſtate paraverat, eſcam:
Mox eadem e latebris, terras cum Sirius urit,
Exilit, & denſum ſub divo mobilis agmen
Explicat, atque ſuum properat ſibi quæque laborem
Sedula, perſiſtenſque operi. Sic forte ſub iiſdem
Temporibus nobis ruri, vel in urbe morandum:
Sunt hominum diviſa etenim ſua tempora vitæ;
Si non hæc eadem pravus præverteret uſus.

Ad P. Glyceren laus Poëtarum.

Virtute majus nil, Glycere, boni
Divi dederunt : ne ſtolidas opum
Vires, & inſanos honores
Aſſiduo mediteris ore.
Aſt ipſa Vatum, ni celebris tamen,
Et clara cantu eſt; ſic latet abdita,
Abſtruſus olim ut fulgor hæret
Gemmeus; artificis quouſque
Detectus acri diradiet manu.
Videre patres indigetem Deum
Æneam; & iidem ipſi ſuperbum
Hectoreis ſpoliis Achillem.
Sed Muſa, longo ne pereant die,
Nobiſque noti tam bene ſint, quam avis:
Deduxit illos, nos aduſque
Carmine perpetuo nepotes.
Eſt & fides & gratia Vatibus;
Eſt dulcis oris ſpiritus; eſt Amor,
Qualem nec ullus præſtet ipſis
Omnibus exanimis ſagittis.
Inviſit Orpheus impia pallidi
Ingreſſus Orci regna, inamabiles
Manes, & horrendas tremendi
Eumenides famulas tyranni,
Illinc acerbo funere conjugem
Raptam reduxit pænè, potentibus
Vocum Camœnis æque, & omni
Threiciâ modulatu arte.
Quin ipſe durat cæde per aridos
Diſcerptus agros, Euridicen ſuam
Jam voce quærens, nil ſupremâ
Quam miſeram Euridicen vocabat.
Et nos venuſtis moribus, & tuâ
Virtute capti, hac tenui lyrâ,
Primiſque & extremis pudicam
Carminibus Glyceren canemus.

In

In obitu ROBERTI MALATESTÆ. Ad Cives Ariminenſes conſolatio.

Ecquid diminuet graves
  Hic cantus lacrimas, Pieri, Civium;
Et luctu ſtatuet modum?
  An deſiderii vulnera refricans
Jampridem cicatricibus
  Obduci leviter cœpta recluſerit?
Anne, ut fera medentium
  Maturo auxilium fert manus ulceri,
Sic quando incipiat dolor
  Longo jam fieri tempore languidus:
Triſtis lugubribus diu
  Mœrentum numeris cura levabitur?
Ut cumque eveniet, juvat
  Et mî conſulere, & quærere civibus
Qualemcumque meis opem.
  Ergo tam citò ſic optime Principum
Improviſus abes tuis?
  Et nos, te ex oculis protinus auferens,
Tantis deſeris in malis?
  O fallacem hominum ſpem; & fragiles quoque
Fortunas; & inania
  Commenta, in medio quæ ſpacio ruunt!
Heu quanto miſeri antea
  In fluctu obruimur, quàm placidum prope
Portum cernere poſſumus!
  Tu nobis reditum pollicitus bonâ
Spe mentes dubias prius
  Impleſti: ſed erant flatibus editæ
Voces aëreis tuæ.
  Urgebant etenim fata tibi grave
Et clarum facinus dari:
  Ut ſcirent homines quæ vegeto tibi
Vires conſilii forent;
  Quod virtutis opus rebus in arduis;

Quod

Quod robur quoque pectori
Perſtaret: quibus heu jam violentior
Fati vis aderat comes.
Hunc iidem ut cumulum vix homines opum
Tantarum inſpicerent procul:
Sublatum ex oculis quærere pergerent
Incaſſum queruli diu.
Ex quo namque die viſus es acribus
Formidabilis hoſtibus:
Multâ cæde virum exercitus inſolens
Virtute eximii ducis
Confiſus, ſimul & robore proprio
Innixus, pænitus tibi
Proſtratus cecidit continuò Deûm
Confoſſus jaculis velut;
Aut vibrante Jovis fulmina dexterâ.
At dum functus honoribus
Incedis; tibi quæ munera Pontifex
Romanus dederat tuis
Incenſus meritis! heu volucris nimis
Nobis te eripuit dies;
Nobis, atque tuæ, dux bone, patriæ;
Commune Italiæ decus,
Et flentis columen militiæ, ſed heu
Nobis heu magis omnibus
Nobis eriperis; jam ſolitis tuæ
In ſpem vivere gratiæ.
Hæc cives ego mecum; hæc quoque ſæpius
Fruſtra conquerimur ſimul,
Curis ſolliciti pectus inanibus.
Sed nullis querimoniis
Interrupta prius fila tenax colo
Curat Parca reducere.
Ergo perpetuis uſque doloribus
Augemur miſeri? neque
In mentem veniet, ne benè commodis
Noſtris alterius vice
Ingrati poſthabitâ ſimus & impii?

Nam terras ſimul illius
  Implevit memores gloria nominis:
Hunc ipſum ad ſuperos, ubi
  Æquaret meritis præmia fortibus,
Æternum ſtabili manu
  Ducens aſſeruit: perpetuoque apud
Hîc ævo fruitur Deos:
  Felix Cœlicolas inter, & arduos
Heros eximius Duces.
  At non ille tamen ſic etiam ſibi
Soli conſuluit bene:
  Sed nos reſpiciens, ut decuit, quoque
Solari voluit ſuos;
  Tantam qui ſobolem, tam ſimilem ſui, &
Quæ ſe tam referat, dedit
  Nobis, intuitu cujus, & altius
Actus viſceribus dolor
  Tandem deſineret fractus; & ocyus
Hac ſolamen imagine
  Perfuſos animos, lætitiâ pari
Expletos ita redderet;
  Tamquam nulla prius damna ſubiverint.

Amaracus Glycere dono miſſa.

Ne forte, Glycere, infima
  Herbarum videar non male olentium;
Quæ nunc exiguum tibi
  Devoti venio munus amiculi:
Me quondam domino puer;
  Dum menſam variis replet odoribus,
Dilapſus pede lubrico
  Hærentem teneris induit artubus.
Hinc illud redolet mihi
  Perfuſum foliis ambroſiæ decus.
Quod non per tenues crocus
  Flores, nec ſua per lilia reddere
Narciſſi poterit dolor.
  Sed nec purpurei vulnus Adonidis

Unquam præſtiterit; licet
  Amentis madeât ſanguine Cypriæ.
Nam motum graviter ferunt
  Bellorum dominum; quod Cynareium
Et ſilvas coleret Venus:
  Mox Aprum rabidis fulminibus trucem
Miſiſſe, ut lueret miſer
  Crudeli juvenis gaudia funere:
Cujus cùm gemitum Dea
  Senſiſſet, tenui, forte ut erat, thoro
Nudum proſiliens pedem
  Impegit rubidis ſentibus inſcia;
Albentemque prius Roſam
  Permixto exanimis ſanguine Adonei
Inficit Veneris cruor.
  Quæ quamvis Tyrio murice clarius
Paſſim præni eat, tamen
  Ne mecum velit illudere naribus:
Nam ſeu me viridem levi
  Umbra, ſeu rapidis ſolibus aridam
Molli contuderis manu,
  Spirabunt pariter protinus omnia,
Quis aulam domini puer
  Unguentarius adſperſit Amaracus.

Ad Venerem.

Quid mihi tecum Venus eſſe dicam?
Quæ novo rurſus jecur igne tentes,
Septimum cujus properavit ætas
  Claudere luſtrum?
Deſinas quæſo; Glycere, ſat ipſa eſt
Una, quo memet meus urat ardor:
Et mihi nil eſt reliquum, quod alter
  Occupet ignis
Ille mi totis furit in medullis,
Nullius ſupra venientis undæ
Impetu ſperans minui, nec ullâ
  Creſcere flammâ.

Tu

Tu modo firmum, propriumque faxis
Munus, id, quo jam ſatis & ſuper me,
Diva, ditaſti, nihil eſt, ut ultra
  Amplius addas.
Quin tibi nodo religatus uno,
Arctius multo, propiuſque ſemper
Hæream, quam ſi varios in uſus
  Differar idem

Ad FUSCIUM THOMEUM, felices, qui ſe Muſis dedunt.

O felix ter & amplius ille,
Quem, neſcia curarum mens, poteſt
Nectere levibus Pieridum choris.
Neque onuſtum multâ merce alto
Committit pelago; neque medias
Per cædes vadentem, adverſis
Hoſtibus opponit truculentis.
Dudumque minus populari auræ,
Regumque inhians opibus Muſa
Secreto tenuem accipit antro.
Ut juvat hunc pede tangere ſolido,
Paucis pervia loca, & audire
Inſolitas voces, ac vultus
Divorum prope, & ora tueri:
Jamque oriri, & creſcere vatem
Ad bene memores uſque Nepotes,
Venturum ampla laude ſuperſtitem,
Qualem te modo vidimus omni
Sollicitudine, Fuſce, ſolutum
Fluvii ad Permeſſi ſeceſſus
Implicitum choreis Muſarum:
Dum illuc ſaucius & male firmus
Vix hauſtum veni ipſe ſalubres
Lymphas, animæ quibus extinguerem
Ardores, & abluerem quod mihi
Amor impreſſit vulnus, Amor, qui

Acrius ubi me ſolito corripit,
Feſtinans heu totas huc faces,
Atque pharetram congerit unius
Vultus Glyceres innixus ope.

Ad adoleſcentes & puellas, ut connubiis incumbant.

Mundum principio Deus
Ornatum varia lege animantium
Ut primum inſtituit, vago
Implevit generis cuncta cupidine.
Ac quasdam, velut abditos
Illis igniculos, illecebras dedit,
Quîs capti, ſimiles ſibi
Dum quiſque ediderit, ſtirpe ſubaddita,
Immenſos traherent dies.
Hinc nullo ſua diſcrimine gaudia
Complebant faciles palam.
Nec norat genitor dulcia pignora,
Et natum latuit pater.
Hinc rixæ miſeris non ſine cædibus,
Hinc mille ſcelerum modi;
Cum ſæpe e patrio ſanguine filius
Pœnas ſumeret, & pater
Nati in viſceribus pollueret manus.
At prudens ſimul ac rude
Humanum ætherea ſede Thalaſſius
Inviſit genus, illico
Viderunt homines impia crimina
Detectis oculis, quibus
Immixtus pietate emicuit pudor.
Hic gratam juveni, ſacro
Uxorem, ac ſtabili connubio dicans,
Primus prodidit inſciis
Quæ nati pietas, quique parentium
Ardor, quam facili viros
Uxores colerent lege, quid arctius

Urbes

Urbes & populos ſimul
  Devincit, retinet, regnaque principum
Servans, atque inopum domos,
  Ergo tam nitidis moribos, ac piis
Totos vos juvenes date.
  Et veſtris ſimiles edite patribus.
Vos lætæ quoque maximi
  Amplexæ Hymenis munia virgines,
Reddentis veteres Avos
  Felices ſobolis reddite conjuges.

Ad NICOLAUM PASSERUM. Beatum, cui vita quieta.

Nolis, Paſſere, mollibus
  Quemquam deliciis; aut opibus levem,
Vel quod, credulior ſibi,
  Inſanis inhiet ſemper honoribus,
Jam felicibus hunc, velut
  Immunem miſeris ſortibus, inſeri.
Nam ſive undique ſordibus
  Anguſtis premimur, ſeu nitidi ſumus
Reges; neſcio qua tamen
  Urgemur pariter ſollicitudine.
Quod ſi in propatulum ſuis
  Quicumque explicitis conditionibus;
Optandi dederit vicem,
  Cuicunque, ut libeat, ſummaque, & infima:
Cunctorum ſimul ac bonis
  Immixta exiguis tot mala ſenſerint,
Et purum penitus nihil;
  Mox omnes videas ſorte domum ſuâ
Contentos petere, & graves
  Quoſcumque ingenita peſte relinquere.
Felix qui ſolida potens
  Quamprimum requie, nec caput anxiis
In rebus poſuit, neque
  Plus æquo placidis arduus extulit.

Ad

Ad Muſas.

Pimplæus hic eſt collis? hunc dulces habent
Paſſim Camœnæ? Phœbus hunc lubens petit?
Cum ponit arcum, cum Lyram manu capit?
Huc me quis ergo duxit? hoc quo tramite
Pedem beatus intuli?
Ulline quicquam contigit felicius?
Quàm ſub virente ſemper hac Lauru, ſub hac
Pinu, vel intra myrteum hoc ferri nemus?
Vel ad ſcatentis puriter lymphæ caput
Hujus ſedere feſſulum?
Quis ô canoras ocyus mihi fides
Ferat? quis hic me cœpit ultro ſpiritus?
Avet latente mens furore percita,
Sequenſque geſtit, os, manuſque grandius
Nec uſitatum ludere.
Duxiſtis hæc in alta vos me culmina
Muſæ; rigaſtis ora vos puris mihi
Undis; refectumque excitaſtis optimæ:
Accepta vobis quæ frequenter unicis
Referre par eſt omnia.

Ad JULIUM II. P. M. Gratulatio.

Secunde Juli, Pontifex ſanctiſſime,
Optate cunctis gentibus diu pater,
Electe ſummo nunc jubente cœlitum,
Patrumque votis omnium faventibus;
Jam quiſque pro ſe gratulantes offerunt
Tibi, quod eſſe deditæ ſignum queat
Mentis. Potentes urbium volentium,
Rerumque firma publicarum pectora
Legationibus datis frequentibus
Spondent, fidemque dedicant læti ſuam;
Tamquam daturi prodeant majus nihil.
At qui minori ſorte victum temperant,

Omnes opellam pollicentur uberem.
Præſtare qualem diligens virtus poteſt.
Quos, ut tuorum ſcripſeris ſemel gregi,
Dignere læto contueri lumine.
Spe cujus ultro motus ipſe gratiæ,
Auſim repoſti collis ad cacumina
Repens, anhelans ac laborans, tendere.
Ubi ſorores floribus ſertum novem
Texunt micantibus, æmuliſque ſiderum:
Quod inde mecum deferens tibi ſacrum
Pergam ſuperbis dedicare poſtibus
Templi, quod ulnis ſuſtines unus tuis.
Ne prorſus ergo ſeduli munuſculum
Vatis, puſillum ſit licet, deſpexeris,
Nec ille namque, cujus hic vicem geris,
Rerum ſupernus fabricator omnium
Terris inhabitans parvulos contempſerat.

In effigiem ſuam.

Aurelii Augurelli imago eſt quam vides,
Uni vacantis litterarum ſerio
Studio, & jocoſo; diſpari curâ tamen:
Hoc ut vegetior ſic fieret ad ſeria:
Illo, ut jocoſis uteretur firmior.

JO: MUTII AURELII

MANTUANI.

In Divi Joannis Baptiſtæ laudem,

HYMNUS.

NAſcere, quid ceſſas dudum? cunctiſque petitum
Votis, redde diem veniens age Lucifer almum:
Dignum quo poſſit ſuperum favor omnis in unum
Congeſſiſſe virum quodcumque eſt ulla potis vis,
Quoque olim non te pigeat, vatum optime, naſci.
Quem cœlo ex alto ſuperûm Rex tempore, quo ſe,
Venturus tandem populorum, orbiſque ſaluti,
Jam jam hominis faciem, & mortales induere artus
Certus erat, terris quondam præmiſit habendum:
Dum nos interea ſolemnes dicere laudes
Aggredimur, vatiſque pii celebramus honores.
Ille quidem in ſilvis, perque avia luſtra ferarum,
Propter aquam, & vario depictas gramine ripas,
Pulcher ubi, fluvioque ingens Jordanis amœno,
Collibus e curvis per pinguia culta volutus,
Exercet curſu latices, ſimul & ſecat arva,
Florem ævi totum primis exegit ab annis.
Divinis animum curis, & pectora plenus,
Magna Deo, populoque docens inſtantia fata.
Non illum Veneres, non illum pocula Bacchi,
Non epulæ flexere ullæ, non purpura dives,
Verum undas hauſitque manu, & quas plurima ubique
Fundit humus, teneras decerpſit graminis herbas,
Horridus, hirſutoque humeros contectus amictu

Illuc, ut perhibent, diverſæ atque agmine lato
Certatim coëunt gentes, atque inde reverſæ
Haud dubia ex dubiis referunt oracula rebus:
Deſeritur Solyme, linquunt Hjerumque, Thenaque,
Arva Palæſtinæ, palmoſæque oppida Idumes.
Undique conveniunt, & inhoſpita rura frequentant.
Ille autem ſuper his, ripas lucoſque ſilentes
Inſuetum multo calefactus pectora Phœbo
Perſonat, & vacuæ reſponſant omnia valles:
Nunc pater e ſummo claram demittit Olympo
Progeniem, ætherei monimentum & pignus amoris.
Jamque aderit Deus, ecce Deus, quæ tanta moratur
Segnities? quæ tanta animos dementia fallit?
Ite, agite, & ſuperum venienti occurrite Regi:
Quamque viam inſtiterit, terras regna ultima viſens
Certa Dei ſoboles, ſtudiis ingentibus illam
Sternite: nunc opus eſt animis, nunc mentibus æquis,
O multum monitique mihi, multumque monendi,
Spernite opes, inquam, ac variarum nomina vana
Delicias rerum, & contagia divitis auri,
Verſantiſque orbem, & mortalia cuncta trahentis,
Otia, deſidiam, ſævique Cupidinis arma.
Felix qui potuit Cereris contemnere dona,
Et latices Bacchi, morbos & bella ferentes,
Ac tolerare ſitim & jejunia longa ſuetus,
Corpoream imminui molem, & mortalia ſenſus
Membra tulit, gaudens vinclis & carcere cæco,
Exoneraſſe animum, ac volucrem ſuper æthera ferre.
Huic ſæpe inſomnis primum ſeſe obtulit ultro
Ipſe Deum genitor, ultro docuitque futura,
Mox etiam a que etiam claro ſe lumine paſſus
Contingi, eloquio ardenti, aſpectuque beato
Affulſit ſanctumque inſpirans oſſibus ignem,
Divina implevit penitus dulcedine mentem.
Uſque adeo magni mentem facit æthere natam,
Ardua conantem ſponte. & præclara volentem.
Hæc & plura heros memorans populumque, patreſque
Spargit rore levi, & felicibus abluit undis
Con-

Conceptas mundi labes ab origine prima.
Continuo mores ſuſcepit, grataque ſervat
Poſteritas, ſacrumque pii coluere minores.
Ecce autem ætherei Regis certiſſima proles,
Pro mortali hominum genere, & pro numine læſo:
Heu, fato indigno, & crudelis vulnere dextræ
Projectura animam, & finem allatura malorum:
Dudum aderat, ſummique Patris præcepta docebat
Nota ſibi, atque animos ſupera ad convexa vocabat.
Progeniem quoniam immeritam cunabula mundi
Poſtgeniti, ob noxam primique errata parentis,
Damnatam omnipotens pœnas expendere juſſit,
Terribilique hoſti divûm conceſſit in iras.
Hunc ſimul aſpexit juvenis, & fluminis alveo
Terque quaterque manu liquidas ſuperintulit undas
Reddita vox ingens reſerato e vertice Olympi,
Teſtatuſque ſacra præſens pater alite Natum,
Intonuit late, tremefecitque ætheris arces.
Ex illo haud dubitas, magnorum maxime vatum,
Solvere fatidicum os, & ſpem vulgare per agros
Adveniſſe hominum, certam requiemque laborum,
Pollicitique Dei totites mox teſtis adeſſe,
Unum præ cunctis, populis ſpectantibus ultro,
Et monſtrare manu & verbis ſignare volentem,
Viſa canens, monituſque datos pridem æthere ſummo:
Tu matri, tu vocis adhuc, & luminis expers
Prima utero exultans fœto das ſigna ſupremi
Adventu ſuper Herois, magnamque parentem
Pandere res altas, ſummique arcana Tonantis
Decreta, & volucrem ſupera de gente miniſtrum,
In medio viſumque die, auditumque fateri
Impellis, tua ſidereus facta optima Natus
Mox probat, & cunctis præfert mortalibus unum
Te vatem, o longe melioribus optime ſæclis,
Nate Pater, meritoque aſcripte Quiritibus olim
Cœlicolis, ſuave o regi gratiſſime Divûm,
Ac nos compoſito celebrantes carmine laudes
Rite tuas, pariterque preces, ac tura ferentes

Nunc vides quanto moveant fera bella tumultu
Crudelis animæ? ſæva illinc arma Britanni
Expediunt: ſolidas latis Hiſpania terris
Cum populis urbes effundit, & omnia verſat:
Hinc Gallorum acies, & prodiga corpora vitæ,
Cædis amor, ferrique armat ſcelerata cupido,
Inter utroſque facem intentans Diſcordia ſævit,
Impius armatos ſtimulat Mars, & furit ingens.
Ah ne iterum tanto concurrant agmina motu:
Ah, ne iterum largo pingueſcant ſanguine campi.
Has tu iras, atque hæc imperdita corpora bellis,
Quæ dudum Auſoniæ cierant in viſcera reges,
Verte hoſtem in Turcam, ſuperis det ſanguine pœnas
Cizicus, & populi quos dividit Helleſpontus.
Æquius huic fuerat noſtra arma opponere genti:
Hunc tu animis, pater, accenſis immitte furorem.
Ecce tibi Decimus præſes ſimul, & decus orbis,
Afflictis quem vos rebus ſæcloque ruenti,
Auxilium cœlo properaſtis mittere ab alto,
Auguſto ingentes volvit ſub pectore curas:
Jamque Scythas vexat bello, atque amiſſa repoſcit
Regna animo mox excidiumque ſtragemque daturus,
Actutum valido complebit milite campos:
Olli igitur vires ultro ſe ad bella paranti,
Quo ſine nulla ſuper miſeris mortalibus eſt ſpes,
Sufficite, ipſe animoſque ſibi, mentemque miniſtret.
Nunc o quique Hebri, vitreas & Strymonis undas,
Quique bibunt Xanthum, & fluctiſonum Simoënta,
Quoſque aliis longe poſitos in partibus horrens
Caucaſus hinc, illic proſpectat maximus Atlas,
Agnoſcant veri tandem præcepta Tonantis,
Et fluvio diſcant natos merſare ſalubri,
Teque adeo ante omnes unum, tuaque arma tremiſcant
Nota nimis miſeris, ac cæde inſperſa ſuorum.
Teſtis clara Rhodos facti non immemor umquam,
Cum late implerunt campos, paſſimque per herbas
Agmina multa virum jacuerunt æquore toto,
Carpathiique maris fœdarunt ſanguine fluctus.

Ad

Ad LEONEM X. Pont. Max.

Dum tu orbem immenſum paribus compeſcis habenis,
  Atque animo terras proſpicis, & maria,
O Decime afflictis tandem pater optime rebus,
  Præſidium extremis reddite temporibus:
Totque tuo ingentes concurſant pectore curæ,
  Quot fluctus vaſto gurgite pontus habet.
Nos tibi ſic inter tantarum culmina rerum,
  Actutum toto fluximus ex animo,
Sicque leves jactant promiſſa tot irrita Cauri,
  Ut folia autumni tempore ventus agit,
Quæ ſimul occurſant inter ſe, & prælia miſcent,
  Poſt tandem ad terram ex aëre crebra cadunt:
Atque hæc præteriens calcat neglecta viator,
  Non gregibus, non his parcere cura homini.
Interea exercet me me, nec deſinit umquam
  Pauperies omnes mi facere inſidias.
Cuncta minatur enim miſero mala Juppiter, atræ
  Ut paupertatis omne genus pereat.
Quæ mihi nec ſuaves Muſarum expromere cantus,
  Nec ſinit a tanto mentem inhibere malo:
Sed duras curarum inter ſtipata cohortes
  Urget, & hoc ſemper vexat acerba caput.
Cujus diſpercam, ſimilis ſi peſtis in orbe eſt,
  Triſtius aut quicquam Tartara nigra pavent.
Quinetiam Stygium hacce Jovem torquere nocentes
  Fama tulit, nudas cum jubet eſſe animas.
Non gemmarum infra, non uſus divitis auri,
  Nec quiſquam nuda corpora veſte tegit:
Nonve dapes adhibet menſis, non dulcia vina,
  Aſt tenebras late, ſqualidaque arva ſitu
Gens colit, hanc durum quatiens inſana flagellum
  Inferna excruciat per loca pauperies.
Tartarei ex vultu pendet ſuſpenſa Tyranni
  Pallida, & ad pœnas, quos cupit ille legit.
Innumeras peſtes atque agmina ſæva ſororum
  Immittit miſeris, perpetuamque famem:

Hanc trepidæ aſpicientes quantũ horrent animæ, & quã
Optarent votis tunc quoque poſſe mori.
Nuſquam illic urbes, nuſquam illic tecta maligno
Sub Jove Regem etiam durum habitare ferunt.
Contra autem ex auro atque ebore alti in vertice Olympi,
Summa nitent claris atria cœlitibus.
Hic paſſim toto diffundit Copia cornu
Ambroſiaſque dapes, nectareumque merum.
Plauſibus ac cœlum vario late undique cantu,
Perſtrepit, & lætas numina agunt choreas.
Huc dii fulgentes magni cum veſtibus aureis
Conveniunt, ſummo ſtat pater in ſolio
Juppiter, & ſuperis edicit jura vocatis,
Divino mulcens ſidera colloquio,
Diſpoſitos ſic infra olim ſede editus alta,
Conſcriptos cernis, numina, veſtra patres,
Cum tu Oratores, per quos tibi ſupplicat orbis,
Atque tuo ſe ſe ſubjicit imperio,
Excipis, illi autem placidum ſibi numen adorant
Proſtrati, & ſacris oſcula dant pedibus:
Dein divina domum redeuntes juſſa reportant,
Quæque alia externis regibus ac populis,
Pectoris e ſancti penetralibus abdita profers,
Suſpenſis captant quæ priùs auriculis
Quare quid mirum eſt, ſi aurum, quoque judicibus diis,
Vulgus amat, largas divitiaſque probat?
Ut quæ unæ valeant facere ac ſervare beatos,
Et dare compoſiti lætitias animi:
Quæque etiam veluti me inviſum deſeruêre,
Jactatumque maris fluctibus in mediis,
Quòd neque jam dignatur opem Ramnuſia virgo
Ferre, nec ulla hominum pectora conſilium.
Atqui olim non me hæc miſerum ſperare jubebas,
Degere ſed diſcincta otia Pegaſidum:
Multaque quæ veſtro mihi nomine rettulit olim
Hadriaci Bembus gloria magna ſoli,
Bembus amor Muſarum, & Palladis ultima cura,
Caſtalio Bembus potus in amne pater,

Om-

Omnibus his qui te, te unum jam prætulit, uni
Dulcia Pieridum numina poſthabuit,
Quæ nunc aërii ſub verticibus Parnaſſi
Te ſibi flent tantum ſurripuiſſe decus.
Da mi igitur dextram, meque hoc ex turbine mentis
Totque ærumnoſis eripe vorticibus.
Hoc tibi reſtat opus, hoc eſt tibi perficiendum:
In te uno eſt una, atque unica noſtra ſalus:
Quòd ſi non æqua hæc mea carmina reſpuis aure,
Verbaque das rapidis irrita ferre Notis,
Me neque tantillum, quantum eſt ſervare Deorum
Jam poterit, non ſi mox velit ipſa ſalus:
Quin totis penitus fortunæ abſorbtus in undis;
Protinus ingratos ore bibam latices.

BENEVOLO LECTORI.

CArmina nonnullorum Poëtarum, quæ Typographorum incuria, in hoc volumine omiſſa fuerunt, ne mancam, & mutilam, ſed abſolutam, perfectamque, hanc primam hujus Operis partem tibi exiberem, hîc extra ordinem addenda curavi.

FABRITII ACCOLTI

ARETINI.

In obitum GARSIÆ MEDICEI.

CUm liceat bello Scythias opprimere gentes,
  Et dare ſervili barbara colla jugo?
Si te ſic fera mors rapuit? nec ſigna, nec arma
  Diis viſum ut caperes, dum tuba rauca ſonat?
Ah nobis nimium nimium crudelia fata,
  Vix puer inviſit lumina clara Poli.
Heu heu nunc Latium penitus nudaſtis amœnum,
  Ut tetigit niveo flumina nigra pede,
Ipſe pater gemuit Mavors & Cipria mater,
  Et lacrimans Frater ſpicula fregit Amor.
Jam mors crudelis, jam mors maleſana, rogamus
  Aſſueſce indignis parcere cœlitibus.
Per te Garſias pulcherrimus improba ceſſit,
  Ceſſeruntque ſimul, & Pudor, & Charites.
Ah quoties greſſus properantum preſſit equorum?
  Ah cupido quoties impulit ipſe pede?
Atque locum ignorans ſonipes ſpumantia frena
  Mandebat tundens ſæpe ſolum pedibus.
Heu jacet, heu ſcelus indignum, nunc gloria belli,
  Omneque quod meriti cauſa timoris erat.
I nunc, & tali pigeat te ornaſſe triumpho
  Ultima quæ nobis diceris eſſe dies.

Atque

Atque etiam Fratrem, quem ſacrum purpura, & oſtrum
  Ornabat, curva falce ſecaſſe tua.
Illi Neptunus (ſervaſſes improba) in undis,
  Et Mars in terris tura darent humiles.
Quid vero hic meruit? Quis nam pia condere jura
  Aptior ad ripas Albula magna tuas?
Quis tandem potuit triſtes non fundere quæſtus,
  Et miſeras lacrimis non maculare genas?
Mente ſimul repetens matris pallentia membra;
  Qua nulla in toto pulchrior orbe fuit.
Sic inquam: Rape mors alios quos conficit ætas
  Languida, qua nitidus decidit ore rubor.
Non quorum primo vix compſit flore juventa,
  Et tenui aſperſit corpora rore ſuo.
Hiſce ego nunc mœſtis quam verbis alloquor? hæc ne
  Mulcetur dictis? flectitur an lacrimis?
Ah quam difficile eſt torqueri numina Divum
  Præſcia venturi quidquid in orbe mali
Si roſeus pallet Phœbus, formoſus & alter;
  Occumbit Mavors, Pallas & alma latet.
Quis levet ætatis, quiſnam contagia noſtræ?
  Et quæ jam nobis ſpes miſeris ſupereſt?
Quis modo, quis valeat dictis avertere quemquam,
  Ne præceps Ditis Tartara cæca petat?
Ergo agedum alternos puerique, ſeneſque, puellæ,
  Dum licet æthereo ſpargere in orbe ſonos:
Ad Dominum ſummi precibus concurrite Olympi,
  Oraque ſingultu concutiente ſonent.
Spargite lugubres cantus, ſuſpiria, fletus:
  Heu quis nam dignis temperet a lacrimis?
Nec fluat hem gemitus, quòd nunc hos improba flores
  Carpſerit ante diem Parca nocente manu;
Illis parta quies, ſunt & ſolatia læta,
  Et datur æterni ſumere dona Dei.
Denique cum proprio mors eſt abſumpta triumpho;
  Morte trahunt vitam; ſidera morte premunt.
Sed quoniam in vivis heu livor paſcitur iſte,
  Veſceturque etiam, dum mare habebit aquas.

ACO-

OCTAVII ACORAMBONI

EUGUBINENSIS.

In triumphum M. Antonii Columnæ, quem geſſit die Martis cælo ſereniſſimo, cum dies Lunæ fuiſſet turbidiſſimus.

DIc mihi Muſa precor, cur turbida tempora Lunæ,
 Cur Martis nitido tempora Sole micant?
Diva bicornis heri flevit fera vincla tuorum:
 Mars hodie armipotens læta trophæa parat.

In eundem, ſciendum eſt, Felicem Urſinam eſſe uxorem M. Antonii Columnæ.

Quid mirum o cives, ſi toto nubila cœlo
 Ceſſere, atque minas ſi poſuere Noti?
Perdidit Urſa Notos, Felicia tempora reddens,
 Atque ſuum Boream juſſit adeſſe viro.

NICOLAI ADJUNCTII

BURGENSIS.

AD GALILEUM GALILEUM LYNCEUM

De Teleſcopio, & Arviſio Vino dono miſſis.

CReteum mihi das nectar, chryſtallaque Lyncei,
Atque pares grates munere utroque meres:
Majora oſtentat rerum ſimulacra ſpecillum,
Viſa quoque hoc vinum multiplicare valet:
Orbiculis vitreis grandeſcunt corpora; at iſto
Mens quoque fit major nectare fuſa Chio:
Me gemino hoc vitro præſentem ducis in Aſtra;
Quattuor his ciathis me vehis Aſtra ſuper:
Artifici hoc tubulo ſtellarum arcana pateſcunt;
Arcanum faciunt Cretica vina palam:
Optica chryſtallus doctum; ſed Creta diſertum:
Tergit & illa aciem; purpurat hæc faciem:
Hocce tuo invento Veneris modo cornua vidi;
Et Vino hoc forſan Mulciber illa tulit:

LUDOVICI ALAMANNI
FLORENTINI.

Ecloga quæ Aper inſcribitur.

Euthymachus, & Euridamas interloquuntur.

Euth. DIc precor Euridamas potis es ſi dicere cauſam
Cur ego qui longo ſenio confectus, & annis
Venatu invigilans ſemper nemora alta peragrans
Nullum umquam inveniam denſa inter luſtra ferarum
Obvia quæque feris laniantem dentibus Aprum.
Eur. Haud equidem novi, tamen arbitror, aſper amœnas
Rarus Aper valles colit Arni, raraque ſemper,
Sed tamen inſignis præda eſt venantibus Apri.
Magna quoque, at magno venantum parta labore,
Ipſe etenim memini quondam florente juventa
Cum tanta pugnaſſe fera, & domuiſſe furentem;
Non ſolus (neque enim ſolus tot adire labores
Audeat, aut tantæ quiſquam ſe credere pugnæ)
Sed venatorum magna comitante caterva,
Miſſilia, atque haſtas, & grandia tela gerentum.
Euth. O fortunate Eridamas, cui gloria tanta
Contigit, & clarum venando extollere nomen.
Quare age ſi ceſſare potes; ſedeamus in umbra
Tuque mihi interea tanta hæc certamina narra.
Eur. Antiquæ memorare jubes certamina pugnæ
Vera loquar quamvis, mos ſit mendacia fari
Venantum; umbroſa in ſilva cum forte vagarer
Sub querçu, patulis diffuſa frondibus, Aprum
Ster-

Stertentem inveni, mirum, alta cacumina fagûm,
Non ſecus ac Boreas agitabat anhelitibus oris.
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.
Ipſe tamen pavidos pellens de pectore ſenſus
Luſtro oculis, & parte locum ſpeculatus ab omni,
Profugio, ſociosque vocans iis omnia narro.
Continuo illi omnes, induti agreſtibus armis,
Semiſeſque ſitu, & longa ferrugine nigris,
Ferrataſque haſtas, & fortia tela, ſudeſque,
Ingenteſque canes, & retia lata capeſſunt,
Hi poſtquam in ſilvam contectam frondibus una
Perveniunt, Apri ſtupido qua membra veterno,
Ac ſomni torpore gravi perfuſa jacebant
Horrificis tenues implent clamoribus auras.
Jamque prope adſtabant, ſtrepitum cum propter inane
Membra ſopor liquit, ſurgitque interritus ille
Proſpectanſque canes, & tela minantia cernens
Frendit, & ore fremens fertur violentus in hoſtes,
Quaque ruit via fit, ſilvæ ſternuntur opacæ.
Ipſi autem contra furibundis comminus haſtis
Inſiliunt venatores, & vincula ſolvunt
Arcta canum, accendũtq; animos, ferit æthera clamor,
Aſtolus ipſe, lupoque ſatus, ſimul Arpalus audax
Prœlia prima ineunt, atque hirtas dentibus aures
Arripiunt, atque iis violentis morſibus hærent.
Ipſe caput quatiens, ſpumanti protinus ore
Dente ferox utrumque tenens laniavit eburno,
Dumque ipſos lacerat, magna contorſit opum vi
Therodamus jaculum, fixitque in tergore ferrum,
Sanguinis unda fluit, namque atrox tempore eodem
Vulnerat ipſe ſuem, currens Oribaſus in armo
Vulnerat & tigris, quos contra dentibus ille
Diſcerpit miſeros, cumulatur vulnere vulnus
Strage canum, atque Apri, natat undique terra
Cruore, ille ſuo ut vidit madefactam ſanguine terram
Sævior exardens animis fit, concitat iras
Infrendenſque ferox ſævo petit ore Cynandrum,
Pectore in adverſo dens hæſit, & undique haēnum
Per-

Perfregit thoraca, cadens ruit ille ſupinus
Pondere preſſus Apri, caruit vix vulnere pectus,
At nunc Dyctiponus, ſocii ne membra cadentis
Immanis laniaret Aper, concurrit, & ingens
Contorquet telum, quod acutæ cuſpidis ictu
Hirſutum penetrare femur potuiſſet, at orno
Annoſæ jaculus volitans impactus adhæſit.
Ipſe in Dyctiponum contra ruit ore cruento
Sanguinolentus Aper, fugit ille volucrior aura,
Sed tamen haud pedibus ludum vitaſſet amarum,
Quamvis ſanguis Apro deſit, ſit vulnere tardus,
Ni ſtricte generoſa canis vis colla furentis
Inſultans cæpiſſet Apri, ſævoſque petiſſet
Armos, namque canem invadens dum forte moratur,
Dyctiponus quercus ramos aſcendit opacæ,
Ille canem lanians immani condidit alvo.
Extemplo turbati animi, fugit omnis, & audax
Solus ego veritus non ſum ſuccedere pugnæ,
In primis conto, contum nam forte gerebam,
Cuſpide acuta apte decoratum, atque ære tridenti)
Ipſe ſuem aggredior, ſonat undique ſilva fragore
Vulnere perfoſſus noſtro vomit ille cruorem,
Et jam deficiens graviori exæſtuat ira,
Quam nihil ipſe timens penetravi pectora ferro
Concidit is (juvenes clamorem ad ſidera tollunt)
Effunditque animam, tremefacta eſt pondere tellus
Tunc ſocii exultant, lætum Pæana canentes,
Frondibus ipſe autem redimitus tempora quernis,
Tantam humeris prædam ſociis adjutus ab ipſis
Attollo, atque domum magna cum laude revertor.
Euth. Felix Euridamas felix quem tanta manebant
Prœlia, & inſignis tam raræ gloria prædæ;
Sed ſatis egregio non ſit laus iſta labori,
Te quoque dona manent, tibi nam pro talibus auſis
Retia lata, canemque ſimul donamus odorum.
Eur. At tu muneribus pro tantis accipe contum,
Quo nemore in denſo furibundum fiximus Aprum.
Jamque vale, ecce adſunt obſcuræ ſilentia Lunæ,

Heſperus advenit, noctis jam lumina ſurgunt.

Ecloga quæ Melampus inſcribitur
Nais ſola loquitur.

Extinctum Nais crudeli morte Melampum
Deflebat lacrimoſa canem, quem dente feroci
Vis furibunda ſuis laniavit, & atra cruore
Viſcera diſcerpſit, nigroque madentia tabo,
Illa implens clamore nemus, ſilvamque virentem
Flebat, & horrificis reſonabat quæſtibus æther,
Femineumque ſimul lamentum in valle querentis
Reddebat Nymphe miſeris clamoribus Echo.
Acta furore gravi, quæ lates ſparſa per agros
Membra canis lacerata legens ſuſpiria mœſto
Corde trahit, rumpitque has imo a pectore voces:
Occidit indigna correptus ſorte Melampus,
Occidit ille canis per quem mea vita manebat
Læta, & jucundo ſemper pleniſſima ſenſu.
Occidit ille canis quondam mea ſola voluptas,
Nunc ſolus luctus, ſola & mihi cauſa doloris,
Per quem gaudebam miſerum nunc plangere pectus
Cogor, & auratos fœde laniare capillos,
Purpureaſque genas, & fletibus ora rigare,
Fletibus ora rigare, ſimulque effundere queſtus.
Vos igitur ſilvæ, & montes, & amœna vireta,
Vos colles ſaltus, liquidi cum fontibus amnes,
Vos frutices, herbæ, flores, virgulta, ſalicta,
Vos duræ quercus, & con feræ cypariſſi.
Voſque & populeæ prope limpida flumina frondes,
Vos aſpræ ſimul aeriis in montibus alni,
Vos mœſtæ volucres purum per inane volantes,
Vos ſocii catuli, vos cari fœdera lecti,
Vos maria, ac terræ, vos celſi lumina cœli,
Deflete extinctum crudeli morte Melampum.
Ille bonus, bonus ille canis, bonus ille catellus
Amplius haud liquidum latratibus aëra complens
Nec ſuperare feras potis eſt, nec ducere captas;
Quo

Quo cunctos ſuperare canes qui montibus iſtis
Venatu invigilant, poterat, cum fervida curſu
Pectora protendens celeres agitaverat annos.
Amplius haud poterit fugientes ſiſtere damas,
Amplius haud poterit florum redimita corollis
Tempora clara gerens parvis colludere natis.
Gaudeat hinc omnis ſævarum turba ferarum
Vepribus exultet lepus abditus, atque geniſtis,
Geſtiat hinc gaudens fontis prope limina cervus.
Lætentur timidæ per florida pabula damæ,
Incipiant vulpes lætas agitare choreas:
Ille canis periit, periit canis inclitus ille,
Cui vulpes, damæ, cervi, cui terga fugaces
Vertebant lepores, quæ ſe ſubducere letho,
Perpetuæque fuga vitare ſilentia noctis.
Conantes fruſtra, egregii canis ore peribant.
At nos æterno meditemur ducere planctu
Vitam infelicem, lacrimoſaque pectora palmis
Tundere, & horrenda gemitus emittere voce,
Æternumque ſimul lugere, atque omnia læta
Odiſſe, & numquam decorati tempora ſertis
Non choreas agere, & forma contendere Nimphis.
Non ornare caput, non ſuavem ferre laborem
Venandi, curæ eſt dulcis mihi nulla voluptas,
Sed quondam jucunda mihi viridantia ſerta,
Claraque cum placidis pereat mea forma choreis,
Mundiciæ pereant capitis decoramina noſtri,
Venandique voluptates, quas ante ſequebar,
Poſtquam eſt extinctus crudeli morte Melampus.
Non tantum Prognes caſum miſerata ſororis,
Incœſtus Philomela ſuos non garrula tantum,
Non tantum æquorea infelix prope littora delphin
Alcyonis fatum, non tantum per freta Cetix
Lugebit, non Strimoni prope flumina Cygni,
Quantum ipſa extinctum crudeli morte Melampum,
Naïades mecum charæ lugete ſorores,
Et noſtri generis ſociæ lugete Napææ,
Lugeat hunc omnis merenti pectore Nympha,

Defleat indignam catuli Latonia mortem,
Per ſilvas plorent Panes, pater ipſe per hortos
Herbiferos fleat hunc dejecta falce Priapus,
Capripedes Satyri doleant, Faunique bicornes
Per nemora alta fleant, mœſtoque in corde dolorem
Concipiant, flentum tollatur ad æthera clamor,
Extinctus quoniam eſt crudeli morte Melampus.
Heu ſortem indignam, quæ tam crudelia fata
Hunc rapuere canem, tantum rapuere decorem,
Cui niveæ per colla jubæ, fuſique per armos
Candentes villi, velocia membra decebant,
Candida cui facies, totoque in corpore candor
Nigrorem decorare pedum, atque ornare colorem
Talorum fuſcum poterat, ſed laudis in illo
Hoc minimum eſt, nam virtutis præſtantia formam
Hæc quota pars, quoniam non hoc præſtantior alter,
Aut auſu ſuperare feras, aut ducere captas.
Luce igitur quondam longe mihi carior iſta,
Umbra canis ſalve, maneſque valete ſilentes,
Æternum manes inquam mea vita valete.
Heu heu ſciſſa comas ipſa & laniata, Melampe,
Sparſa legens quondam celebri tua membra ſepulchro,
Ferte roſas Nymphæ tumulo date ſerta frequentes,
Ipſa feram violas, & purpureos hyacintos
Carmineque inſcribam lacrimantia buſta perenni:
Hic jacet extinctus crudeli morte Melampus,
Qui candore nivem, ſuperavit curſibus auras.

Ecloga quæ Daphnis inſcribitur

Daphnis Siculus, & Melibœus Etruſcus interloquuntur.

Daph. Tu pingues Melibœe boves prope flumina paſcis
Taurigenumque pecus, duciſque ad pabula vaccas
Etruſca, & patrii ripis ſpatiaris in Arni,
Silveſtrique humilem meditaris carmine muſam.
Nec non fraxineâ recubans feſtivus in umbra

La-

Laſcivas cantu cogis ſaltare capellas,
Et choreas agitare jubes, pugnare juvencos,
Atque ornas meritis victricia tempora ſertis.
Nos infelices alienas quærere terras
Cogimur, & patriam, Siculaſque relinquimus oras,
Nos pecudes miſeræ, teneri cum matribus hædi,
Nos vaccæ, vitulique, boumque armenta ſequuntur,
Externo male paſta ſolo, ſic lubrica verſat
Alternas fortuna vices, qui paſcua quondam
Læta dabant aliis, nihil hic niſi paſcua quærunt.
Mel. Valde equidem miror Sicula tellure relicta
Vos infelices alienas quærere terras,
Quæ dives Cythiſi, diveſque flagrantis anethi,
Quæ ſegetum, pomorum, olerum ditiſſima, glebæ
Fertilitate potens, ampliſque potentior arvis
Dicitur, & fama hæc noſtras pervenit ad aures,
Sæpe etenim Corydon, cum pulchrũ ardebat Alexim,
Montibus, & ſilvis ſtudio jactabat inani,
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.
Daph. Olim olim, Meliboee olim fecunda fuerunt
Paſcua Sicaniæ nulli ubertate ſecunda,
Florida cum Paſtor ſua ſedulus arva colebat.
Cum raſtris feriebat humum, & vertebat aratro,
Cum ſentes, tribuloſque urens per amœna parabat;
Cornigeriſque hædis, atque hirtis pabula capris,
Sed poſtquam periit noſtrum decus, optimus ille
Simicidas celebris calamis, inſignis avena,
Simicidas cantu ſilvæ notiſſimus omni,
Simicidas, cui cura boves, cui cura capellæ,
Paſtorum genus ignavum, teterrima proles
Succeſſit ratione carens, qui tempore in omni,
Deſidiam amplexi nocuam, luxumque ſequuti
Simicidæ ſtudium ſpreverunt carmina docti,
Non illos pia cura boves, pecudeſque monebant
Aurea flavicomis, nec fulgens meſſis ariſtis,
Hinc ſubito pecus infelix ovium miſeræque capellæ,
Hincque greges paſſim, paſſimque armenta peribant,
Hinc nemora, & ſaltus, deſertaque pabula turpem

Obduxere ſitum, & nitidam poſuere juventam
Heu heu ſic ſterilis facta eſt, quæ fertilis olim
Sicelis ora fuit, ſic nos ſors improba cogis
Errare, externis, & vitam degere terris.
Mel. Nunc memini præcepta ſenis, quæ ſæpe ſolebat
Daphnis avus memorare ſedens longævus ad ignem:
O filii: curate boves, curate capellas,
Mellifluos curate favos, flavumque liquorem,
Sit vobis ſtabulum, ſint pinguia pabula curæ,
Aurea flavicomis fulgens quoque meſſis ariſtis.
Hortus amat cultum, ſtudioſo paſcua cultu
Læta virent, virideſque virent cum floribus herbæ,
Luxuriant ſegetes, & gaudent omnia cultu,
Terra ferax cujus non vertunt terga juvenci
Jam domiti, & latum deducunt vomere ſulcum,
Infelix lolium, & ſteriles producit avenas,
Quæque carent medico, ſterileſcunt omnia, cultu.
Hæc ille, hinc nos hæc memori dum mente tenemus
Non mala pauperies, non ulla incommoda torquent,
His etiam adduntur divæ ſacra numina Floræ,
Etruſco veneranda ſolo, quæ mollis avenas,
Atque humilem muſam ſilveſtria carmina curat,
Nec renuit tenui calamo ſua facta referri,
Paſtores fovet illa, & agreſtia tempora Vatum,
Quorum dulce ſuas celebrat pia fiſtula laudes,
Ornat Apollinea Floræ dextra inclyta lauru.
Illa jubet curare pecus, jubet omnibus hædos,
Paſcite oveſque ſimul, deductum dicite carmen.
Etruſca hæc hinc prata virent, florentque ſalicta,
Fundit ager ſegetem fecundam, hinc dædala tellus
Ridet, & extremis vegetat radicibus herbas,
Hinc hædis ludunt pingues cum mollibus agni,
Hinc ovium, atque boum lætantur gramine turmæ.
Daph. O gregibus felix, felix viridantibus auris;
Ergo tibi pecudes, nivei tibi maxima ſemper
Copia lactis erit, viridi tu frigus in herba
Umbroſo in luco captans, Melibœe, jacebis,
At Daphnis lacte, & gregibus, patriaque carebit.

Mel.

Mel. Numquam igitur numquā præſentia numina Floræ
Deſinet, hic humili calamus celebrare cicuta.
Daph. Nos vario miſeros, agitatos undique caſu,
Hæc Tuſca excipiet tellus, bona Tuſcia poſtquam
Unica Paſtores agreſtes, unica Vates
Agnoſcit, pecudes hac ipſa in valle locabo
(Si pateris, ſi Paſtorem miſeraris egenum)
Armentis donec melior ſors conſulat ægris.
Mel. Quin ſtabulis potius noſtrum pete Daphnis, & antrū
Ne feſſo pecori noceat lux frigida Phœbes,
Namque mihi, ſtabulumque, & paſcua, & antra ſuperſunt;
Cunɛta etenim quæcūque oculis hinc cernere Daphni
Poſſumus, hæc mea ſunt, dedit hæc clementia Floræ;
Verum age vicinos potum duc, Tytire, ad amnes,
Jam ſaturas pecudes, quæ in ripæ margine ludunt
Suaviloquas Arni, & blandas Munionis ad undas;
At nos, plena ovium dum Tytirus ubera mulget
Daphni age (tempus enim eſt) antrum ſubeamus opacum.

JO: BAPTISTÆ ALBANI

BERGOMENSIS.

De Victoria Naupactiaca.

GAude Roma, parens, magni gaudete Quirites,
Et feſtos celebrate dies, pompaſque frequentes
Inſtruite, & ſacro gaudens Tiberinus ab amne
Exerat uberibus rorantia cornua lymphis.
Scilicet advenit tandem labentibus annis
Illa dies, populos cœlo miſeratus ab alto,
Qua pater omnipotens, invictæ robora gentis
Stravit, & Joniis pugnantem merſet in undis
Barbaricam claſſem: Turcarum ſanguine pontum
Vidimus undantem. Totum hoc tua vota preceſque
Obtinuere Pie: hinc noſtris Victoria fulget,
Et pia Relligio, & juſti reverentia creſcit.
Te duce jam video, Titan quaſcumque recurrens
Proſpectat gentes, pulſis erroribus unum
Noſſe Deum, & de more patrum gentiſque Latinæ
Hunc colere, immenſum nutu qui temperat orbem,
Quem terræ ac maria alta tremunt, cui maximus æther
Paret, & ardentis legio famulatur Olympi:
Pellere & infandos ritus, ac fœda priorum
Orgia, fallaceſque Deos detrudere ab aris.
Jam video ſanctam, dudum pugnantibus Euris
Quaſſatam, optato navem requieſcere portu.
O nimium felix tellus, quam Præſide tanto
Exornat divum, atque hominum ſententia concors:
Tempus enim nunc tempus adeſt, quo Romula virtus
Sur-

Surgat, & in florem veteris ſeſe induat ævi,
Quo ſeſe attollat, latoque Oriente ſubacto,
Et Lybia ſacrum domita caput inſerat aſtris.
Atque iterum ſæcli longe melioris origo
Apparet: viden ut mundo fila aurea Parcæ
Deducunt, veteres avidæ ſarcire ruinas?
O fortunatam Auſoniam, Saturnia regna,
Non triſtes poſthac cædes, ſævaſque rapinas
Cernere erit, non abductis ſquallere colonis
Arva, nec in ſummis volitare incendia tectis:
Sed terras pax alma colet, pacemque ſequetur
Læta Ceres, flavis crinem circundata ſertis.
At tu præſidium Europæ, cui maximus orbis
Certatim aſſurgit, lapſis ſuccurrere rebus
Perge Pie, & claros Heroum laude triumphos
Qui ſuperas, priſcæ cedant tibi nomina gentis.

PHILIPPI ALBERTINII

PISCIENSIS.

CÆSAR ATESTINUS DUX MUTINÆ, AC REGII

Seipſum vincens.

DIc mihi, Calliope, divino carmine dignam
Herois mentem, magnanimique Ducis,
Tu, Dea, virtutem potes exæquare canendo,
Æmula quæ eſt Divis, ætheris hauſta ſinu.
Dicere tu fidibus animorum adamantina virtus,
Præſens ut Fatum proterat una pede.
Ut petat invitam Fortunam in vincla, rebellem ut
Negligat, infidæ ludat ut una dolos.

Interea Cæſar, genus alto a ſanguine Divum,
  Per te, Diva, ſuper ſidera notus erit.
Noſtri Cæſar honos ævi, ſplendorque decuſque,
  Sors cui demere opes, non animum valuit.
Hinc alii poterunt Heroes diſcere quondam,
  Hinc & Fato; & Heræ jam ſupereſſe truci,
Forſitan Eoas audebis dicere pugnas,
  Cum referet Romæ mœnia ad alta pedem,
Victriceſque gerens lauros. Capitolia ſcandet,
  De capto ac figet hoſte trophæa Jovi.
Namque ubi tergemino radiabit ſtemmate frater,
  Cui nunc Sidonius tempora cingit honos,
Immanemque feris centum ſerpentibus Hydram
  Viderit extinctam viribus ipſe ſuis,
Imperium vindex Orientis tum afferet armis
  Cæſaris auſpiciis; ac male parta diu
Crudeli eripiet Solymorum regna tyranno,
  Qui premit infami libera colla jugo.
(Regna, ubi Vita mihi vitai limen inivit,
  Ac fudit moriens, ſanguine purpuream,
Mortua, ubi eſt tumulo, atque exangue illata cadaver,
  In vitamque redux emicuit tumulo:
Terra, ubi divinis fecit veſtigia plantis,
  Terra beata piis debita Chriſticolis.
Unde Euros ſcandens, in Cœli templa redivit,
  Quo Auræ demiſit numina Sancta Polo)
Impius at cadet: aut detruſus finibus hoſti,
  Projiciet trepidans regia ſceptra manu.
Qualis, cum prædæ raptorem inimica ſequuntur
  Tela, Lupus, nemorum qui fugit in latebras.
Cæſar at infeſto fugientem Marte ſequutus,
  Cervo venator ut canis hæret hians,
Urgebit: ferroque manus poſt terga revincti
  Curru, victor ovans, colla ſuperba trahet.
Dejectum ut vidit ſolio ſe Cæſar avito
  Fulmine, quo ruerat ira, furorque Jovis;
Hærens ipſe ſibi, mente imperterritus alta,
  Fatorum monuit ſpernere poſſe minas,

Nam

Nam ceu quæ cautes furioſo tunditur Euro,
  Mens immota manet, pondere tuta ſuo,
Nec mage terricrepo Jovis ipſa fragore fatiſcit,
  Pulſata ac Martis turris ahena feri.
Pacatoque animo, vultuque, invictus, eodem,
  Neſcius inſtabilis ſubdere colla Deæ;
(Heu quam Fors crebro dubios tranſmutat honores?
  Quam celeri verſat turbine cæca rotam?)
Talia conſtanti; placidoque eſt ore loquutus,
  Infractum adverſis quæ docuere Ducem
Hæc ſi fata Deum, atque hominum Rex Juppiter idem
  Sortitur nobis, evoluitque vices,
Si fluit hæc rerum ſeries, ſi vertitur ordo;
  Quis potis eſt hominum flectere fata Deum?
Flumina quis ſiſtat? quis vertat ſidera retro?
  Æternum aut faciat, florida vernet humus?
An quiſquam æthereo bellum veſanus Olympo
  Inferat, & Divum numina magna ciat?
Expers conſilii, magnis ut viribus audax,
  Concidit infœlix, mole ruitque ſua,
Cæuſque, Japetuſque ferus, ſævuſque Typhoëus,
  Pervaliduſque Mimas, Centimanuſque Gyges,
Rhætus, Porphirion, & Aloidæ, Enceladuſque,
  Non ignara cohors, viribus auſa nefas.
Quid tentatorem memorem Oriona Dianæ,
  Latonæ & Tityum, Piritoumve loquar?
Quo vos præterea, genitorque, & nate, ſuperbi,
  Ixion, Phlegia, commemorare juvet?
Hactenus has ſedes & Diis, & viribus æquis,
  Imperii faſces, regia tecta, Lares,
Omnia quæ veterum lauro ſunt parta parentum,
  Magnorum & factis conſtabilita Ducum,
Cuſtodiſſe ſatis fuerit, fas turribus hoſtem
  Expectaſſe diu, tela paraſſe neci.
Nunc vero monitos, nec Diis, nec viribus æquis,
  Linquere non pigeat juſſa, Deumque ſequi.
Me ſi fata Deum hæc voluiſſent regna tenere,
  Et fluere ingentem ſub mea jura Padum;

Jam

Jam terriſque potens, cœloque Gregorius idem,
  Sarctaque ſervaſſet, tectaque ſceptra mihi.
Interpres hominum, vivumque Gregorius, inquam,
  Orbis præſidium, Pontificumque decus.
Non veſtra horreſco, multo qui milite late
  Compleſtis regis littora curva Padi,
Ductores Caſtra armatis vallata maniplis;
  Nec quæ de caſtris excita turba fluat.
Non me ferro inſtructæ acies, non agmina terrent,
  Non equitum turmæ, non bene juncta phalanx.
Cœlicolæ terrent, terret, qui numine terras,
  Qui cœlum torquet, quique Acheronta premit.
Et ſimul Alphonſi indigitis me terret imago,
  Quæ monet in ſomnis cedere Sceptra Deis.
Quid? ni fata obſtent, atque hæc portenta reſiſtant,
  Et detur, hunc gladium ſtringere fulmineum?
Millia multa virum letho, ſtragemque rotato
  Enſe darem, tellus non bene ferret onus.
Qualis, ubi agricolæ flavis inducitur arvis,
  Falce recens meſſor, obvia quæque ſecans:
Molli aut qui prato pubentes demetit herbas,
  Integer æſtatis tempore fœniſeca.
Aut, ubi præcipitans de vallibus Apennini,
  Ætheriis auctus labitur amnis aquis.
Cum ſonitu ſecum piceas, quercuſque trahendo,
  Aggeribus ruptis, currit in arva furens.
Æmiliam, & latos videas pingueſcere campos
  Sanguine, & immani cæde madere ſolum.
Eridanum pariter multo ſpumare cruore,
  Voluere, & Adriaco corpora nigra mari.
Quin gemere interea ſub pondere, & amne repleto,
  Qua ſe ſe expediat, non reperire viam.
Non illis oculos premeret jam cura parentis,
  Ablueretve piæ vulnera ſæva manus.
Duceret, haud funus; defunctaque corpora vita
  Subjecto haud fleret igne cremanda pyræ.
Nec lapſos legeret cineres Chorineus, avito
  Nec tumulo, lacrimans, conderet oſſa parens.

Ab-

Abſenti, non rapto in pugna, aurove repenſo,
  Inferias nato mitteret illa ſuo.
Pars canibuſque, avibuſque feris jam præda jacerent,
  Pars ſævis eſſent præda relicta lupis,
Dente illi, & roſtro laniarent membra inhumata,
  Quæ fluerent atro ſanguinis imbre virum;
Fluctibus Eridani, & rapido pars vortice merſi,
  Piſcibus impaſtis eſca petita forent.
Vos, Ateſtini cineres, maneſque ſepulti,
  Teſtor, & Eridani numina, & Heliadum.
Vix erat intrepido Cæſar hæc pectore fatus,
  Cum ſubito, ut fama eſt, adfuit umbra loco.
Alphonſi auguſta umbra, & nota major imago,
  Qui Divum eſt nuper additus ad numerum.
Hæc cœpit viſu ſtupefacto demere curas
  His dictis animo, voce ſonante Deum.
Nate (etenim, quando proles, dum vita manebat,
  Nulla fuit nobis, ut volvere Dei,
Scis, ut te cunctis conſanguinitate propinquis
  Prætulerim; ut fueris maxima pars animi)
Ceſſas? & vano juvat indulgere furori?
  Te ne putas rebus addere poſſe moras?
Nonne vides, quibus imperium permanſerat, omnes
  Exceſſiſſe aditis, liminibuſque ſacris?
Cede Jovi, nate: &, quæ tecum ipſe ante putabas,
  Illius hæc fieri numine ne dubita.
Qualis Terrigena in lucta, dum tergore matrem
  Pulſat, ſuccumbens viribus Herculeis,
Fortior exurges cedens; quin cedere laurus.
  Dicet io miles voce triumphe canens.
Cuncta ſupercilio, qui volvit, ceſſeris ipſi,
  Hoſtis ſecurus, pectora degeneris.
Viceris at fortunam, & ineluctabile fatum:
  Fortia magnanimi robora utrumque domant.
Tu magis iſtorum ſpoliis laudaberis olim,
  Quam qui rapta manu magna trophæa ferent.
Latius & regnes, quam ſi Garamantas, & Indos,
  Victor debelles effera corda domans.

Et

Et quam qui claros duxere ex hoſte triumphos,
  De te clara magis fama loquetur anus.
Quod ſi forte minus tantarum gloria laudum
  Te movet, & regni dira cupido tenet;
Virginiæ at gemitus cognoſcat Cæſar amatæ,
  Nec ſurda multas reſpuat aure preces.
Quis potis eſt animus ah caram ferre maritam,
  Ante pedes humilem procubuiſſe viri?
Quæ genita eſt Medicum præclara a ſtirpe Deorum,
  Quæque Ateſtinos eſt genitura Deos?
Nonne vides, duplices ut tendat ad ſidera palmas,
  Et pacem poſcat, numina rite colens?
Audis orantem, ne dulcia pignora perdas,
  Per ſpes ſurgentum, vocibus, & lacrimis?
Per connubia ſancta, per optatos hymenæos
  Ne ſe ſe exanimes, funus & approperes?
Non igitur ſupplex te flectet regia conjux,
  Quo fletu manes flecteret, ac Superos?
Condideritque diu cœleſtia lumina nubes,
  Dura nec imbre dolor mollia corda dabit?
Iratum at crebro flexit Cytherea Gradivum,
  Et poſuit ferrum, voce rogante Deus.
Sæpe Jovem flexit precibus Saturnia Juno,
  Et poſuit fulmen, voce precante, Deus.
Numina ni colat, inſignis Pietatis imago,
  Nec timeat dextra fulmina miſſa Jovis,
Quæ fuit in rebus tibi conjux dia ſecundis
  Virginia; adverſis Hypſicratea foret.
Ergo rumpe moras: & te ſervare memento,
  Et dulces natos, participemque tori.
Mutabis ſedes: tituli, faceſque manebunt,
  Ex veterumque geres ordine nomen avum,
Cum claram antiqua obſidione acceſſeris urbem,
  Augeſcentque novis ſtemmata priſca Ducum.
Urbem, quo veterum eſt ſoboles deducta Quiritum,
  Cujus ſervat honor robora priſca recens.
Cura Deum, ſpeſque Ateſtinum maxima frater,
  Idemque Heſperii floſque, decuſque ſoli,

Cle-

Clemente, & cuncto jam conſpirante Senatu,
  Ambroſias Tyrio cinget honore comas.
At triplici quondam evinctus diademate frontem,
  Virtute, ac meritis tollet ad aſtra caput.
Unus tractabit, rerum moderator, habenas,
  Unuſque imperium finiet Oceano.
Hæc umbra: & ſubito lacrimantis, & multa volentis
  Reddere, per ſomno, vanuit ex oculis.

AD PHILIPPUM MASSINIUM
In obitum Pii Ghislerii.

Deſine jam tandem lacrimis urgere ſepulchrum,
  Maſſine, & caſum deſine flere Pii.
Sunt illic muti cineres, umbræque ſilentes:
  Nec vox, nec fletus exciet e tumulo.
Non illic miſeri luctus, mœſtæve querelæ,
  Nec valeant animi, triſtia verba, notæ.
Turpe quidem longo non indulgere dolori,
  Si dolor ex animi expueretur atrox,
Turpe fidem Divum non implorare, hominumque,
  Pectore ſi cedat tabida voce lues.
At ſi nec fletus, nec vox heu proficit ulla,
  Et cumulum miſeris addit utrumque mali,
Quid juvat, ah voci, & largo non parcere fletu,
  Et ſe ſe miris exanimare modis?
Quid juvat, ah charo placidam turbare quietem,
  Et querula manes lædere voce pios?
Qui lætas lætus voces audire ſolebat,
  Pierio cantu, quas bonus ante dabas;
Lugubres queſtus nunc audit ab æthere triſtis,
  Et querulæ accuſat carmina mœſta lyræ.
Nil opus eſt threno: procul abſit nænia tandem,
  Et valeant luctus, & valeant lacrimæ.
Num, cujus fractus ſi corruat arduus æther,
  Intrepidum feriet alta ruina caput,
Plus nimio doleat ſocium Maſſinus ademptum,
  Nec deſiderio fixerit ille modum?

Vel

Vel potius Cauris non det differre, Notiſque
  Muſis dilectus per mare triſtitiam?
Vivida cui virtus, muliebrem pellere luctum
  Addecet, atque animo triſtia ferre viri.
Rebus in adverſis animus ſe ſe erigit altus,
  Nec frangit ſævus fortia corda dolor.
Turbida conſilium poſcunt. Mens provida rerum,
  Ærumnis præſens eſt medicina malis.
Quin potius plectro, & querula teſtudine fretus,
  Quam cum voce tibi doctus Apollo dedit,
Deſcendis flammis rapidas Phlegetontis ad undas,
  Tartareaſque domos, triſtia regna petis?
Scilicet ut ſocium Elyſia de valle reducas
  Carmine Arionio, Pindaricove Pium?
Eurydicen qualis ſuperas revocavit ad auras
  Orpheus uxorem (tu ſine lege) pater?
Quippe Charon longo auditos poſt tempore cantus,
  Pulſantemque ſtupens pectine fila lyræ,
Advortet ripæ proram, dulcedine captus,
  Cærulea accipiens corpora viva rate.
Trans Styga & incolumem exponet, nullo ære petito,
  Exigat ille avidus portitor æra licet.
Cerberus & ſævus, cuſtos, ac janitor Orci,
  Quamvis oblatret tergemino ore canis,
Æternumque Erebi pallentes terreat umbras,
  Vipereis quatiens terga retecta jubis,
Ac ſaniem eructet, deductis faucibus, atram,
  Attollatque iras, effera colla tumens;
Permulſus tamen adverſo recubabit in antro,
  Latratuſque premens, ora tenebit hians.
Qualis, quæ geminos admovit Marte creatos
  Diſtentis mammis, procubuitque, Lupa.
Mox ululans blandum caudam, cluneſque movebit,
  Irarum oblitus, immemor ipſe ſui.
Immanem ut perhibent, formoſa virgine captum,
  Exuere ingenium Monocerota ferum.
Denique decedet venienti: nec redeunti
  Non triplici notos linxerit ore pedes.

Inte-

Interea Elyſias ubi fama repleverit oras,
Ante diem infernos te petiiſſe lacus;
Protinus ex vatum numero, cœtuque piorum,
Qui fortunati, læta vireta colunt,
Occurret procul affini Caporalius, unus
Ante omnes lætus, attonituſque ſimul.
Addent ſe comites Coppetta, & Taſſus amico,
Et, cujus Clario carmina digna Deo,
Eloquio crevere tuo; madefacta Minervæ
Artibus, & rebus carmina Socraticis,
Hic Vidiccionus fuerit, qui dicere grates
Diſcupiet meritas, atque referre bonus.
Advenient lauro vincti Parnaſſide crinem,
Inſigneſque humerum, qua fide quiſque canunt.
Atque ubi cognorint adeundi Tartara cauſſas;
Mirati magno pectus amore pium
Veniſſe ad manes imos, barathrumque profundum,
Quæ non ſunt vivis pervia regna, viam;
Sauciaque indigno miſerati corda dolore,
Quæ ſonus, & triſtis frontis imago notat;
Illic te adducent, ubi ſeptus triſtibus armis,
Sublimis ſolio, ſceptra ſuperba tenens,
Rex Erebi, umbrarumque potens, dat jura vocatis,
Impius & diſcit impia vota Deus.
Hic illum alternis dicetis quiſque canorus,
Aptantes blandæ carmina blanda Chely.
At ſimul incipiet Taſſus magno ore ſonare,
Multifori cantu pectora dira movens,
(Taſſus, cui ducto quondam, cum vita maneret,
Aonas in montes, Calliopæa, tibi,
Ipſe pater Phœbus, Phœbumque ſecuta ſororum
Aſſurrexerunt cætera turba viro)
Tum vero videas arrectis auribus Orcum
Aſtare, & ſtupidum voce favere truci.
Quin & latratorem aures demittere longas
Cyeni lenitum vocibus aſpicias.
Cæruleos cernas implexas crinibus angues
Nectareo cantu fallier Eumenidas.

Carminibus ſtabit pernix Ixionis orbis,
  Nec Tityi paſcet viſcera vulturius.
Contemnet ſitiens fugientes Tantalus undas,
  Nulla relabentur, Siſyphe, ſaxa tibi.
Inde puellarum, exhauſtus queis effugit humor,
  Dolia ceſſabunt, lympha nec atra fluet.
Adde quod & tacitis requieſcent fluctibus amnes,
  Et tacitis fient murmura ſurda vadis.
(Tales, quum pugnas ſonat, infandumque Tyrannum,
  Exactum Solymis carmine Mœonio,
Pindarico aut plectro laudes & facta Deorum
  Æternans Medicum dicit in Elyſio,
Magnanimum heroum mirantur farier umbræ,
  Et ſtupet auſcultans æmula turba, frequens,
Invidia tantum Codrus dirumpitur atra,
  Cautibus exoptans ſurdior eſſe maris)
Nam canet imperium Ditis, faceſque ſuperbos,
  Aulamque immanem, regificamque domum.
Purpurei ut veniant Reges ſub jura Tyranni,
  Addicti nexus, mancipioque ſimul.
Juſtitiam dicet, & te, Rhadamante, miniſtrum,
  Et ſcelerum ultrices, numina ſæva, Deas.
Quam pateat late regnum; Cocytus ut ingens,
  Utque Acheron, ut Styx, ut Chaos, ut Phlegeton.
Unde homini argenti venæ, rivique perennes,
  Unde auri, unde æris copia tanta fluat.
Quid rutilas Tagus, Eridanus, Pactolus arenas,
  Atque Hermus volvat in mare dives aquas.
Quid, cum ſit vaſti Neptuni corpus amarum.
  Dulcia pocla ſuo flumina dent capite.
Tum referet graviore ſono, cuncta unde creentur,
  Diſſidioque eadem denique quo redeant.
Hinc dulci recinet ſociam, ſponſamque triformem,
  Utque beet, gremio dum fovet, illa virum.
Tandem exorabit non exorabile numen,
  Perfringens leges carmine Tartareas.
Victus quippe Deus dulci vociſque, lyræque
  Concentu, votis annuet ille tuis.

Ne dubita: nam vera cano, quæ Phœbus Apollo,
Præmonuit templis in mea vota ſacris.
Atque ubi præmonuit, non facto hic fine quievit:
Verum hæc divino ſubdidit ore Deus,
Quid mirum valeat tantum ſi carmine Taſſus,
Ut moveat Manes, utque Acheronta, bonus?
Ille poteſt ſuperum cantu, fidibuſque ſonoris
Flectere, quum libuit, numina magna Deum.
Ille poteſt cythara Æoliis commota procellis,
Sedare Ægei murmura ſæva maris.
Ille poteſt lenire tigres, mulcere leænas,
Ornoſque ex altis ducere voce jugis.
Ille poteſt, miſcent adverſi ubi flamina venti,
Efficere, ut teneant aure, bibantque melos.
Ille poteſt celſis labentes montibus amnes
Siſtere, & undiſonæ tollere murmur aquæ,
Ille poteſt animas, celeri quæ ſidera motu
Æternum torquent, detinuiſſe mora,
Ille poteſt aquilæ perfundere lumina ſomno,
Ne qua avis irato præbeat arma Jovi.
Quin potis eſt Jovis æternam reſtinguere flammam,
Dum perterricrepi fulminis ira cadit.
Eſt Muſæa mele Taſſi, ſunt dædala chordis
Carmina: is eſt noſtri gloria ſumma chori.

AD PHILIBERTUM BELCREDIUM.
In obitum Petri Pauli Belcredii.

Quo tibi natura pauci, quo nullus amore
In terris fuerat junctior, atque animo,
Ante diem Lacheſis extinxit funere acerbo,
Obruit ac Stygiis hunc, Philiberte, vadis.
Heu, cecidit Paullus primo ſub flore juventæ,
Cum luſtra, ah, nondum clauderet ille tria.
Qualis ſuave nitens, cum cœpit hiare tenellus
Vere novo propter flos hyacinthus aquas,
Vomere ſi mollem durus ſuccidit arator,
Collapſus languet, immerituſque ſolo:

Pæſtana aut qualis, cum floret Sole tepenti,
  Dulce rubens ſpinis, ſanguine miſta, roſa,
Sævus ſi incubuit, non parcens flatibus, Auſter,
  Quaſſa cadit, moriens; cui decus omne perit.
Heu, quiſnam pudor, heu, quiſnam decor ore nitebat?
  Virgineuſque pudor, virgineuſque decor.
Pinxerat, heu, pueri faciem Cytherea colore,
  Lilia quo vernant miſta papaveribus.
Quin erat, heu, qualis, cum ſurgit Veſper Olympo,
  Exerit aut Idæ Lucifer ora jugis.
At quemnam mores animum, quam lumina mentem,
  Quamnam ſignabant ſeria dicta fidem?
Quis non in puero miretur, ametque ſenectam,
  Acri ubi conſilio cana juventa docet?
Spem promittebat Virtutis mira cupido,
  Et laudis thyrſo corda ciebat amor.
Quo magis & miſeræ matri, mœſtæque ſorori,
  Nec non & fratri flebilis ille perit.
At, quamquam nulli, primis ſpectatus ab annis,
  Quàm tibi, flebilior, floſculus ille cadit,
Fortia qui tamen adverſis opponere rebus
  Ante alios noſti pectora, magnanimus;
(Non ſecus ac lætam, ſtimulat quæ corda virorum,
  Fortunam, ſapiens, & bene ferre potis)
Æquali conſtans facie, vultuque tuliſti
  Funera acerba tui mente, animoque Deus.
Quis non te placido, præſentique ore loquentem
  Miratus ſtupeat, diaque verba notet?
Namque ego metitus noſtro ex mærore dolorem,
  Quo tua credebam ſaucia corda gravi;
Dum ſpero falsa deluſus imagine mentem,
  Triſtitiam dictis demere poſſe meis;
Alloquio ſenſi miſeri ſolatia caſus,
  Quæ tua mœrenti lingua diſerta tulit,
Tu vero mihi jam notum teſtaris amorem,
  Quem tibi jam notus conciliavit amor.
Qua potes in primis agnoſco, Philippe, loquelam
  Pectora præſentem ſolvere triſtitia.

Ser-

Sermonis vires, quis largum vincis Ulyſſem,
Alloquio dulci ſentio flexanimi
At nihil eſt opus hæc noſtro medicina dolori,
Quos animo caſum ſic reputare juvat.
Hoc ille Ægeo, fingit qui nomina vitæ,
Et vitæ a ficto nomine nomen habet
(Naviſrago Ægeo, cujus ſub fluctibus altis,
Quam multa, heu, miſerum corpora merſa jacent?)
Dum vehitur puppi; Neptuno vela ſecundis
Implevit ventis ſuſtinuitque manu.
Sic ratis Ægeos effugit tuta tumultus
Evaſitque trucis murmura cæca maris.
Non ubi Hyperboreis Aquilo deſcendit ab oris,
Incubuitque ſalo, Marte cietque Notum.
Horruit: armati non vidit Orionis enſem,
Non triſtes Hydas, Oleniumve pecus.
Non ſævum Arcturum, non ſævos palluit Hædos,
Sive polo hi ſurgant, ſeu ruat ille mari.
Non te non metuit, qui fundis Aquarius urnam,
Heſperii nec te, ſæve tyranne, freti.
Quid nunc Tyndaridis memorem, quæ triſte minantur,
Neptuno irato, ſigna timenda rati?
Non eſt in Syrtes Euro devecta furenti,
Non urſa in Maleæ, ſaxa, nec Ambraciæ.
Quid quod latrantem Scyllam non horruit, & quæ
Trinacrium abſorbet, ac vomit ore fretum.
Quid quod Cyclopum ſcopulos, immania regna,
Et quæ turba colunt, littora non tetigit?
Felix, Circæis quam turbo haud appulit oris,
Hauſta ubi pocla ſolent vertere in ora ſuum
Felix o felix, quam non Acheloia proles
Decepit cantu, detinuitve lyra.
Hæc ne monſtra puer pateretur triſtia Paullus,
Aut ponti vaſtis obrueretur aquis,
Qui mare, qui terras, qui cœlum numine complet,
Tempora qui novit, rexque, paterque Deus,
Incolumem, optata terra, portuque potitum,
Ad patrios voluit nunc revolare Lares.

Nullaque, quæ retinet mediis Echeneis in undis,
 Eſt remorata ratem, Patre vetante Deo.
Non Clotho, aut Lacheſis veluti cecinere poëtæ,
 Quæ duxere, eadem fila, Philippe, ſecant;
Sed qui perpetua natos ratione gubernat,
 Conſilio revocat, rexque, paterque Deus.
Huic uni vitæ, lethi huic eſt ſumma poteſtas,
 Hic idem imperiis æquus utrumque regit.
Aſt o felices, o terque, quaterque beati,
 Qui, quam commereant, appetiere prius.
Ergo jam reduci Paullo gratemur ovantes,
 Atque o ſit reducem maxima cura ſequi.
Jam videor magnis præreptum audire periclis,
 Dicentem placido talia verba ſono:
Ecce coronata in tuto jam littore pinus:
 Dicite io pæan; ancora jacta mihi eſt.
Hæc Philiberte, refers, quæ robur pectora circum,
 Corda ex æternis ignibus hauſta docent.

In obitum ANGELICÆ MALASPINÆ JULII MEDICES *Conjugis.*

Ad eundem JULIUM.

Mors cum jam traheret per loca funere
 Immiti Angelicam ferrea nobilem:
 Mœſta, & luminibus prodiit humida,
 Obnupta & caput, oraque
Alphea armipotens ſindone lugubri:
 Complevitque ululans pervia queſtibus
 Late femineis compita mutuas
 Cædens impatiens manus.
Heu, quo, Mors, cumulas, improba, funere
 Fliſcæ Virginiæ triſtia funera,
 Natique immerito cuſpide perditi,
 Quo Thraces melius cadant?
Quis ſedet rabiem nunc pudor, aut modus,
 Quæ mentem ſubiit, cordaque frigida,

Ob-

Obducta, heu, refrices ne mihi vulnera,
Et ſiccæ lacrîmas cias?
Quis den or tenebris, ſidere fulgido
Jam nunc occiduo tergemino? dies
Ivit quo nitidus, lætus & inſuper,
Fulſit dum mihi candidum?
Quis placet tumidos, cum furit Africus,
Fluctus, Arne, tuos, claret & æſtibus
Flavos, ut refluas in mare cærulus,
Lambens agmine gramina?
Cui, Saturnigenæ præſidio ferox
Pubes, cæſariem caſſide munias?
Thoracas, clypeos, pectora, bracchia,
Heu, nequicquam alacris paras.
Vos mecum lacrimas ſpargite nunc quoque
Tu dives, chalybem, quæ fodis, inſula,
Cui ſpes, cui columen, gloriaque occidit
(Ah quæ dira perhorruit
Nereus fata viris mota nefariis)
Tuque oræ indomitæ, Vare, Lyguſticæ,
Et cum Nereidum fletibus uvidas,
Heu, confundite in æquora,
Nobis perſimilis jungitur algidus,
Imbres qui gemitus fundit ab urceo
Macra, & qui fremitus littora perſonat,
Crudo vulnere ſaucius.
Huic flos puniceus languit, unguibus
Succiſus moriens, invida Mors, tuis:
Quem Sol non potuit fervidus urere in
Spina, non Boreas rigens.
Auſter nec Lybicus diruit imbrifer,
Seu natum proprio confovet in ſolo,
Sive hortis auricomis educat inſitum
Tellus Dædala Medicum.
Hic flos Idaliis gratior omnibus,
Fragrans perpetuum ſparſerat æthera,
Terraſque Ambroſiis undique odoribus
Spinarum decus, atque honos.

Sed non mortiferis unguibus aruit:
  Quin idem Elyſia ſentibus aſperis
  Avulſus, tribuliſque acribus in ſolo
  Flamma plus vagus emicat.
Flos hic Angelica, heu, heu, fuit, ingeni,
  Quo non candidius, nec metuentius
  Ullum terra tulit Numinis Itala,
  Vitæ, ut nominis, integra.
Mente hæc, quam generis ſanguine, celſior,
  Dum ſedem cupiens ſpectat Olympicam,
  Atto ſit levior ſe ſine pondere,
  Tranans lucida ſidera.
Qualis, cum lapſa per aëra vacuum,
  Ales grata Jovi fulmine miſſili,
  Sublimes repetit præpete vertices
  Penna, nubila diſſecans.
Illic perpetuo, cœlicolum ſacris
  Adſcripta ordinibus, Nectaris ebibet
  Auguſta ætherei gemmea pocula,
  Accumbens epulis Deum.
Nobis hic miſeris occidit omnibus,
  Virtute egregia flebilis omnibus,
  Sed cui flebilior, quam tibi Medices
  Juli connubio pari?
Felix, dum tenuit copula conjuges
  Irrupta unanimes ingenua fide:
  At quos hæc ſtabili fœdere junxerat.
  Suprema, heu, ſolvit dies.
Verum ne doleas plus nimio, memor
  Crudelis Lacheſis, tu, cui apicem rapax
  Fortuna, heu, puero ſuſtulit Imperi
  Olim, cedere neſcio.

ALEXANDRI ALLEGRII

FLORENTINI.

DE ACTIACA VICTORIA.

HEctora dum recolit mœrens, illique parentat
Urbs Rhetico poſtrema jugo, & pia funera ſolvit.
Quippe memor magni quo ſe complexus amoris
Præſidii hic vigilem curam ſanctiſſime geſſit;
Extructi in medio tumuli, mirabile dictu,
Heſperiæ ſimulacrum ingens; cui pectora crines
Obſtruerent, & tetra femur cupreſſus obiret;
Aſtitit: & triſtem macie, lacrimiſque madentem
Attollens vultum, ſic inter ſacra locutum eſt.
Heu numquam celebrande ſatis toto orbe levamen,
Nate, meum ſpolia hæc aris circundata, ſunt ne
Inclita, quæ caræ ſpondebat dextera matri?
Quæ cum gramineis deberem cernere ſertis
Ornatum, & reduci generoſæ figere fronti
Oſcula; terribili deplorem morte peremptum
Te, ſocioſque tuos, & clara ex ſtirpe nepotem.
Et mente intuear crudelia vulnera, & artus
Mancipii quos ſtrage fera laniarit avari
Abjurata fides in libera colla furentis.
Ah dirum facinus: fers ne execrabile monſtrum
Hoc tellus? Nec ſciſſa cavo jam perdis hiatu?
Haud ſimile exitium tua te mi nate manebat
In divos pietas; nimium ſed cognita virtus
Hoſti viſa potens. Docuit Salamina Tyrannum,
Te vivo pendere ſuis cervicibus enſem,

San-

Sanguine qui Thracium diſtrictus tingeret æquor,
Victricibuſque viam ſignis patefaceret ardens:
Dum peteret latebras Regno ſpoliatus Eoo
Tergeminum temnens numen bellator iniquus.
Sed poſtquam hinc viſum eſt ſuperis te poſcere, & inter
Indigetes ſacro conſperſum membra cruore
Siſtere, & æternum ſidus componere cœlo;
Ne ceſſes precibus divinam flectere mentem:
Quo videam invictis percuſſi fœderis armis
Selimi everſum Imperium: belvamque cruentam
Infandi dantem ſceleris per compita pœnas.
Hæc dixit ſubitoque leves receſſit in auras,
Atque abiens templum divino implevit odore.

AD P. MAURUM TEXTOREM

De eadem Victoria.

Ut Pelago incubuere Rates: jam jamque propinquæ
Hoſtiles puppes propius cernuntur ab hoſte.
I licet exurgit ſpes de Victoria utrinque
It clamor cœlo: atque inſtructo Marte Phalanges,
Haud mora, cunctæ ad tela ruunt, Vulcaniaque aptant.
Hortatique Duces ſocios navale corona.
Hinc inde adverſi validum labuntur in hoſtem
Procurſu rapido, ut ſolet ad prædam Leo ferri.
Eminus exploſa ignivomentia ut æra dedere
Principio tonitrus, ac crebris ictibus ignes.
Jam mare, jam Cœli horrendum nunc intonat Axis:
Jam gemitum tellus dat littora ſingula circum.
Interea claſſis pia Chriſtigenum ocius ecce
Perque hoſtes, igneſque ruens, celereſque ſagittas
Turbinis ac fumi nebulas, media agmina vaſtat.
Dumque inſtans hoſtis vires, ac vulnera miſcet,
Hunc ſuperans tanta proſternit imagine mortis
Virtute ac ferro, rubeant ut cærula cæde
Ingenti, vix tot capere utque cadavera poſſint.
Actiaca Auguſtum huc fecit Victoria clarum

Totius ac mundi Imperio meritò inde potiri.
Actiaca huc rurſus facit en Victoria claros
Chriſticolas: Trino ut, ſummoque Deo duce, & uno
Totius hinc mundi invadant mox, Maure, Tyranni
Regna pii Reges: pietas niſi, juſque peribit.
Actiacos ludos inſtaurent ergo Quirites.
Auſpiciis Magni Diademate tempora Patris
Tergemino ornati. Hos Veneti, ac Rex magnus Iberus
Atque pius populus, magno qui ſparſus in orbe eſt,
Sectentur, majora experti gaudia numquam.

De Victoria ob illatam Cladem Turcarum Claſſi.
Ad P. Egidium Antiſtitem Carcerum.

Sæpe fuit victor; multos perſæpe triumphos
  Turcarum Princeps egerat eximios.
Cum procul auxiliis haud rem decernere ferro,
  Nec virtute ſua Chriſticolis licuit.
Aſt ubi non tandem conjunctis viribus una
  Conſultum Reges his voluere malis,
Auxiliis propè necnon rem decernere ferro,
  Ac virtute ſua Chriſticolis licuit,
Unica nunc Hoſti clades [mirabile dictu]
  Vix illata, Pater, protinus ecce facit.
Quòd numquam fuerit victor, nulloſque triumphos
  Turcarum Princeps egerit eximios.
O pietas noſtros miſerantis ubique labores
  Munus ideſt Chriſti, quem rogat alma fides.

De eadem Victoria.

Solve ſolennes pia gens ad aras
  Jam Deo grates, meritoſque honores,
  Voveras & quæ pia vota triſtis
      Cum prece multa.
Cum Cyprum invaſit metuendus hoſtis
  Thracio portu religando claſſem;
  Proh nefas, icta ac temeravit alma
      Fœdera pacis.

Lillis

Liliis ædes, violiſque odoris
  Jam ſacras vela, ſimul atque feſta
  Fronde; jam paſſim chorus omnis almos
    Concitat hymnos.
Haſque labentes repara, foveque
  Jura, ut his ſalvis valeant miniſtri
  Principum, ac plebis ſcelera expiare
    Sacra litantes.
Fauſta nam lux Chriſticolis refulget,
  Qua procul fit triſtitiæ tenebra:
  Victor exultat Veneta ora, & omnis
    Cœlitus Orbis.
Quòd Crucis fulget rutilus triumphus
  Exteras inter, temereque gentes
  Orbis & Cœli Domini negantes
    Numina Chriſti.
Boſphoro ſtratum veniens in æquor,
  Adriæ cui ſe ſinus iſte miſcet,
  Viribus magnus, validaque claſſe
    Barbarus hoſtis.
Terruit Chriſti populum fidelem,
  Ne gravi clade Idalia potitus.
  Cuncta vaſtaret populando deinceps
    Littora, & urbes.
Aſt ubi flammis rigidoque ferro
  Sæpe bacchatus furit hac, & illas
  Sævus, atque auſu propius nefando
    Omnia turbat.
En pii Reges coëunt in unum,
  Clari & Heroes: cita queis utrinque
  Mittitur claſſis numeroſa, quæ dat
    Carbaſa ventis.
Quam Noti nulli, aut Aquilo, vel Eurus
  Nec ab Occaſu, quoque nec Eoo,
  Nulla nec cautes pelagi morantur,
    Nulla Charibdis.
Ac velut ſaxum ruit imbre vulſum
  Vertice e montis, rapit atque præceps

Quid-

Quidquid involuit nemorum, virorum
Atque labores.
Sic ſecat fluctus Zephyris ſecundis:
Undique explorat, Dei & acta ductu
Prorſus adverſa, ac metuenda diro
Conſtitit hoſti.
Huncque (ut extinxit penitus piratas
Inclitus Pompeus acie ſuperbos,
Cæſar aut Gallis Vaneti carinas,
Contudit olim.)
Marte profligat pænitus cruento.
Plurimiſque actis Stygias ad undas
En agit victrix ſpoliis, viriſque
Ecce triumphum.
Ante vix qualem haud inimicus unquam
Geſſerit, nos cum Deus irritatus
Tradidit pœnæ ſcelere, ac tremendo
Numine læſus.
Paſtor exultat gregis ecce Chriſti
Maximus. Magnus quoque Rex Iberus.
Clari & Heroes generoſa onuſti
Undique præda.
Hinc Crucis ſigno faciem notatæ
Jubilum plebis, juvenum, ſenumque
Explicet quis nam? Puerique ſine
Ut ſine plaudunt?
Trinitas ſumma, o Deus unus, iſta
Omine æterno ſtabili, precamur,
Impia ex nunc ſuppoſiti ac Tyranni
Deſtrue Regna.

ANT. FELICIS ANDREOLII

In Leonem vermiculati operis Iguvii in Gabrieliorum Suburbano repertum, cum nuper inter Venetos & Turcas bellum ſuſcitatum eſt.

QUa ſe ſe Iguvii moles operoſa theatri
  Explicat, & Triviæ nunc jacet ora Deæ:
Haud pridem eruitur cruſtis varioque lapillo
  Compoſitus, Pardum qui premit ungue, Leo.
Conſultuſque velit quidnam portendere monſtrum,
  Talia veridico rettulit ore Deus.
Non certè hinc multi menſes volventur, acerbè
  Quum Venetus Scythio cum Cane bella geret;
Nam Leo, qui propria tumidus feritate ſuperbit,
  Eſt Venetus, fulvi ſigna Leonis habens,
At fera, diverſis maculis cui terga notantur,
  Turca eſt, qui nullam novit habere fidem.
Cernimus & veluti hîc Pardum ceſſiſſe Leoni,
  Sub Venetis tandem ſic quoque Turca cadet.
Tu, qui cuncta tuo moderaris numine, firma
  Tam fauſtum, quæſo, Juppiter augurium.

JACOBI ANGELII

FLORENTINI.

NICOLAO URSINO
Equiti Hieroſolymitano Priori Venetiarum, &
Locumtenenti Magiſterii.

DUlce bonum argentum, ſed nil pretioſius auro,
Quod ſuperi, maneſque colunt, quod nulla poteſtas,
Nulli ignes, nullumque valet conſumere ferrum,
Nullum etiam quod cuncta domat mortalia tempus.
Dulce ibidem parere viris, ſed dulcius alma
Juſſa Heroum Procerumque ſequi. Tua longius ergo
Dicta ſedent infixa animis, pater optime, noſtris
Præter enim humanos cum fas tibi cernere ſenſus,
Eventum rerum, & fines preteries latentes
Cum tibi mens data ſit colere immortalia Templa
Non tantum Patriæ; ſed vota & dona Britannis,
Germaniſque aris, & utrique exſolvere Phœbo,
Hincque tuliſſe ſimul, miſiſſeque nuntia fata;
Cetera quis dubitet Heroum appellare ſacrorum.
Juſſa igitur facio tua me reverentia plectrum
Carminibus mandare jubet, ſuadentque viciſſim
Templa Hieroſolymæ quibus optima vota ſecundant
Temoni nunc eſſe tuo certeque ſaluti
Commendata ſuæ turgentia carbaſa claſſis.
Præterea domus alta Patrum, domus una tuorum
Italiæ decus eximium, quam magnus Apollo
Sidere ab Arctoo terris mandavit habendam;
Eſt ſervare Urſæ de ſtirpe exemplar, & ipſum
Nomen, & occaſum per ſæcula nulla timere.

Ha-

Hactenus illa igitur peperit pia Sidera mundo
Letei ſic fata jubent ſecura profundi:
Pontificem excelſum triplicis cui Mitra Coronæ
In Vaticana Sanctum caput induit ara,
Eccleſiæ magnum ſacrum & venerabile numen.
Hæc quoque non unos, non una e matre, nec uno
Tempora progenuit clariſſima lumina natos
Inſignes rubro divina in ſorte Galero,
Inſignes ſecta per templa canora Tiara.
Adde Duces Calabros, regnata & ſceptra Parenti,
Adde & Picentes, Pelignoſque, adde beatos
Et Comites Marſos, centum & dominantia ſigna
Per Latium & campos Urſinæ Gentis Etruſcos.
Non mihi germanum ſublimia facta decuſque
Occuluere tuum, pater o pater optime quæ nam
Terra ſuas neſcit dona immortalia laudes?
Eſt aliquid de more patrum caſta arma tenere
Romulidum, atque alios inter ſe dicier unum
Ductorem in primis quem nominet Itala tellus.
Eſt quicquam & patriæ potuiſſe arcere labores,
Et voluiſſe ſimul; bacchantem & bella cientem
Non ſemel hic Romam tranquilla in pace locavit,
Paſtoremque ſacrum ſtatuit ſua jura tenere.
Ergo juſſa negem! quin & modo tanta nepotis
Collucet pietas magnorum e ſanguine fratrum,
Ut niſi fata obſtent mox ſit paritura ſecundum
Sidus in Eccleſiæ ſolio quod fulgeat alto.
Hæc tamen o ſit ſera dies, voſque ultima Diræ
Fila ſacri capitis Titoni extendite in annos,
Quandoquidem, ut caſti cecinere per abdita vates
Antra futurorum, Saturnia ſæcula regnant,
In fatis numquam longa expectatio ſera eſt.
Canto igitur ſed corde timens, dubiuſque, tremenſque
Ne velut Endimion ſpem fruſtra & vulnera paſcas,
Quæ ſub Hyperboreo latet eſt ea fabula Cœlo.
Formoſum quondam exarſit Latonia Phœbe
Endymiona ſacro male ſaucia vulneris arcu,
Dumque feras ſequitur venatrix Diva capillos
Spar-

Sparſa auris ſuccincta ſinus exuta lacertos,
Nuda pedes niveos, genibus tenus aſpera virgo
Ignara heu ſævis ferit Endymiona ſagittis,
Eſſe feram hunc meditans, ſtreperetque in ceſpite ſilvæ,
Nam ſtrepitum Endymion dederat tum in ceſpite denſo
Venantem inviſus cupiens comprendere Divam.
Ut tamen humani luctus, voxque ipſa querelis
Innotuit, quos Diva Deos quæ ſidera Cœlo,
Non incuſavit lacrimans, maneſque, Herebumque
Ipſa ſibi implorans, fractæ crepuere ſagittæ,
Fractæ humeris faretræ, fractuſque immitior arcus.
Per niveos hinc ſciſſa ſinus, terque ora, genaſque
Dilaniata ſacras, caput atra in nubila fixit,
Dedignata iterum per inania voluere bigas.
Saucius ipſe tamen furit acri in vulnere frendens
Endymion, poſcitque viam qua ſoſpes in annos
Tutus eat, ſeramque detur finire ſenectam.
Sed poſtquam infixos potuit via nulla dolores
Lenire, heu numquam Divum eſt curabile vulnus,
Seu vatum ambigui ſenſus, ſeu cæca futuri
Corda hominum dubiam traxere per ocia mentem,
Credulus Endymion ſibi falsa inſomnia finxit,
In Phætontiadum lacrimis reperire ſalutem,
Haſque ſenem Eridanum, ſic enim ceciniſſe Poëtas
Audierat, ſervare ſuæ ſub margine ripæ
Stillantes, ramoſque inter, frondeſque, cutemque
Populeam, niveoſque ſimul ſe his paſcere agnos.
Solvit hyperboreos igitur de littore remos
Saucius Endymion, quæ nam eſt via longa ſaluti?
Quis labor ingratus? ſunt æquora dulcia: Cœlum
Tum micat, & venti tunc implent vela ſecundi,
Jam Pontum evadit, luctantem & Boſphoron, unde
Helleſpontiacum ſuperat mare, moxque per altas
Cycladas it medius, Pirea hinc præterit, hincque
Circuito in magno Corcyram attingit, & undas
Hinc tenet Illirici, tandemque per oſtia magni
Eridani ingreditur, Numenque, undaſque ſalutat.
Rex pater Eridane, fluviorum o maxime, ſalve,

Cui Veſulus tenues alpinus ſuggerit ortus,
Quive brevi ſpacio tam latas creſcis in undas,
Ut ſeptena tuos capiant vix oſtia curſus;
Gratus ades gratuſque meis nunc annue votis.
Tu ne olim in ſacra meruiſti fluminis ora
Phætontis ſepelire pii miſerabile corpus,
Progeniem æterni, venerandaque pignora ſolis?
Tu ne ſacras Phaëtontis habes in rupe ſorores
Stipite populeo clauſas? da cernere cygnos,
Da quibus impoſitis relevem mea vulnera guttas.
Stabit hyperboreis pario de marmore Templum.
Dixit, & adverſum celeri rate proſilit amnem,
Auribus arreptis agnorum ad carmina, noſcat
Unde ſacras lacrimas tellure inſtare propinquas
Eſcam aurium, celereſque oculos, hincque inde ſagittat
Populeam ad frondem, ſed luſus inane laborat,
Fruſtra undas, fruſtra ripas reſilitque, ſalitque,
Electrum, & cygni tota in regione carebant.
Hæc ego, magne Pater, qui mitia vulnera mecum,
Mitis amoris alis, noſtra in præcordia ſerpunt,
Ne fruſtra Electrum, cygnoſque petiveris albos,
Carmina noſtra petens, noſtrove e pectore cantus.
Spem ipſe etenim, fateor, per culmina mille laborum,
Per maris horrendos, centumque pericula caſus
Parnaſi Delphique aras tetigiſſe beatas.
Sic mea fata dabant, ſed dum ſitientia labra
Pieridum rupi admoveo, vox perculit aures;
Sera tibi, o nate, venit hæc male nota cupido,
Si quid in Aonio reſtabat fonte liquoris
Id Dea Calliope Latii portavit ad oras,
Hinque viros potat, quem mœnia grata Fiani,
Quemve in ſidereas peperit vincentia laudes,
Hi Pater, hi vates, divina in carmina poſſunt.

* * *
* *

A R.

ARDIZUS

CARRARIENSIS.

AD CANDIDAM.

ITalides inter tu formoſiſſima nymphas
  Candida, vel Phœbo es, vel Jove digna magis.
Tu ſuperas Helenem ſpecie, tu vincis Eliſam,
  Vincis & Hermionem, vincis & Iſiphilem.
Tu Dianam oculis æquas, atque ore Dionem,
  Delitiis Charites, blanditiiſque refers.
Tu digno inceſſu Juno regina videris,
  Sunt tibi quas deceat Pallada habere manus.
Tu ſimiles Tethidi plantas, tu denique quidquid
  Divæ eſt in toto corpore laudis habes.
O Dea vera Jovis certe es de ſanguine nata,
  O Dea mortalem reſpice, vera Dea es.
Reſpice mortales etiam placuere Deabus.
  Thitonus roſeam torſit amore Deam.
Endimedon Phœben ſtrinxit, Venus arſit Adoni,
  Præterea Anchiſam fertur amaſſe Phrigem.
Uror, & ardentes carpit mihi flamma medullas;
  Uror; io placidam fer Dea mitis opem.

Se a Candida negligi conqueritur.

Credis an ulla magis ſors dura aut anxia cura eſt
  Quam quæ ſolliciti pectus amantis agit?
Ulla ne quam pueri teli arcitenentis acuta,
  Ulla ne ſint credis vulnera acerba magis?
Tecum, quando pari torquemur læſus uterque
  Igne, juvat paribus farier officiis.

Inter ſe coëunt nautæ, ventoſque queruntur
Secura infeſto vela negare mari.
Agricolæ pluvias, aut æſtus ſolis iniquos
Incuſant, & diis vota preceſque ferunt;
Non quoque opus ſævi læſere Cupidinis arcus,
Dicimus immitem, conquerimurque Deum.
Heu miſerum quot dura pii patiuntur amantes,
Quantus in inſano regnat amore dolor!
Quanta eſt crudelitas tenero ſub amore, quot ignes
Quam multi gemitus, quantaque cura latet!
Sive domi, vel miliciæ ſim, Candida noſtrum
Incenſum flammis cor premit aſſiduis.
Sive juvat denſos canibus circundare colles,
Perque nemus pavidas exagitare feras.
Ipſa mihi ante oculos qua non electior ulla eſt
Aſtat, & hæc animi jus habet una mei.
Sive libet placidæ componere membra quieti,
Inrepit ſomnis ejus imago meis.
Denique quidquid ago, quidquid meditorque, loquorque,
Illa mihi ſemper mente animoque ſedet.
Ipſa tamen noſtrum numquam miſeratur amorem,
Nec mihi ſpes vitæ nec ſibi cura meæ.
Certe habet ut ſilices, aut clauſum pectore ferrum,
Aut rigido fixum corde adamante gerit.
Certe hanc crediderim rabidos genuiſſe leones,
Certe illam crudæ progenuere lupæ.
Inſigni eſt vultu, qualem vel Pallada, vel te
Juno decet, faciem vel Cytherea tuam.
Incedit mediam felix matrona per urbem,
Vel Phœbi digno, vel Jovis apta thoro.
At me, quem tanto miſerum flammavit amore,
Negligit, e noſtris facta ſuperba bonis.
Indignatur, ovat, clarumque elata triumphum
Quem tulit e ſpoliis gaudet habere meis.
O mea: blanda veni quoties, mea Candida, dixi,
Fer mihi opem, crucior, fer mihi opem crucior!
Tu me ardere facis, tu me languere furentem
Cauſa meæ vitæ, cauſaque mortis eris.

Tu noſtrum ſidus, tu gloria noſtra perennis,
  Quodcumque eſt noſtri tu tibi juris habes.
Cur fugis abſumptum, cur dedignaris amantem
  Reſpicere, o vitæ ſpeſque, ſaluſque meæ!
Flecte animum & longo melior ſuccurre dolori,
  Candida, flecte tuum, Candida flecte animum.
Flecte animum lux noſtra, animæ pars altera noſtræ,
  Cujus in arbitrio vitaque, morſque manent.
Multaque præterea dixi, quæ dura moverent
  Saxa, ſed irato ſurdior illa freto eſt.
Vocibus inde novis pharetrati numinis aures
  Obtundo, & ſævum, letiferumque voco.
Cujus nulla animum moveat clementia dico,
  Non diis, ſed dira tigride progenitum.
Hæc dum forte queror tenues Venere editus auras
  Perlabi, & ſonitu eſt viſus adeſſe mihi.
Talis erat, qualem docti pinxere poëtæ
  Et puer, & gemino lumine cæcus erat.
Nudum ventoſis pendebat corpus in alis,
  Et pharetra ornabat Gnoſia utrumque latus.
Unde incenſa volant rapidis tela aurea flammis,
  Geſtabatque arcum, tenſaque fila manu.
Myrtea cingebant flaventes ſerta capillos,
  Aurea purpureis ſparſerat ora roſis.
Flammigero medius curru, quem olim victricus
  Attulerat, niveas matris agebat aves.
Spes & blandiciæ ſecum, pallorque, timorque,
  Et cura, & gemitus, cumque furore dolor.
Tunc ſic affari cœpit: quid noſtra laceſſis
  Numina, & indignis queſtibus obloqueris?
Tanta te quod præſtas armis fiducia geſſit,
  Quod victor multa prœlia laude geris;
Quod genere, & titulis, & avorum nomine clarus,
  Quod ſis Currigera gente, tribuque ſatus?
Amphitrioniades, cui totus ceſſerat orbis,
  Captus & e noſtro ſaucius igne fuit.
Hectora Trojanum bello proſtravit Achilles,
  Succubuit telis attamen ipſe meis.

Cæſar & occiduas, & gentes vicit Eoas,
  Ipſe tamen victus vincula noſtra tulit.
Quid referam noſtris mortalia pectora flammis
  Conſumpta? in ſuperos movimus arma Deos.
Juppiter ipſe ſua qui torquet fulmina dextra,
  Captiva abjecto fulmine colla gerit;
I nunc, perge, tuæ ſi ſtat ſententia menti,
  I nunc, & noſtrum conquerere imperium.
Dixerat, at tantis ut eram verbiſque, Deoque
  Tactus, continuo talia dicta dedi.
Nec tua ſceptra queror, nec quo, me dive Cupido,
  Præſiſti fugio ferre, patique jugum.
Et libet & teneros alere haud indignor amores,
  Et dare devinctas ſub tua jura manus.
Verum age, quando meis tua ſunt gratiſſima votis
  Jura, refer vultus in mea vota pios.
Reſpiciat noſtros facito miſerata dolores
  Candida, & ut ſimili flagret amore jube.
Non ut amet qualis Theſeidam Phillis amavit,
  Non ut Abideum Sexta puella virum.
Non quoque ut Eſonidam qualis Medea ſecuta eſt,
  Non ut Nimoëm Scilla amet illa velim.
At ſi forte ſuos noſtris æquare recuſas
  Ignibus, & pariter carpere utrumque negas;
Fac ſaltem ut faciles in me convertat ocellos,
  Hoc mihi præcipuum munus habere dato.
Fac dicat ſalvum, ſi ſalvam nomine noſtro
  Reddiderim, magni hoc muneris inſtar erit.
Immites animos, oculorum turbida ponat
  Lumina, fac ponat triſte ſupercilium.
Hæc ego; tum placida ſubridens voce Cupido:
  Nil fuerat dignè, quo quarereris, ait.
Egregiam forma, nulli virtute ſecundam,
  Moribus, & claram nobilitate dedi.
Cui mira ingenii vis eſt ſub pectore cujus
  Pectus femineum cura virilis alit.
Quod ſi dura tuis oculis dejecta majeſtas,
  Sic deſideriis, luminibuſque gravis.

Ne

Ne precor immitem, ne ſævam duxeris oro;
 Candor honeſtatis, ſicque pudorque jubent.
Nunc porro innuptæ diſtant, nuptæque puellæ,
 Queis manet in caſta mente pudicus amor;
Rara hominum celebrent ſpectacula, rarior uſus
 Colloquii, ſtudiis ſit modus atque ſuis.
Forma fuit teneris ſemper ſuſpecta puellis,
 Blanda nocet ſanctæ forma pudicitiæ.
Vix hæc ediderat, levibus ſe ſuſtulit alis,
 Multaque conantem dicere deſtituit.
Hactenus aligerum nunc te, mitiſſime Boſſi,
 Alloquor, immodico qui quoque amore cales.
Longa vides noſtræ conſumptæ incendia mentis,
 Et nullam tantis ſpem ſupereſſe malis.
Si quod amicitiæ monimentum pectore noſtræ,
 Si quod habes, medico me rege conſilio.

Ad Cambium Zambeccarium.

Quod ſcribam teneros, Cambi, miraris amores,
 Qui ſoleo reges, quique referre duces.
Nec levia & magno cenſes fugienda poëtæ,
 Ut repetam tragicum carmen, ut arma mones.
Digna mones certo, ſed priſcos conſule vates,
 Conſule qui faciles compoſuere ſales.
Quid cecinit Naſo, blandi quid Muſa Properti?
 Lesbia tu Sapho, tuque Tibulle places.
Clarus Callimachus placuerunt ſcripta Catulli,
 Hi tamen & flammas, & cecinere jocos.
Quidque, ut prætercam reliquos, Maro gloria vatum,
 Quid cecinit? luſus ſcripſit & ille leves.
Mox ſe ſe ad ſylvas & rura, atque arma recepit,
 Sic dicit pecudes, an Maro paſtor erat?
Sive viros atque arma canit, num bella gerebat?
 Si ſcribit fruges, nunquid arator erat?
Sic igitur Plautus, miræque Terentius artis,
 Eſſent convivæ, læno & uterque foret.
Sic plerique alii, quorum præconia vivunt,
 Quis ſtudii & famæ ſcribere ſuaſit amor.

Multa canunt docti quæ non videre poëtæ,
  Quæ ſua non novit dextera multa canunt.
Verum illud ſapere eſt & dignum laude perenni,
  Quod non viderunt lumina, muſa videt.
Damnamus porro nos non laudamus amantes
  Inſanos, lege me quiſquis amare fugis;
Quidquid id eſt, neque enim noſtro eſt in carmine crimē,
  Perlege, jam monitis obſequor ipſe tuis.

EURIALI ASCULANI

GRata ſoporiferis cantu Philomela ſub umbris,
  Grata quoque æſtivis aura benigna locis:
Gratus in herboſo defeſſis ſomnibus antro,
  Gratum eſt, dum reſonat murmur euntis aquæ,
Gratus fons tremula ſitienti argenteus unda:
  Grata Cytheriaco ſanguine tincta roſa.
Gratior eſt, teneris cum nympha arridet ocellis,
  Cantu, aura, ſomno, murmure, fonte, roſa.

JOANNES AURISPA
SICULUS.

Quamdam Græci cujuſdam ſententiam, his verſibus clauſit.

SUnt qui perfecta ſe ſe virtute beari,
Et ſunt qui multo non minus aere putent;
Urbis nonnulli ſi rite negocia tractant,
His cura eſt patriæ gloria, fama, ſalus.
Aſt alios hominum oblectat diverſa voluptas,
Quique ſuum ſummum dicitur eſſe bonum.
Nil magis eſt mihi ſuave, tuo nil dulcius ore.
Et mea vita tuis omnis ineſt oculis.
Atque ideo noctem graviter fero, quod mihi vultus,
Numina vera, tuos poſſe videre negat.
Sic animam hanc luci, ſic debeo cuncta diei,
Qui facit ut cernam te mihi, Lida, Deam.
Quod ſi ſentirem juſſu Jovis eſſe neceſſum,
Ut ſi te videam, cetera non videam;
Vel ſi cuncta velim diſcernere cetera poſſe,
Sim tamen ad vultus cœcus, amica, tuos.
Eligerem cunctis cœcum fore rebus, ut unam
Te te conſpicerem, teque videre queam.

Ad Cyriacum Anconitanum.

Ennius inferna dicit de ſede ſalutem
Cyriaco claro pro novitate viro.
Nuper ad Elyſias venit Mercurius oras;
Et dixit ſupero quidquid in orbe geras.

Per-

Perquiris veterum ſolers epigrammate rerum.
  Solus es, & veterum ſpeſque ſaluſque virum.
Gratus ob id cunctis, præſertim gratus Homero,
  Gratus Virgilio, gratus & Ovidio.
Ergo te dignam ſedem decrevimus una,
  Qua poſſis Lacheſi dulce jubente frui.
Quare inter quosdam quos Gellius ipſe notavit,
  Sedes dicta tibi eſt hic Cyriace tua.

AD ELPULUM.

Quid perpulchra roſæ circum tua tempora paſsæ,
  Quid ſic flos capiti marcuit ipſe tuo,
Atque prius quam te tetigiſſent, Elpule, flores,
  Perſuaves flabant, atque fuere roſæ?
Nam tibi quos auſim niſi molles mittere odores,
  Quoſque tua dignos ducere fronte queas;
Neſcio quid cauſæ eſt, neque enim voluere fateri
  Languentes ad nos cum rediere roſæ;
Sed conjectura facile eſt dignoſcere, tecum
  Collatæ, pugnam non potuere pati.
Quin ſimul ac corpus tangunt redolentius aër
  Aufugitat ſuavis, marcet & ipſe color.
Sic lychinus majore brevis convincitur igni,
  Sidera nec cerni ſole micante queunt.

AD LYDUM.

Jamque Aurora gravem Titonum liquerat annis
  Pellere de Cœlo cœperat aſtra dies.
Pectora noſtra diu variis vigilantia curis
  Tandem compreſſit dulcis, & alma quies,
Tunc binæ e Muſis ad me venere ſorores,
  Hæ mihi jam fuerant utraque nota prius.
Clio me capiunt, & magna Polymnia; dextra
  Me rapit hæc, læva me rapit illa manu.
Magna loquebantur Muſæ dum pergimus, & nunc
  Sum memor, & multum me meminiſſe juvat.

Me

Me linquunt donec ſum viſus inire ſacellum
  Diis celebre, & claris nobile miſteriis.
Hic reliquæ Muſæ fuerant, hic magnus Apollo,
  Hic etiam Virtus, Gloria, Fama, Salus.
Has inter Fortuna Deas adverſa videtur
  Omnibus, hanc ſolam cetera turba timent.
At tu pro mediis aris, bone Lyde ſedebas,
  Lumina quiſque tuam verterat in faciem.
Tunc folium Muſis Phœbus præbebat, at illæ
  Ori ſollicitæ depoſuere tuo.
Duricies huic tanta ſubeſt, huic tantus amaror
  Ut vix Diis geniti ſuſtinuiſſe queant.
Hoc dum conaris tu deglutiſſe, videbam
  Algum, & ſudores ire per ora malos.
Hæc me mirantem Phœbus, Muſæque vocabant
  In me ſermonem vertit Apollo ſuum.
Atque inquit quamvis nondum te, Auriſpa, putemus
  Sat dignum ut capiti laurea ſerta feras,
Attamen hanc dignæ fronti depone coronam,
  Et Lydi claris comprime temporibus;
Hæc fatus, dabat ipſe Deus ſerta inſita lauru
  Atque hederis, præceptum exſequor ipſe libens.
Dum conor mandata ſequi mihi pulcher Apollo
  Faverat, & Muſæ, Gloria, Fama, Salus.
Solum terribilis viſa eſt Fortuna minari
  Juſſibus, atque mihi velle nocere Deum.
Propoſitum tamen ipſe ſequor, vultumque, minaſque
  Pauci Fortunæ terribilis facio.
Jamque propinquabant capiti, & poſuiſſe parabam
  Serta tuo, & totis viribus uſus eram.
At Fortuna mihi eſt viſa adverſarier omni
  Conatu, atque meos dura tenere gradus.
Dum ſtudeo ut faciam, dum me ſtudet illa tenere
  An ſivi capiti, neſcio ſerta, tuo.
Indignabar enim, ſomnuſque, quieſque reliquit
  Pectora, ſurgo ſimul, ſcriboque viſa citus.

Ad

Ad Cauſarum Patronum fugientem dare cœnam quam promiſerat, Siliſcum nomine.

En quocumque voces veniet conviva paratus
Dentibus, atque capax venter inanis erit;
Quique bonos rerum guſtus, varioſque ſapores
Calleat inſtructus rite palatus erit.
Affer ſi qua tibi dederint induſtria nummi,
Aut quibus excelles vendita verba foro.
Omnia candeſcant moneo menſalia pannis
Quique miniſtrabit candeat ipſe puer.
Album præcipue ſit vinum, nigra bibunto
Qui mentem, aut guſtus, aut bona perdiderint.
Alba tibi memini jam pridem vina placebant,
Perque mea medici nigra ſalute vetent;
Quod ſi forte parum prudens nigra vina juberes
Afferri, & ſtomachos commaculare velis.
Qua, Siliſce, gravi ſcimus multabere pœna,
Et quæ faſtidis, novimus ipſa, feres.

Ad D. Bornionem.

Huc Muſæ huc Charites te invitant, Bornio, lætam
Ad cœnam, ac hodie ſuavis Apollo domo eſt.
Te rogat ut venias Dominus, te Phœbus, ut & tu
Si quid habes Muſis auxiliare feras.

Cyriaco Anconitano.

Cyriace orantem Ciceronem vincere ſolus
Tu potes, & ſolus carmine Virgilium;
Nec minus hos vincis Græcè Demoſthenis orans
Nilque minus Græcè Siconis Iliada.
Cyriaco Græcè narranti Herodotus ultro
Vincitur, & noſtra Livius hiſtoria;
Et Ptolomæus ſcribenti flumina, & orbem
Non negat & montes cedere Cyriaco.

Pin-

Pingenti formas rerum concedit Apelles,
  Cedit ſculpenti Phidia Cyriaco.
Hæ ſunt virtutes per quas eſt laurea vatis
  Cyriaci dignis inſita temporibus,
Sed ſors noſtra nihil, nihil eſt hæc gloria, vanæ
  Sunt hominum curæ, vanaque quæque vides;
Et tu vel nihil es, vel ſi quid, ventus, & umbra es,
  Ergo tuam ſortem conſpice Cyriace.

FINIS.

INDEX

Rerum notabilium, quæ continentur

IN TOMO PRIMO.

A

Abel conditur pag. 11.
Abies 100.
Abſtinentia 56.
Accipiter 340.
Acheron 466 467.
Achilles multum debet Homero 56. 69. *a Chirone educatus* 81. 221. *ejus tumulus* 56. 98. *fortis, & pulcher* 102. *fortiſſimus* 421. 377. 378. 425. *cytharam ſonabat* 244. *ab amore victus* 485.
Acteon 81. 384.
Adam peccat, & e Paradiſo pellitur 10. 14.
Adonis 158. 384. 428.
Adulatio 63. 91.
pro *Ægroto votum* 3. *de ægroto* 150. 359. 365.
Æmulatio 84.
Æneæ pietas 71. *exilium* 306. 394.

Æſar

Æſar fluvius 38. 225.
Æſtas 68. 369.
Ætas ferrea 11. *aurea* 22. 181.
Aiax 81 85. 86.
Alauda ubi nidificet 56.
Albutius ad Alciatum 55.
Aleotus Aloviſius 424.
Alexandri Magni reſponſum 54. *venationis ſtudium* 377.
Alexius Antonius Georgius 308.
Alfonſus Ferrariæ Dux 111. 352. 359.
Allius Peregrinus 128.
Altilius Gabriel laudatus 148.
Amantes lumen non amant 316.
Amantes non fuere omnes qui de amoribus ſcripſerunt 487.
Amantis longinquitas 346.
Amaracus 231. 428.
Amazon 45.
Ambitio 420.
America 47.
Amicitia poſt mortem durans 64. *infida* 187. 188.
Amicus 47. *ruſticans* 396. *Amicus* 421.
Amoris potentia 13. 39. *ortus* 14. *tela quomodo fugienda* 74. 75. *Vis* 77. *Amor ab apibus percuſſus* 78. *ab Amore virtutis victus* 78. *cum morſu* 97. γλυκυπίκρος 100. *Amores diverſi* 347. *geminus* 349. *ejus contemptus* 380. *divinus* 386. 387. *legem dat* 390. *victor* 396. *vitandus* 142. *amor cæcus* 143. *antiquitatis* 405. *litterarum* 405. *pharetra ſpoliatus* 410. *durus* 411. *in ipſum invehitur* 411. *conjugalis* 414. *laudatus* 414. *ignis* 429. *vulnerat* 430. 431. *ab Amore dehortatio* 417. 422. *prolis* 431. *amarus*, & *amens* 186. *Amores alloquitur Venus* 192. *Amoris vulnera* 194. *mutuus* 202. *Amores non amores* 234. *quieſcens* 253.

253. *cum puella comparatur* 255. *marmoreus* 256. *urit Venerem ipſam* 260. *Deas vincit* 263. *omnes Deos in ſe continet* 265. *laudatus* 268 *quæritur a Venere* 273. *dormiens* 276. *male a pictoribus exprimitur* 293. *ligatus* 304. *ſævus* 485. *quomodo pictus* 485. *ejus potentia* 485. 486.
Amygdalus 100.
Anconitanus Cyriacus 489. 492.
Angerianus Gaſpar 277.
Arni tempora 68. 369.
Annibalda Clara 321.
Apelles 214. 241 493.
Apenninus 343. 396.
Apollo V. Phœbus.
Apoſtata 339.
Apri venatio 447.
Aproinus Franciſcus laudatus 146.
Aqua Paula 118.
Aquaviva Cardinalis 46.
Aquila volans interempta 230.
Aragonia Hieronyma 236.
Archilochus 94.
Arenius Cæſar 367.
Arethuſa 179.
Aries cœleſtis 136.
Arion 159. 171. 178. 183.
Arrigonus Lælius 367.
Ariſtomenis tumulus 55.
Ariſtoteles arduus 369. *illuſtris* 146.
Arnus 148. 199. 209. 211. 215. 340. 378. 382. 385. 394. 395. 452. 455. 471.
Ars adjuvat Naturam 67.
Aſcanius 376.
in *Aſtrologos* 79.
Ateſtinus Cæſar laudatus 462.
Atheſis 159. 174. 196.

Atlas,

Atlas 353. *cælum ſuſtinet* 140. 166. 390.
Avaritia 90. 91. 187. 420.
Aucupium 162. 230 347. 397.
Audacia fracta 459.
Augurelli effigies 434.
Aulicus 91.
Aulla Vincentius laudatus 383.
Auria Ligur 333. 336. *Aurietta laudata* 370.
Aurora 129. 131 *a Cephalo contempta* 139. 157. 179. 200. 346. 347. 369. 381. 475. 468. 490.
Aurum. V. Divitiæ.
Auſtriacus Joannes 367. *Joanna* 191. *Eleonora* 313. 318.
Autumnus 68
Auxilium mutuum 64. *numquam deficiens ibid.*

B

B*Acchanalia pag.* 375. 370.
Bacchus 68. *ejus ſtatua* 89. *hederam donavit* 100. 137. *amat carmina* 233. 409. 422.
Baptiſmus Joannis 436. *Chriſti* 437.
Barbarigus Venetum Legatus 333. 338.
Barclaius laudatus 110.
Bargæus Petrus ubi natus 225. *quæ ceciverit* 225. *filiam deflet* 230.
Beatorum Gloria. V. Vita æterna.
Bellini Laurentii laudes 22.
Bellona 24 44. 45. 181. 370.
Bellona Jacoba 317.
Bellum inimicum Muſis 224. *navale Chriſtianorum, & Turcarum* 328. *Exitus ejus Poëtas nihil intereſt* 350. *Bellum contra Turcas optatum* 438.
Belcredius Petrus Paulus, & Philibertus 467.
Beltranus Gaſpar 314. 320.

Bembi Petri laudes 440.
Bentius Tryphon 371.
Berenicis coma 164.
Bobba Victoria 324.
Bonarotæ Michaëlis Angeli obitus 8.
Bononia laudata 220.
Bononius Hieronymus 415.
Bootes 175.
Boreas 369. V. Ventus.
Borromeus Carolus Cardinalis laudatus 140.
Borgia Carolus Dux Gandiæ 49. *Lucretiæ Epitalamion* 342.
Boſius Cammillus 369.
Brutus & Lucretia 319.
Buſyris 353.
Buxus 101. *ex eo fit fiſtula ibid.*

C

CAdmi fabula pag. 65.
Caiſtrus 117. 165.
Calais, & Zetes 70.
Calliope 351. 377. 380. 381. 382. 3[illegible]. 395.
Calypſo 381.
Campus Gulielmus 308.
Canis Pani ſacratur 3. *epitaphium* 6. 452. *Epicedium* 105. 450.
Canis Cerberus 464. 465.
Canis Sirius 3. 168. 344. 424.
Capilupus Hippolytus 366.
Caporalius 465.
Cardinalis dignitas deſcripta 185. 458. 463. 480.
Carolus Lotharingiæ Dux Curtam expugnat 27.
Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux 45. 46.
Carolus V. laudatus 177.

Caſa Joanne 169
Caſtilionæus Joannes Jacobus 252.
Caſtor, & Pollux 359. 376.
S. *Catharina* 50.
Caucaſus 141. 394. 411.
Cecrops 87
Cenetenſis collis laus 182.
Ceres 1. 137. 422. *pacem ſequitur* 457.
Ceſarinius Virginius laudatus 101.
Charis. V. Gratia.
Charon 464.
Cheregonius Julius Antonius 411.
Chimæra ſuperata 61.
Chiron 81. 221.
Chorea 130. 422. 451. 453.
Chriſti nativitas 13. 15. *Chriſtus lavat pedes Diſcipulorum* 16. *Cruci affixus* 407. *baptizatur* 437.
Cicada inſigne nobilitatis 57. *ſupplet fidem fractam* 58. 275.
Cicero 83 221. 227.
Ciconia 71.
Circe 73. 111. 381. 390. 469.
Civis optimus 56
Claricinus laudatus 221.
Claſſis Veneta 181.
Clytia Solem reſpiciens 398.
Colores 68 *purpureus* 162. *varii* 400.
Columbæ collus 400.
Columna Romanæ claſſis præfectus 332. 333. 337. *Columnæ Hieronymæ laudes* 341. *M. Antonius triumphans* 445. *Marius* 235. 238.
Cometes 382 399.
Comos Deus 409.
Concordia inſuperabilis 59. 60.
Connubium quando inceperit 431.
Conſilia non vulganda 60. *conſilio ſuperatur Chimæra* 61.

Conſolatio in Morte. V. Mors.
Conſtantia 63.
Coppetta 455.
Cornelius Georgius 242.
Corona graminea 56. 473. *querna* 99. *bederacea* 100. *floribus* 350. *populea* 100. 370. *ſpinea* 387. *laurea, mirtea, & roſea* 400. *Arianna* 164. *navalis* 474. *in fine datur* 186.
Corporis, & animi pugna 232.
Corſinii Laurentii Cardinalis laus 17. *Octavii Epiſcopi Tarſenſis* 18. *Americi Archiepiſcopi Florentini* 18.
Coſmus Tertius M. D. Etruriæ 20. 378. 379.
Cotta Marcus Antonius 318.
Cotonea 99.
Creatio hominum 10. *mundi* 431.
Creſſius Christophorus 232.
Cuculi 74.
Cupido. V. Amor.
Cupreſſus 99.
Cyclops 84. 117.
Cygnus 117. 165. 174. 451. *transfixus* 170.
Cyrus Aſtyagi metuendus 377.
Cythara 147. 351. 364. 400. *ejus virtus* 467. *Cytharam ſonabat Achilles, & Pythagoras* 244. *amanti comparata* 281. V. Poëta.

D

DAemones e cœlo pulſi pag. 9.
Danai filiæ 395. 466.
Defunctorum ſacra expiatio 444.
Delphini ludentes 172.
Democritus ridens 97. 124. *doctus* 238.
Deſidia 92. 93.
Deſperatio 181, 207.

Detractores 84.
Deus quo vocat eundum 62. *in Deo lætandum* 63.
Diana intacta 370. 376. *Amorem vincit* 381. *Dictynna* 308. 382. 390. *Venerem mordet* 317.
Dioſcorides 146.
Diſceſſus Jolæ 141. *fratris* 393. *Lycidæ* 148.
Diſcordia triumphata 8. 24. *expulsa* 159. *ſæva* 438.
Dives indoctus 92.
in *Divites publico damno* 81.
Divitiæ laudatæ 186. 440.
Diuturnitas 411.
Doctorum agnomina 66. *Doctos doctis obloqui nefas eſt* 67.
Domus deſcriptio 193.
Dona hoſtium 86. *Donum Varchio datum* 147. *carminum* 252. *Amaraci* 428. *Vini, & Teleſcopii* 446.
Dryades 162. 205.

E

E*Cho pag.* 422. 450.
Eclogæ 115. 148. 447.
Effigies D. Guidonis Grandi 407. *Aurelii Augurelli* 434. *Jo: Regis Sarmatarum* 405. *Chriſti Cruci affixi* 407. *Franciſci Redii* 403. *Aſcanii Mariæ Cardinalis Sfortiæ* 185. *Hieronymi Angeriani* 253. 267. 275.
Elegia claudicat 396.
Eleonora Dux Mantuæ 307.
Eloquentia præſtantior fortitudine 57. *difficilis* 58. 392.
Elsa flumen 125.
Endimion 243. 480. 481.
Enni triplex cor 392.
Enyo 8. 16.
Epaminonda 249.

Epicteti præceptum 63.
Epitalamion 129 191. 342.
Epithaphium. Jani Franciſci Gonzagæ 360. *Hilari Anſelmi* 305. *Franciſci Areoſti* 360. *Philomelæ* 143. *Canis* 6. 452. *Aloyſii Taliani* 315. V. Tumulus.
Equitatio deſcripta 196. 221.
Equus Regis Gallorum laudatus 141.
Eridanus & ejus curſus 481.
Etruria. Mater magnorum Virorum 378. *Vates ſola agnoſcit* 455. V. Florentia.
Eugenius a Sabaudia 404.
Eumenides 111.
Eunomii fabula 58.
Expugnatio Curtæ 27.

F

Fabii corona pag. 56.
Fæſula 211. 218. 219.
Fama 147.
Farneſius 337. *Horatius Parmæ Dux laudatus* 170.
Fatum immutabile 169. 170. 459.
Fauno quid ſacretur 4. *ejus cornua* 94. 337. 363. *bicornis* 452.
Favonius 351. 422.
Febris deſcriptio 22.
Fecunditas damnoſa 72.
Felicitas momentanea 95.
Ferraria laudata 343. *deſcripta* 343. 345. 354.
Ferrarius Antonius 319.
Fertilitas 137. 453. 454. *a pace* 457.
Fiber quomodo evadat mortem 97.
Fidei Symbolum 59. *Fides ſuos fines dilatat* 137. *nulla* 189.

Fides Threicia 351. *Lesbia* 171. V. Cythara, & Fiſtula.
Fidutius poëta 141.
Fines hominum varii 168. 418. 430.
Fiſtula ſuſpenditur 2. 150. 203. 348. 362.
Flamma 205.
Flagellum pium 386.
Flora 416. 454.
Florentia 120. 123. 125. *laudata* 127. 199. *ejus vota* 373. *gaudens* 375. *genitrix Regum* 379. *Orbis ocellum* 395. *a Radagaſo oppugnata* 216.
Florentini Marii nuptiæ 38.
Flores 150. 152. 162. 178. 182. 197. 205. 345. 364. 428. 429. 468.
Flumen leniter fluens 3. *inundans* 25. 365. 382. *fluminum origo* 399. *ex undis ſe extollit* 157 456. *ejus curſus* 174 435. *præceps* 460. *aurifera flumina* 466. *inferna* 466. *perterricrepum* 467.
Fœdera 59.
Fons Pyrrhi comitis 51. *fontis murmur* 350. 351. *Aquæ Paulæ* 113. *Valledonici* 125. *fontis bonus* 395. *Caſtalius* 396 *Narciſſi* 405.
Forma. V. Pulchritudo. Puella.
Formica 424
Fortes viri immortales 56. 57.
Fortitudo 406.
Fortitudine eloquentia præſtantior 57.
Fortuna cum virtute 69. *virtutem ſuperat* 85. *ejus imago* 96. *Aulæ domina* 348. *Antii Regina* 138. *ejus vices* 453. *a virtute victa* 457. *tranſmutat honores* 459. *laudem non parit* 238 *cum ipſa dialogus* 263. 309. *eum virtute* 308. *timetur* 491.
Fracaſtorius Hieronymus laudatus 173.
Fulmen 162. 215. 354 459.
Funus deſcripuum 460.
Furiæ 173. 178. 183. 387. 465.

G

GAlathea, & Acidis fabula pag. 119.
Galenus 146.
Galilei Galilei donum 446.
Gambara Laurentius 368.
Ganges 150.
Ganymedes 63.
Garrulitas 94. 188.
Gemmæ variæ deſcriptæ 400.
Genethliacon Franciſci Aproini 146.
Genua urbs 324.
Geryon 60.
Gigantum pugna 179. 378. 459.
Gilianus Vincentius laudatus 184.
Glaucus fit Deus 56.
Gonzagæ Jani Franciſci epitaphium 360. Gulielmus Montisferrati Princeps 313.
Gorgonis ora 98. 411.
Gramen cui ſacrum 56. Glaucus comedit ibid. corona Fabii ibid. Alaudæ nidus ibid. herba digitalis ibid.
Grandi D. Guidonis effigies 407.
Grates referendæ 71. gratiarum actio 184.
Gratiæ 64. 147. 381. 400. Gratiarum convivium 408. 416. 422. tres 299. 300.
Guarini Jo: Baptiſtæ mors 113.
Guatia Anna 313. Stephanus 324.
Gula 92.

H

HAnnibal Alpes ſuperat 396.
Harpiæ 70.
Harpocrates 60.
Hebe cuſtos nectaris 101.

He-

Hector Patroclum occidit 98. *occiſus ab Achille* 98. 241.
Hedera 100.
Helenæ fratres duo ſidera 70. *lumen in tempeſtate* 469.
Helicona. V. Pindus.
Heraclitus ſeditionem ſedat 62. *flet* 97.
Herbarum virtus 146. *ſalutifera* 150. 152. *a morte non liberat* 174.
Hercules 41. *ejus certamina* 57. *Gallicus* 57. *a Pygmeis aggreſſus* 80. *ſpurius* 87. *virtute inter Deos relatus* 341. *Hydram, & Acheloum ſuperat* 167. *cum Antheo pugnat* 461.
Herſilia Valentiæ Comes 319.
Heſperus. V. Lucifer.
Hieruſalem, & loca ſacra 167. 458. *liberata Taſſi poema* 466. *Petri Angelii verſibus illuſtrata* 225.
Hirundo 271.
Hiſtoricis plus valent poëtæ 241.
Homerus vocat ſalicem frugis perdam 100. *Mæonius* 386. *florens* 241. *ejus libri* 303.
Hominum curæ. V. Fines.
Horatius Flaccus 240. 400.
Horologium pulvereum 144.
Hortus deſcribitur 153. 198. 344. 345.
Huraltus Philippus 225.
Hyems 68. 161. 222.
Hymenæus 40. 42. 200. 342. 432.
Hypocrita 188.
Hyppolitus 376. 381. 390.

I

J*Anus pag.* 189.
Idolatria 12. *expellenda* 456.
Jejunium laudatur 436.

Igno-

Ignorantia ſubmovenda 87.
Ilcius Scipio Cardinalis 40.
Ilex arbor 101.
Imago occaſionis 96. *precum* 96. V. Effigies.
Impoſſibile 459.
Impudentia 88.
Inarime 204.
Innocentia bona 5.
Invidia deſcribitur 2. 9. 86. 187.
Io 180.
D. *Joannis Baptiſtæ laudes* 435.
Joannes Rex Sarmatarum 405.
Jocus 410.
Joppes 167.
Jordanus flumen 435.
Iphicrates 61.
Ira 86.
Iris 133. 175. 400.
Iſis 88.
Iſter 139. 196.
Julius Secundus Pont. Max. 453.
Juno 132. *ſæva* 143. 394.
Junonia dicitur Hebe 101.
Juppiter pellit Aten 96. *amat quercum* 99. 113. 120. 134. 351. 352. 354. *Semelen occidit* 384. *a Curetis educatus* 138. *innubis* 395. *fulminator* 162. 427. 459. 467.
Juſtitia vera, & falsa 48. *tandem obtinet* 69. *ejus domus* 388. *terras exoſa* 391. 406. *æqua* 189.
Juventa 68. *Juventutis vitia*.

L

LAmbertus Marinus pag. 414. *Bertutius* 418.
Lana Jacobus 325.
Latona 135.

Lau-

Laudes Mariæ Virginis 6. 50. *Petri Victorii* 7. *Hieronymæ Columnæ* 341. *Trivultiæ* 350. *Alberti Pii* 362. *Marulli* 359. *Auriettæ Auriæ* 370. *Tryphonii Bentii* 371. *Ferdinandi Etruriæ Principis* 373. 374. *Puellæ* 383. *Cardinalis Caroli Borromæi* 140. *Hermetis Stampæ* 141. *D. Mariæ Magdalenæ Pactiæ* 385. *Vincentii Aullæ* 388. *Florentiæ* 395. *Virgilii* 395. *Redii* 403. *Leopoldi Imperatoris ibid Torquati Taſſi* 467. *Caroli V.* 177. *Flammæ* 183. *Bernardini Thomitani* 184. *Vita functorum*. V. Mors.

Laurus 99. *a fulmine tuta* 364. *Phœbo ſacra* 182.

Legum ſtudia 389. *inimica Muſis* 402.

Leo Iguvii repertus 478.

Leo X. Pont. Max. laudatus 438. 439.

Leopoldus Imperator laudatus 403.

Lethe 214.

Linguæ garrulitas. V. Garrulitas. *bona*, & *mala* 188.

Literæ immortalitatem parant 58.

Luca Civitas Etruriæ 27.

Lucifer 173. 179. 369. 435. V. Aurora.

Luna 362. *frigida* 455. *Endimionem amat* 480.

Lupus 339.

Luſcinia laudata 230.

Luxuria 75.

Lycaon 179.

Lyſippus 95. 241.

M

M*Acra fluvius pag.* 471.

Maillardus Petrus 313.

Malateſta Robertus 426.

Maleſpina Angelica 470.

Malus Medica 100.

Manu-

Manutius Paulus 232.
Marcellus Ludovicus 416.
Mare placidum 129. 159. *inſtabile* 393.
Mariæ Virginis laudes 6. 50.
Marmor Parius 162.
Mars 44. 348. 438.
Marullus 358.
Maſſinius Philippus 463.
Matrimonium 72. 73. *laudatur* 431. V. **Nuptiæ.**
Maumethus 339.
Maurocenus Marcus 417.
Maximilianus Dux Mediolani, & *ejus inſigne* 53.
Maximilianus Boëmiæ Rex, *deinde Imperator* 138.
Medea 80. 179.
Medices Petrus laudatus 119. *Coſmus* 123. *Laurentius* 124. *Joannes* 126. *Coſmus* & *Petrus ibid.* 127. *Ferdinandus Etruriæ Princeps* 373 *Medicum domus grata Phœbo* 374 *Coſmus Tertius* 20. 378. 379. *Leopoldus Cardinalis* 405 *Leo X. P. Max.* 438. 439. *Garſias* 443. *Julius* 470 *Franciſcus* 191. *Medices laudati* 199 *Coſmus Primus* 214. *Medix*, & *hujus Familiæ origo*, & *inſigne* 218. &c *Iſabella Coſmi filia* 231. *Jo: moritur* 235. *Coſmus Magnus Dux primus* 235. *Ferdinandus Cardinalis* 237
Medicus laudatus 143. 146. 184. 308. 325. *liber laudatus* 304.
Mediocritas laudatur 432.
Medulus Sebaſtianus 414.
Mediolanum 54.
Mel hyblæus 159. 163. 175. 231. 246. 454.
Melchior Franciſcus 147.
Meliorius Philippus 208.
Melita fere capta 337. *Melitenſes ſtrenui* 339.
Mentis humanæ deſcriptio 396.
Mercurius iter monſtrans 62. 353.

Meretrices fugiendæ 73. 74. *Meretricis tumulus ib. Sirenibus comparatæ* 186.
Michaëlis Archangeli pugna 9.
Mincius 357.
Minerva 45. 61. 111. 132. *ejus ars texendi* 132. *pudica* 380. *Minerva Amorem pellit* 382. *irriſa in Aula* 390. 392.
Moderatio 188.
Molsa ægrotans 3.
Monſericinus Gabriel 323.
Morbus. V. Ægrotus.
Mors non reticenda 357. *incerta* 369. *non timenda* 189. *inexorabilis* 20. 174. 444. *invida* 109. *crudelis* 443.
in *Morte Michaëlis Angeli Bonaroti* 8. *Petri Adriani Vandembroecke* 19. *Conjugis Luciæ Albanæ* 43. *Philippi II. Hiſpan. Regis* 47. *Auguſtini Cuſani Cardinalis* 47. *Pauli Honorati* 51. 52. *Alexandri N.* 53. *Melampi canis* 450. *Angeli Moroni* 53. *Roberti Malateſtæ* 426. *Formoſæ mulieris* 98. *Catellæ Aldinæ* 105 *præpropera* 98. *Vincentii Pinelli* 110. *Jo: Baptiſtæ Guarini* 112. *Jo: Medicis* 126. 127. 128. *Matris Alberti Pii* 354. *Julii Bruti* 362. *Leopoldi Imperatoris* 403. *Victoriæ Roboreæ* 406. *Horatii Farneſii Parmæ Ducis* 169. *Garſiæ Medices* 443. *Pii V. P. M.* 463. *Petri Pauli Belcredii juvenis* 467. *Angelicæ Maleſpinæ* 470. *Hieronymi Fracaſtorii* 173. *Benedicti Varchii* 211. *Sicinii Pepuli* 220. *Chriſtophori Tuani* 225. *Henrici Regis Galliæ* 234. *Jo: Medicis* 235 *Lauræ Naſiæ* 314. 315. *Margharitæ Valeſiæ* 322. 323.
Morus 100.
Moyſes 353.
Mulieris fama non forma vulgata 71. *in Mulierem* 187. 316. V. Puella.
Munera. V. Dona.

Mu-

Munio fluvius 455. *Minio* 211. 215.

Muſarum invocatio 3. 345. 416. *otia* 128. 138. 348. 367. 368. 373. 374. 375. 379. 385. *irriſæ* 390. 392. *vocatæ* 400. *Muſa deſcripta* 145. 400. *cum ſapientia junguntur* 405. *quæ bona ferant* 408. *immortalitatem donant* 425. *felicem reddunt* 169. 430. *Muſæ ſacræ reſtitutæ* 167. *Muſis gratiarum actio* 433. *illis paupertas inimica* 439. *ſororum turba* 465. *potentia* 467. *a morte non revocant* 173. *non amant forum* 190. *picturis, & ſtatuis præſtant* 214. & 241.

Muſica Diis curæ eſt 58.

Myron ſculptor 214.

N

Napeæ pag. 451.

Narciſſus 88. 310. 428.

Naſiæ Lauræ mors 314. 315.

Natalis Ferdinandi Etruriæ Princ. 374.

Natatio Aconis 143.

Naturæ vis 67. *Naturam adjuvat Ars* 67.

Navigatio deteſtata 161. *ejus pericula* 469.

Navis per mare vecta 129. *ſolvens* 134. 393. *oſtro coruſcans* 155.

Naupactiaca Victoria 166. 328. 456.

Nauta naufragus 344. *impavidus* 168.

Neapolis deſcriptio 394.

Nectar 472.

Nemeſis 71. 78.

Neptuno votum 4. 5. 129. 163.

Neſtoris Scyphus 65. *anni* 124. 147. 394.

Nicolinus Angelus 247.

Nilus 113. 141. 352. 353. *ejus ortus* 159.

Niobe 86.

Nix jacta 288.

Nobilitatis ſigna 57.
Noctua Minervæ ſacra 61.
Noctis deſcriptio 5. 345 *adventatio* 173. 205. 449.
Nuptiæ Marii Florentini 38.
Nupta. V. Uxor.
Nux 73.
Nymphis votum 1. 2. 364. 367. *Nymphæ Pauſylippi* 130. 156. 161. 451.

O

OBitus. V. Mors.
Obſidione liberatur Vienna pag. 25.
Occaſio 95.
ad *Oculos alloquutio* 327.
Ocymi emblema 372.
Olea Minervæ ſacra 164.
Ollarum fabula 82.
Olympus mons 387.
Orata piſces rapit 96.
Orcus 111.
Oreſtes 394.
Orion 162, 166. *Dianæ tentator* 459. 469.
Orithya rapta 154.
Orphæus ex inferis redux 139. 178. 180. 183. 242. 368. 402. 425. 464.
Oſyris 353.
Otium 187. *fugiendum* 250.

P

PAci votum pag. 6. 8. *Pacis queſtus contra diſcordiam* 12.
Pactia Diva Maria Magdalena laudata 385.
Padus 196. 357. 459.
Pales 152.

Pallas. V. Minerva.
Paltra Octavia 309. *Lucia* 311. *Deianira* 312. *Laurentia* 315.
Pan Deus 1. 3. 4. 67. 364. 396. *Panes* 452.
Pandora 383.
Panigarola Franciſcus laudatus 366.
Paradiſus terreſtris 10.
Paraſitus 91.
Paridis judicium 418.
Parcę nentes 136. 138. 168. 170. 171. 181. 444. 457.
Parlaſcus Jo: Baptiſta 312.
Parnaſſus 180. 182. 347. 401. 441.
Paſſerus Nicolaus 432.
Paſquæ Gentis inſigne 371.
Paſtor 354. 362. 367. *ei bona deprecantur* 160. *ejus laudes* 453. *monita* 454.
Pateræ deſcriptio 175.
Patria 79.
Patroclus ab Hectore occiſus 98.
Paupertas 69. *ſubditorum* 82. *paupertatis parens oblivio* 93. *omnibus deſpectui, & Muſis inimica* 439. *in inferno habitat* 439.
Pauſilypus 130. 155. 331.
Pax 89. *pacem Ceres ſequitur* 457.
Peccator 50.
Peccatum originale 437.
Pepuli Sicini obitus 220.
Perillus 411.
Pernottus 331.
Perſius obſcurus 400.
Peutingerus Conradus 101.
Phaëton 79. *ejus ſorores* 345. *ejus caſus* 160. 181. 482.
Philomelæ epitaphium 143. 163. 233. 451.
Philoſophia naturalis quid doceat 146. 168. 211. 245.

245. 392. 399. 466. *moralis* 168. 248. 399. 465.

Phœbus deſcribitur 103. *acer.* 340. 362. 365. 366. 368. 373. 374. 375. *venator* 377. *Rex Heliconis* 382. 383. 385. 390. 396. *medicinę inventor* 146. *iratus timendus* 403 *Pythonem interimit* 151. 164 *Ghiſlerio aſſurgit* 465. *ejus virtutes* 174. 184. 324.

Picea 100.

Pietas 17. 406.

Pietas filiorum erga parentes 71.

Pindus 147. 373. 382. 390. 392. 396. 433. V. Parnaſſus.

Pinelli Vincentii Mors 110.

Piſæ Civitas Etruriæ 38

Pius Albertus 354. 360.

S. Pius V. laudatus 136. 178. 456.

Plato divinus 369.

Plazzonus Jo: laudatus 145.

Plejades 175.

Pluto 465.

Pluvia lapidea 399.

Poculum Varchio donatum 147.

Poëtarum inſignia 58. *corona* 100. *laudantur* 145. *cœleſti vigore excitati* 408. *felices* 409. *rus amant* 401. *laudati* 425. *felices* 430. *pauperes muſis inviſi* 439. *quid poſſint* 241. 467. *non tractaverunt omnes quæ ſcripſerunt* 487.

Pomona 422.

Pontificis dignitas 185. 209. 490.

Pontifex ſummus 167. 424. 427. 432.

Populus alba 100. *herculea* 370. 409.

Preces Segnipedes 96. *Jovis proles* 96. *quid poſſint* 411. 462.

Priapus Deus hortorum 452.

Princeps erga ſubditos qualis eſſe debeat 55. *Princi-*

pis clementia ibid. Senatus ibid.
Privatio generat appetitam 395.
Procraſtinandum numquam 54. 61. 369. 393.
Prochyta 331.
Progne 94 451.
Prometheus 79. 394.
Proſerpina rapta 154. 466.
Proteus 65. *canens* 160. 161. 179.
Prudentia 61. 62.
Pudicitia 72.
Puella laudata 370. *pulchra* 381. 383. 400. *pelle veſtita* 142. *laſſa venatu ibid. monocula* 143. *pulchra oculis* 143. *torvis oculis* 143 *lugens* 144. *dura amatori* 411. *Deo dicata* 412. *laudata* 417. *ad connubius hortatur* 431. *fugiens inſecuta* 156. *in hortis* 164. *flores colligens* 178. *queritur de ſuo amante* 203. *dura* 206. *ſeneſcens* 207. *adempta, & deplorata* 208. *dura, & pulchra* 229. *viſa Venus* 253. *Amori comparata* 255. *dura* 255 256. *de puella* 257. *uſque ad* 297. *cœlo comparatur* 281. *venans* 272. 279. *nivem jacit* 288. *laudata* 299. 301. *crinis* 302. *puellæ invidet venus* 303. *lugens* 307. *laudata* 308. 309. 310. 311. 312. *cantans* 322. *cordium furatrix* 325. *lugens* 326. *Deabus comparata* 483. *dura* 484. 485. 486. *ridens* 488. *viſa beat* 489.
Pugna navalis ad Naupactum 166. 334. 456. *Columnæ cum Paralyppo* 337. *navalis* 164. *Radagaſi, & Florentinorum* 216. *&c. Deorum* 261. V. Bellum. Victoria
Pulchritudo 87. *puellæ* 383. 400.
Pulegium ſobrietatis olus 62.
Pythagoræ præcepta 62. *muſicæ ſtudioſus* 244.

Q

Quercus Nymphis ſacrata pag. 1 *Jovi grata* 99. *fulmine percuſſa* 354.
Queſtus in Morte V. Mors. *puellæ de ſuo amante* 203. *Amyntæ de adempta puella* 208.
Quies neceſſaria 369. *beatum reddit* 432.
Quirinus occiſus 339.

R

Radagaſus Italiam invadit pag. 215.
Redii effigies 403.
Religioſorum tria vota 50.
Religio ficta 86.
Retrogradum epigramma 49.
Rhadamantus 466.
Rillius laudatus 396.
Ripa Georgius 319.
Riparola Matthæus 49.
Roborea Victoria Magna Dux Etruriæ laudata 406.
Roma quondam maxima nunc diruta 343.
Romulus virtute in cælum relatus 341. *a lupa altus* 464.
Roſa flos veneris 371. 381. *Pæſtana* 164. 381. 386. 429. 468. 490. V. Flores.
Rus laudatur 401. *deſcribitur* 422. 424. *ejus bona* 160. 161. 162. 182. 255.

S

Salix frugis perda pag. 100.
Salviatus Alamannus 35. *Leonardus* 36. *Jo:* 36. *Bernardus* 36. *Antonius* 37. *Thoma* 37. *Vincentius* 37.

Sangeorgius Theodorus 316.
Sapientia humana 87. *mentem beat* 399. *cum forma dialogus* 254.
Sapientum dicta 66.
Sappho 351.
Saracinellius Cyprianus 236.
Sarnus 155. 204.
Satiri 422. *capripedes* 452.
Scylla 88. 223. 469.
Sfortia Alexander Cardinalis 365. *Aſcanius Maria Cardinalis* 185.
Sebethus 129. 394.
Semeles 384.
Senarega Matthæus Dux Genuenſis 49.
Senex amans 73. *ſeneſcens puella* 207.
Serantonia Maria Eliſabeth Lucenſis 38.
Sicilia fertilis 453.
Silentium 60.
Silenus 422.
Similitudo lupi 339. *accipitris* 340. *nautæ* 344. *horti* 344. *fulminis* 364. *vitulæ* 133. *roſæ* 383. 386. 468. *Olympi* 387. *nubis a vento diſſipata* 398. *Clytiæ* 398. *colli columbarum* 400. 424. *foliorum decidentium* 439. *lupi* 458. *ſcopuli* 459. *meſſoris, fluminis, & fæniſecæ* 460. *Monocerotis* 464. *hyacinthi* 467. *Luciferi, & Heſperi* 468. *aquilæ* 472. *Leonis* 474. *Stellæ cadentis & cygni ſauci* 170. *Similitudo Pleiadis orientis* 171. *Solis, & Heſperi* 173. *puellæ flores colligentis* 178. *Auroræ, & veris* 201. *flammæ* 205. *fulminis* 215. *fluminis* 224.
Simulacrum Spei 70. *Amoris* 76. 256. *Pudoris* 72. *Bacchi* 89. *Veneris* 72. *Ocni* 76. *Icari* 317.
Sirena 75. *eas fugit Ulyſſes* 171. 352. 366. 395. 469.
Sitis 395.

Sobrietas 61.
Socratis mors 357. *lepor* 371.
Sol oriens 173. 179. 345. V. Aurora.
Occidens 114. 137. 174.
Ejus curſus 159. 168. 398.
Solonis dictum 66. *lex* 99.
Solymanus 337.
Somnia 398.
Somnus advocatur 5. 142. *de ſomno* 187.
Soranzus 338.
Sponſa V. Uxor.
Sponſæ deſcriptio 342.]
Spes 70. 231.
Stampa Hermes laudatus 141.
Stanchius Jo: Vincentius 324.
Stellarum nomina quædam 161. 162 164. 344. 393. 399. *curſus* 168. *nomina* 175. 180. 469.
Sthenobea 222.
Strozza Hercules 358.
Strages deſcripta 460.
ad *Studia non ſemper incumbendum* 369.
Studia hominum varia 243. 278.
Styx 174. 466.
Superbia 86. 188.
Superchius Valerius 143.

T

TAgus aurifer pag. 193. 338. 466.
Taliani Aloiſii Epitaphium 315. *Joanna* 320.
Tantalus 90. 395. 466.
Taſſus 465. *Torquatus quæ cecinerit* 466.
Teleſcopium dono miſſum 446.
Temeritias 79. 80.
Tempeſtas 70. *maris* 161. 369. 467.
Tempus edax 283. 285.

Terminus 99. 302.
Terra ſancta 167. 458.
Terræ fecunditas V. Fecunditas. *Terra ſterilis* 453.
Tethys 161.
Terror ſubitus 94.
Theſeus fugiens 159.
Thomeus Fuſcius 430.
Thomitanus Bernardinus 184.
Thraces V. Turcæ.
Thraſybulus 56. 303.
Tibullus 240. 400. 487.
Titius 466.
Torellius Lælius 203.
Tormenta bellica 31. 134. 164. 332. 334. 335. 397. 474. *Venatoria* 230.
Traianus Daciam ſubjugavit 404.
Tridentum 153.
Trinitas 388.
Triumphus 340. *M. Antonii Columnæ* 445. 458.
Trivultiæ laudes 350.
Tuba Laurentius 316. 322. 325.
Tumulus Jo: Galeatii Vicecomitis 54. *Aiacis* 81. *Ariſtomenis* 55 *Tryphonis* 175. *Achillis* 56 *Meretricis* 74. *M. Antonii Turriani* 328. *Jani Franciſci Gonzagæ* 360 *Franciſci Areoſti ibid. Virgilii* 393. 395. *Laodamiæ* 230. *Balbi* 321. *Lauræ* 322. V. Epitaph.
Tumultus fugiendi 55
Turcarum pugna 337. *Turcæ victi* 137. 139. *fugati* 144. 403. 404. *claſſis* 164. *victi ad Echinadas* 166. 456. *ut vincantur votum* 328. 438. *victi ad Actiacum promontorium* 473. 474. 475. *deſperatio* 181. 182.
Turbo oſſeus 112
Turrius Michaël 142.
Tyberis 137. 155. 196. 338. 344. 395. 456.
Va-

V

VAleſia Margharita moritur pag. 320. 321. 322. 323.
Valorius Baccius 205
Vandembrocke Petro Adriano Epicedium 19.
Varchius Benedictus 147. Ecloga in ejus morte 211.
Varus fluvius 471.
Vellus aureum 136.
Venatio 204. 221. 240. 484. a puella exercetur 272. 279. aquilæ 230.
Venatio 347. laudata 376. amorem vincit 381. varia 142. 153. 162. 397. apri 447. venandi voluptas 451. deteſtata 176. pericula venationis 203.
Venatores mendaces 447.
Venerius Venetorum Dux 332. Dominicus 144. Sebaſtianus 164.
Venti quieſcunt 179.
Ventorum procella 30. 369. 387.
Ventorum minæ 162. 395.
Caurus 439. 464.
Eurus 164.
Notus 146. 162. 176. 221. 441. 445. 464. 469.
Ventus Favonius 149. 153. 155. 161. 165. 177. 181. 221. 395. 422.
Auſter 396. 471.
Boreas 146. 398. Orithiam rapit 154. 469. 471.
Africus 471.
Lybicus ibidem.
Venus a Diana mordetur 317.
Venus 72. quomodo fugienda 75. 78. ejus poma 100. 340. pulchra 341. Diones filia ibid. 342. nuda vincit Martem 350. aurea 132. 370. ejus flos 371.

371. *victa* 380. 381. 383. 389. *juventutem domat* 390. *cupidinem pectit* 410. *ad Venerem deprecatio* 429. *Adonidem alloquitur* 158. 163. *ejus cornua* 446. *roſea* 177. *ei myrtus ſacra* 182. *de Venere & Bacco* 187. *ejus pulchritudo* 192. *devincit amantes* 202. *ab amore vulneratur* 260. *amorem querit* 273.
Ver 68. 201. 345.
Veſper 468.
Veſpertilio 94.
Via lactea 168.
Vicecomitis Tumulus 54.
Vices rerum 231. 395. 453. *amoris* 234.
Victoria Chriſtianorum ad Naupactum 328. 456. *Actiaca* 473. 474. 475.
Victorius Petrus laudatus 232.
Vienna obſidione liberata 24.
Vidiccionius 465.
Vigilantia 61.
Vinum & prudentia 62. *cacubum* 370. *Creticum dono miſſum* 446. *immodicum lædit* 187.
Vipera 72.
Virgilii ſepulchrum 393. 395. *Mantuanus* 214. 238. 400. 402. *Æneides* 301. 487.
Virgines cuſtodiendæ 71.
Virtus cum fortuna 69. *a fortuna ſuperata* 85. *nos ſimiles Deo reddit* 341. *Virtutum enumeratio* 386. 389. 391. 419. *ad virtutem hortatio* 423. *fortunam ſuperat* 168. 457. *virtutes variæ* 169. 227. 228.
Virtus a morte non revocat 173. *laudem parit* 238. *cum fortuna* 308.
Vita an brevis 40. *miſera* 97.
Vita æterna 340.
Vitia enumerantur 420. 435.
Ultio juſta 84.

Ulyſſes 71. 76. 84. *fugit Sirenas* 352. 381. 390. *redux* 395. *facundus* 469.
Urſinus Paulus 338. *Felix Uxor M. Anton. Columne* 445. *Nicolaus* 479. *Urſinorum laudes* 480. *Marius* 230.
Vulcanus Claudus 422. *cornutus* 446. *arma parant* 177. 324.
in *Vulgus* 309
Uxor cur ducenda 189.
Uxor. V. Mulier.
Uxoris fides 73. *Uxor contagioſi* 73. *Venatoris queritur* 176.

X

X*Erxes* 237.

Z

Z*Ambeccarius Cambius* 487.
D. *Zenobius Florentiam Defendit* 217.
Zephirus V. Ventus Favonius.
Zupha Margharita 312.

ERRATA			CORRIGE
Pag. 46.	v. 4.	revolva ,	revolvam,
	v. 20.	laudere	laudes
56.	v. 25.	vites	vires
62.	v. 25.	eundem	eundum.
155.	v. 3.	moll s	mollis
	v. 9	oner ta	onerata
167.	v. 30.	ſceprta	ſceptra
173.	v. 3.	nec Magis	nec magis
208.	v 18.	frigeti	frigenti
305.	v. 12.	ricco	ſicco
306.	v. 10.	Ætnea	Ænea
320.	v. 1.	Joanuæ	Joanna

ERRATA. CORRIGE.

Pag. 10. v. 21.	hædera, ſordidoque	hedera ſordidaque
4. v. 12.	Te cum triſtis	Tu cum triſtis
v. 28.	tridentibus	ſtridentibus
5. v. 34.	Imbutumq; gerent	Imbutumque gerens
7. v. 3.	Florentia ſerta	florentia ſerta
9. v. 21.	ſævit	ſevit
15. v. 25.	perfrundens	perfundens
v. 29.	pauperio	pauperie
18. v. 19.	ſacro fulgentem	ſacra fulgentem
22. v. 6.	cum nulla cruenta	cum nulla cruentæ
v. 10.	Ætheraſque	Æthereaſque
46. v. 4.	revolva,	revolvam,
v. 20.	laudere	laudes
56. v. 25.	vites	vires
62. v 25.	eundem	eundum.
136. v. 26.	penſa favillis	penſa favillas
137. v. 8.	nonne illum	non illum
139. v. 26.	quidquid urnis	quidquid undis
144. v. pen.	pernicis equis	pernicis equi
153. v. 6.	lenior arva	lenior aura
154. v. 31.	Et noſtris	Et noſtis
155. v. 3.	moll s	mollis
v. 9.	oner ta	onerata
159. v. 7.	male, grate	malegrate
167. v. 30.	ſceprta	ſceptra
173. v. 3.	nec Magis	nec magis
203. v. 9.	captas	capras
204. v. 32.	latiiſque	latiſque
205. v. 5.	hyacyntha	hyacynthum
206 v. 21.	munera cura	munera curas
208. v. 18.	frigeti	frigenti
215. v. 11.	tutum faciem	tu tum faciem
305. v. 12	ricco	ſicco
306. v. 10.	Ætnea	Ænea
320. v. 1.	Joanuæ	Joanna
425 v. 29.	medulatu	medulatus

Date Due

Form 335—40M—6-39—S

851.08 B751C v.1 376484

Bottari

Carmina

DATE	ISSUED TO

851.08 B751C v.1 376484